13
22 L
33
M
22.3.6.
Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
13 22.

13 22 ¿ 33
P.F.

13.22 L.33.

# ANTONII VACCAE

à capite Silicis, Iuriſconſulti Imolenſis

## EXPOSITIONES LOCORVM OBSCVRIORVM ET PARATITVLORVM IN PANDECTAS,

SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL. ROM. IHS

*VOLVMEN PRIMVM,*




LVGDVNI,
Apud Matthiam Bonhomme.

M. D. LIIII.

*CVM PRIVILEGIO REGIS.*

## BREVIS PRIVILEGII.

Ne qvis has locorvm obscvriorvm expositiones in Pandectas, intra sexennivm a die finitae impressionis annorvm repvtatione facta, in Gallia imprimat, avt alibi impressas distrahat, praeter Matthiam Bonhomme, Principali rescripto continetvr. Ex qvo et illvd significatvr, eos qvi contra fecerint in ea cavsa fvtvros, atqve si illi nominatim hac de re certiores facti essent. Qvi avtem edi sibi diploma desyderaverit, apvd Lvgdvnensem legatvm consistat, cvi soli de ea re ivrisdictio notio've ex rescripto datvr.

# REVEREND. ET ILLVSTRISS.
## CARD. ALEXANDRO FARNESIO SANCT. ROM. ECCL. VICECANCELLARIO, ANT. VACCA

S. P. D.

CVM TV *Alexander Farneſi, Comitijs Pontificijs, quibus ſuffragante te, Iulius tertius renouando ſeculo ad Pontificatum maximum eſt euectus, maximo difficilique in negotio verſabare: ego maximo fruens ocio, propterea quòd iuſtitio indicto forenſia negotia, quibus aliquot ante annos vacare inſtitueram, conquieuerant, cœpi ne torperem aut elangueſcerẽ, ex his quædam euoluere, quæ breuibus annotationibus ac rudibus commentationibus in ius ciuile mihi ſcripta ſunt. Ea ſunt in omnes ferè Digeſtorum & Codicis conſtitutionum libros ſcholia & tanquàm gloſſemata quædam, quibus frequentia iuris capita ſæpe aduerſus inueteratas & vulgares opiniones, ſæpe aduerſus recentiorum interpetum receptas temporibus noſtris perſuaſiones, nonnunquam ſecundum antiquiorum traditiones interim neglectas aut iacentes, ſæpius verò animaduerſione & cura noſtra propria, quæ alij ne attigerant quidem, declarare ac velut in lucem proferre conati ſumus. Nam poſtquàm ius ciuile attigi, cùm diſcendi laborem immenſum caperem, id vnum in animo ſemper habui, ſi qua ex parte opera mea vnquam effici poſſet, vt cæteri poſt me faciliorem viam inuenirent. Sed cùm animaduertiſſem paulò plenioribus quibuſdam commentarijs opus eſſe, vt quid planè interpretatio noſtra ſibi vellet, omnes ſine labore intelligere poſſent, ſtatui & pleniores commentarios faciendos, & diligentius quoque agendum eſſe, vt nihil omnino præterirem eorum, quæ dilucidiore interpretatione in eiſdem libris ad hanc vſque diem indigere videbantur, ne ſcilicet lucubratio noſtra, ſi quando exiret, manca eſſe, &, quod in prouerbio eſt, neque caput neque pedes habere videretur. Cœpi itaque à principio & limine ipſo Digeſtorum ſtudioſè omnia colligere, quibus enarrandũ atque explicandũ operæ pretium aliquod me facturum exiſtimarem. Nam anteà non id egeram, vt iuſtum opus aut volumen in lucem edendum componerem, ſed vt mihi ipſe ac memoriæ meæ conſulerem & ſubuenirem, non perpetuo ſcribendi tenore, ſed prout quæq; res vel inciderat, vel in mentem venerat. Multa igitur ad eam diẽ prætermiſſa rimari & inueſtigare, omnia verò in vnũ corpus redigere, lu-*

*cemq; prout quæq; res poſcere videretur, afferre inſtitui. Sed necdum primus Digeſtorū liber abſolutus erat, cùm renuntiato Iulio tertio Pontifice maximo, ego in piſtrinū illico retractus ſum. Nam forenſibus cauſis controuerſijsq; rurſum occupatus, & magnorum virorum amicorum præſertim, dum vixerunt, tuorum, Andreæ Cornelij, Bernardini Maffæi, tum Hieronymi huius Dandini Cardinalium amplißimorū, quos honoris cauſa nomino, negotijs ſeruitioq; diſtentus, omnem ſanè ad ocioſa iuris capita ſcribendi curam abieci. Mouendi erant iudices è re nata, vt quodq; acciderat, nec tam rationibus quàm autoritatibus ſæpe vtendum, ac certandum potius. Regeſta, Reſcripta, rerū omniū generis formulæ actionéſq; videndæ, literæ illiteratæ vſquequaq; tractandæ & cognoſcēdæ. Nec multò pòſt tu quoq; me in amplißimam domum & clientelam tuam migrare voluiſti, vt ex vrbe proficiſcens, quod magnis Italiæ, Galliæ & Germaniæ motibus feciſti, me relinqueres, ad quem oppidorum ditionis tuæ gubernatio referretur. Interim etiam nouis curis auctus, nec veteribus exoneratus, cùm iudicandis Populi Romani agrarijs controuerſijs, & mandato tuo, Pontificiorum iudicum, quos commiſſarios vocant, numero adſcriptus eſſem, nonnihil tamen interdum ſubducebam temporis, quo incœptum opus cōtinuarem. Itaq; inter tot curas & labores ad Rubricā tamen illam perueni, quæ inſcribitur,* Quod quiſque iuris &c. *Progreſſusq; ſine dubio eſſem longius, vel relictis rebus, cæterorum quidem omnium, præterquàm tuis, quod facere nec ſemel in animo habui, niſi tu repente me nec opinantem ex vrbe ad hanc prouinciam adminiſtrandam euocaſſes: vel extruſiſſes potius ac compuliſſes. Nam conſilium, vt ad te ſcripſi, non erat meum, ex vrbe poſthac diſcedere: quin Romæ vel pauper viuere, quàm liquido, quod aiunt, fortunæ riuo procul in alia terra inaurari. Retinebat operis inſtituti deſiderium & ſpes aliquando perficiendi, retinebat complexus & conuictus amicorum & literatorum hominum, eorum præſertim, quos probè noſti, familiarium tuorum, Faerni, Faſcitellij, Commendonij, Franchini, Chari. Nunc poſteàquàm huc veni, & ad omnia prouincialium deſideria reſpondendi munere varijsq; officijs & negotijs circunuentus, ac veluti rediuiua quadam aliarum ex alijs quotidie naſcentium rerum obſidione preſſus, longißimè abeſſe me à ratione atque ocio perficiendi, quod cœperam, animaduerti, ſtatui volumen primum, quod ferè conſummaueram, ad te mittere, vt decernere ipſe poßis, ſatius ne ſit me in ocio, quàm in negotio aliquando fore. Nàm & ocium facere, & in negotio vel honeſtißimo retinere tu me potes. Ego, quod tu decreueris, id libens faciam, & iußis tuis vſquequaque adquieſcam. Miſi autem hæc ad te etiam eò libentius, quòd ſermonem interdum habuiſſe te, non me latet, de toto humano iure præſertim Pontificio (quod qui maximè nouerunt, hi maximi in amplißimo collegio ac cœtu veſtro ſemper habiti ſunt) inueſtigando cognoſcendoq;, ſi facili aliqua ratione aut via tot rebus occupato tibi tradi poſſet. Nam ius Pontificium à iure ciuili fermè fluxit, & ſine iuris ciuilis cognitione vix intelligi aut tractari poteſt. Sed de his aliàs. Nunc inſtituti mei rationem accipe. Ego ſemper eum perfectum fore iuriſconſultum exiſtimaui, qui Iuſtiniani libros planè perſpexerit, euolerit, intellexerit, memoria, quoad eius fieri poteſt, complexus fuerit. Sed intelligendi potißima vis eſt. Iuſtiniani libros voco vniuerſam Iuris huius ciuilis, quod ille nobis vel reliquit vel tradidit, farraginem & compoſitionem. Recentiorum interpretum doctrinas & immenſa opera nunquàm valde amplectenda exiſtimaui, niſi quate*

*nus*

*nus duntaxat ad eorum librorum declarationem atque explanationem pertinent. Nec ſanè alio ſenſu antiquorum quiſquàm ſcripſit, quam vt obſcura iuris loca declararet, aut ea certè, quæ in his libris ſecum aut inter ſe pugnare videbantur, conciliaret. Sed neſcio quo fato factum eſt, vt veram docendi atque interpretandi rationem ac modum paulatim amiſerimus, dum vel ambitione atque oſtentatione, vel Germanæ veræꝗ doctrinæ inopia, ſuperuacuas quæſtiones inculcant, de rebus impertinentibus & non neceſſarijs nec ſuis locis diſputant, autoritati pluſquàm rationi tribuunt, quæ breuiter dici poſſunt, magno verborum apparatu atque anfractu aguntur, nihil ad ſua genera refertur: quod propoſitum eſt, atque vbi interpretatio maximè deſideratur, id ne attingitur quidem: vbi non deſideratur, ibi magno conatu intenditur. Interpretum commenta magis quàm leges ipſas enarrare, tum mutuis velut telis ſeſe, ac vulneribus conficere ſtudent, ſacra, profana, diuina, humana docendo commiſcentur: nihil diſtinctè, nihil ab originis aut ſimplicitatis ſuæ cognitione repetitum traditur. Denique id vnum agi videtur, vt magno labore magnaꝗ temporis & pretij librorum iactura nihil ſcire doceamur. Et quod Iuſtinianus ſuperiorum temporum vitium corrigere maximè optauit, vt quæ in ſingulis tractatibus eadem ratione ducta, ab omnibus ſcriptoribus repetebantur, ea ad genera & vniuerſales quaſdam notiones referret, quæ omnibus deinceps cauſis cōtrouerſijsꝗ ſeruirent, quod & Cicero olim cogitarat, id nos rurſum reuocare & ſingulos de ſingulis vel minutis rebus & cauſarum articulis tractatus facere velimus. Cùm hæc ita animaduerterem, non laborandum mihi eſſe ſtatui vt ſingula iuris capita prolixis commentationibus veſtirem. Quibus autem interpretatio noſtra vtilis aut neceſſaria eſſe viſa eſt, in his id egi potiſſimùm, vt ſenſum menteꝗ ſcriptoris aſſequeremur. Ocioſas aut alijs locis congruentes diſputationes vel reiecimus vel omiſimus. Affinia tamen & agnata quædam interim adijcere non grauati ſumus, quæ nec ſine reprehenſione preterire poſſe videbamur. Denique longiores interdum fuimus, vt inueteratas opiniones perſuaſionesꝗ minueremus penitus, ac velut ex animis euelleremus. Nec ſanè nouum eſt, maiorem dedocendo quàm docendo laborē ſumi, præſertim cùm loca quædam obſeruauerim, quæ nec ipſos quidem compilatores, quorum opera componendis his libris Imperator vſus eſt, ſatis intellexiſſe pro certò habui. Enimuerò non adeò præfractè accipienda ſeu captanda potius autorum iuris verba exiſtimaui, vt ex ſingulis eorum verbis (quod vulgo nunc faciunt) ſingulos velut legum ſenſus elicere conatus fuerim, ac ſi ipſis legibus aut prætorum edictis, quæ illi interpretabantur, ea verba poſita eſſent. Non enim par ratio eſt iuriſconſultorum ſermonis, & ipſarum legum. In horum ſcriptis verbum aliquod ocioſum aut non exactè conſideratum inueniri poteſt. Omnia ad ſummam interpretationis referuntur. At in Legibus, Edictis & Senatuſcōſultis verbum nullum ſine magno miſterio atꝗ ingenio prolatum puto. Sed de his & alijs ſententia noſtra in ipſo opere melius apparuerit: & tu quoque ſi quando ocium tibi erit, forſan cognoſces. Bene Vale Carpentoracte Venayſinorum,*

*Decimo Calend. Maij. M. D. LIIII.*

ANTONIO VACCAE
IVRECONSVLTO CLA-
riſſimo & Venayſſinæ
Prouinciæ Præ-
ſidi

PETRVS COSTVS.

*Quòd tu Sarmaticos, iuris Traſibule, tyrannos*
*Sollicitus legum de ſtatione moues,*
*Reddis & antiquo terſiſsima iura nitori,*
*Et veterum explodis ſomnia vana ſenum,*
*Scitaq́ prudentum natalibus addere priſcis*
*Niteris, & Latiæ prodere iura togæ:*
*Accipe gramineam, victricia dona, coronam,*
*Et refer è Scythicis barbara ſigna Getis.*
*Tu mihi in Orcheſtra lato ſpectabere clauo,*
*Dignus & in noſtris aureus eſſe focis.*

# INDEX TITVLORVM, LEGVM, ET PARAGRAPHORVM, QVI IN HOC VOLVMINE EXPLICANTVR.

NVMERVS PAGINAM INDICAT.


*Proœmium Digeſtorum.*
In nomine. pagina 1
§.Omnem. 4
§. Ex libris. 5
§.In his autem. 6
§.Et primi anni. 7
§.Nos verò. 7
§.In ſecundo. 8
§.Tertij inſuper anni. 8
§.Hæc autem. 10
§.Illud autem. 11
§.Illud verò 13
*De iuſtitia & iure. Titulus j. pag. 14*
Lex Iuri operam. 15
§.Tirius. 18
Lex Veluti. 21
Lex Vt vim. 21
Lex Manumiſſiones. 22
Lex Ex hoc. 22
Lex Ius ciuile. 30
Lex Omnes populi. 31
Lex Iuſtitia. 34
Lex Ius pluribus. 34
*De origine iuris. Tit. ij. pagina* 54
Lex Facturi. 35
Lex Neceſſarium. 35
§.Deinde. 35
*De legibus. Tit.iij.* 39
Lex Lex eſt. 40
Lex Iura. 43
Lex Legis virtus. 43
Lex Non ambigitur. 44
Lex Et ideò. 47
Lex Non poſſunt. 47
Lex Benignius. 48
Lex Non omnium. 49
Lex Minime. 50
Lex Inciuile. 51
Lex De quibus. 51
Lex Cùm de conſuetudine. 53
L.Quod non ratione. 54
*De conſtitutione principum. Tit.iiij.pag. 54*
Lex Quod principi. 55
Lex Quarta. 62
*De ſtatu hominum. Titul.v. pagina 63*
Lex Cùm igitur. 64
Lex Et ſeruorum. 65
Lex Libertini. 65
Lex Paulus. 66
Lex Septimo. 67
Lex Non ſunt. 68
Lex Aretuſa. 70
Lex In orbe. 71
Lex Imperator. 73
Lex Cum legitimæ. 74
Lex Homo liber. 74
*De his qui ſunt ſui vel alie.iur. Titu.vij. pagina 74*
Lex De iure. 75
Lex Irem in poteſtate. 75
Lex ſi qua pœna. 77
Lex Inuiri. 78
*De adoptionibus. Titulus vij. 78*
Lex generalis. 80
Lex Magiſtratum. 81
Lex Cùm adoptio. 83
Lex Quod ne curatoris. 83
Lex Etiam. 84
Lex Si quis. 84
Lex In omni. 84
Lex Si pater. 84
Lex Si arrogator. 86
Lex Poſt mortem. 87
Lex Nonnunquam. 89
Lex Per adoptionem. 89
Lex Si pater filium. 90
Lex Adoptiones. 91
Lex Si is qui nepotem. 91
Lex In ſeruitute. 93
*De rerum diuiſione. Titu.viij. 94*
Lex Quædam. 95
Lex Item lapilli. 101
Lex Nemo. 101
Lex Riparum. 102
Lex Intantum. 103
Lex Sacra. 103
Lex Ariſto. 104
*De Senatoribus. Titul. ix. 104*
Lex Caſſius. 120
Lex Senatorem. 120
Lex Senatoris. 121
Lex Fœminæ. 121
Lex Nuptæ. 122
*De officio conſulis. Titul.x. 124*
Lex Officium. 125
*De officio præfecti prætor. Tit.xj. 125*

Lex Regimentis. 126
*De officio praefecti urbi.Titu.xij.pag.* 126
Lex Omnia. 128
Lex Praefectus. 128
*De officio Quaeſtoris.Titul.xiij.* 130
*De officio pretorum. Titul.xiiij.* 131
Lex Barbarius. 131
*De officio praefecti vigilum.Titul.xv.* 132
Lex Apud. 132
Lex Nam ſalutem. 132
*De officio proconſ. & lega.Tit.xvj.* 133
Lex Omnes Proconſules. 133
Lex Obſeruare. 134
Lex Solent. 134
Lex Si in aliquam. 135
Lex Nec quicquam. 135
Lex Legatus. 136
Lex Legati. 138
Lex Proconſules. 139
Lex Et legati. 39
Lex Proconſul. 140
*De offic. praefec. Auguſtalis.Tit.xvij.* 140
*De officio praeſidis. Titul.xviij.* 141
Lex Praeſidis. 141
Lex Praeſes. 142
Lex Illicitas. §. Veritas. 142
§.Qui vniuerſas. 144
Lex Ex omnibus. 147
Lex Illud. 148
Lex Senatuſconſulto. 148
Lex Si forte. 149
Lex Obſeruandum. 149
Lex Legatus. 149
*De offic.procon.Caeſa.Titul. xix.* 111
Lex Quae acta. 151
Lex Quod ſi. 152
Lex Curatores. 152
*De offic. eius cui mandata eſt iuriſd.Ti.xxj.* 113
Lex Quaecunque. 154
Lex Mandata. 164
Lex Etſi. 164
Lex Cognitio. 165
Lex Mandatam. 167
*De officio aſſeſſorum. Titul.xxij.* 168
Lex Diem functo. 168
Lex In conſilium. 169
*De iuriſdict. omn. iudic. Pandectarum.lib.ij. Titul.j.pagina* 171
Lex Ius dicentis. 173
Lex Cui iuriſdictio. 174
Lex Imperium. 176
Lex Iubere. 180
Lex More. 182
Lex Et quia. 182
Lex Si familia. 184
Lex Qui iuriſdictioni. 185
Lex Si idem. 186
Lex Magiſtratibus. 189
Lex Eum qui. 189
Lex Solet. 190
Lex Extra territorium.pagina. 191
*Quod quiſque iur. Titul.ij.* 191
L.Qui magiſtratum. 193
Lex Hoc edicto. 193
Lex Si quis iniquum. 194

ANTONII VACCAE

# EXPOSITIONES

## LOCORVM OBSCVRIORVM IN PRIMVM LIBRVM PANDECTARVM.

### Procem. Digeſtorum.

IN NOMINE DOMINI IESV CHRISTI. Hæc verba poſt procemium quoque ſtatim repetebantur. Sed Haloander (cuius editionem, vt alijs hactenus emendatiorem ſequimur) vtroque loco ea ſuſtulit, quaſi in Pandectis Florentinis non reperiantur, quaſique appoſita ſint,& à librariis adiecta. Imperator tamen ſe hoc opus ab inuocatione diuini nominis exorſum eſſe,ſignificat.l.ij. §.nos itaque. C.de vete.iur.enuc. Quin in ſingulis quoque conſtitutionibus interdum hunc morem tenuit,vt inciperet ab inuocatione.l.j.& ij.C.de off.præ.præt.Afri.auth.de armis. & auth.de quæſtore. in prin.& vt ſignum crucis,inſtrumentis quibuſdam præponi iuberet.l.fi. §.quòd ſi ignarus.C.de iure deliber. Nam & Plato in legibus idem fecit,& ferè antiquus mos hic fuit,vt à Deorum inuocatione principium dicendi ſumerent.ſic Varro de re ruſtica,ſic Virgilius libros ſuos,ſic plerique alij auſpicati ſunt.Sed quomodocunque fecerit Imperator noſter,ſuperuacua huius rei quæſtio eſt:cùm etſi verè ipſius hæc verba ſint,non propterea tamen ex his neceſſarium ad conſequentiam argumentum ſumas.Non enim recepta eſt Bartoli & quorundam ſententia exiſtimantium,quòd diuini nominis inuocatio his libris prępoſita ſit:idcirco rerum quoque priuatarum documentis neceſſariò præponendam eſſe, vt Alciat. lib. IX. *παρέργων*. c. VI. & Aretin.in procem.Inſt.docet,cùm nuſquàm hoc præceptum ſit.arg.not.per gloſſ.in l.generali.C.de tabul.lib.XI. Illud etiam me mouet,quòd Imperator, conſtitutione illa qua Imperatorium nomen inſtrumentis & actis publicis perpetuò præferri iubet,quale initium fieri oporteat, exemplo docens,à ſuo ipſius nomine ſtatim incipit,non à diuino,quamuis Accurſius Imperatoris verba in latinum

anteà malè conuerſa, praua inſuper interpretatione peruertere conatus ſit. glo. d. auth. vt præ. no. Imp. in verbo, authore. Sed cùm poſteà generaliter inoleuerit hic ſtylus, vt diuinũ nomen omnibus præponatur, inueteratæ conſuetudini tantùm tribuendum exiſtimauerim, vt ſi documentum ex integro edi poſſit, auſpicatiore hoc principio edatur, alioquin & ſine ſcrupuloſitate iſta (ſi cætera conueniant) fidem faciat.

IMPERATOR *Cæſar, Flauius, Iuſtinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Africanus, Alanicus, Vandalicus.* Hactenus ſunt, poſt prænomina & nomen Imperatoris, cognomina à ſubactis gentibus, quorũ ſingulorum ratio ex hiſtoria & vita ipſius petenda eſt. Addit Alciatus præceptor olim meus, quædam ſcitu non indigna. lib. v. παρέργων. c. 11. Nos hoc loco illud vnum admonere operæpretium exiſtimauimus, quamuis Gothicum ſe appellet, nondum tamen hoc tempore, quod videtur incidere in ſeptimum Imperij eius annum, inita ratione à tertio ipſius conſulatu, quo hæc epiſtola data eſt: Gothos neque ab ipſo, neque ab alio quoque ſuperiorum principum penitus ſubactos, aut Italia expulſos fuiſſe. Tenebant hi adhuc ſub ditione ſua vrbem Romam, vel metu certè ac virium & Imperij formidine premebant, Rhauennæ ſedem regni habentes: vt ex hiſtoriis cognoſci poteſt. Quinetiam apud Caſsiodorum leguntur exempla epiſtolarũ, quas Athalaricus Theodadus & Vitigis Gothorum Reges cùm ad ſenatum & alios Romæ magiſtratus, tum ad ipſum Imperatorem Iuſtinianum ſcribebant. Sed cum ſenatu velut domini, cum Imperatore velut ſocij agebant. Nam cum eo pacem tunc habebant, ipſiúſque maieſtatem comiter obſeruabant, Regnum Italiæ armis ac bello partum, iure ſe poſſidere arbitrabantur. Hoc etiam Palea ille, cuius ex libris frequentes ſectiones relatæ ſunt in Decreto aureo Gratiani, ſcriptum reliquit: nullum ius Imperatori Iuſtiniano in Italia nec in occidentalibus populis fuiſſe, vt refert Marius Salamonius in tractatu de Principe, libro primo. Mirè tamen hanc totam rem diſſimulat Imperator. Cæterùm Gothos poſteà (nam vnde quadraginta regnauit annos) per Beliſarium & Narſim eunuchum penitus vicit atque expulit, id quod non hiſtoriæ ſolùm, verùmetiam inſcriptio cum epigrammate in arcu pontis ſalarij apud vrbem teſtatur, trigeſimo nono Imperij eius anno poſita, cuius poſtremi quatuor verſus hi ſunt.

« *Ite igitur faciles per gaudia veſtra Quirites,*
« *Et Narſim reſonans plauſus vbique canat.*
« *Qui potuit rigidas Gothorum tundere mentes,*
« *Hic docuit durum flumina ferre iugum.*

Quare poſterius additum videtur hoc cognomentum. Alioquin ſi hoc tempore tantam rem iam egiſſet, ſpecialem aliquam liberatæ Italiæ atque vrbis Romæ mentionem, vel in præfationibus ſuarum conſtitutionum feciſſet: vt de Africa reſtituta, & de Vandalis expulſis fecit. l. j. in princ. C. de offic. præf. præt. Afr. Quodam tamen loco ita loquitur, quaſi vrbem ipſam Romam per omnia ſubiectam haberet: auth. vt ordin. præf. §. j. Sed id accipiendum apparet titulo tenus, non re ipſa, vel promulgatam illam conſtitutionem fuiſſe, poſteaquàm Gothos expulit. Triſte certè neſcio quid videtur ſignificare, de vrbe Roma,

cùm

cùm in illa conſtitutione Cod.de vet. iur. enuc.l.j.§. ſed etſi. Romam inquit, intelligendum eſt, non ſolùm veterem, ſed etiam regiam noſtram, quæ Deo propitio melioribus condita eſt auguriis.

Pivs *Inclytus Felix victor ac triumphator.* Hæc à moribus, aut à fortuna in vniuerſum ducta ſunt, non inuſitato aliorum principum more. Pij tamen cognomentum ab Antonino Pio ad ſe perueniſſe ſcribit ipſe. Nouella XVIII. vt liber de cæt.aur.non indig.auth. quod & vir eruditiſſimus Siluester Aldobrandinus annotauit, in procemio Inſtitutionum.

Semper *Auguſtus.* Cæſar & Auguſtus perpetua Imperatorum cognomina, ſed Cæſar ſimpliciter his temporibus dicebatur, què Imperator ſibi ſucceſſorē Imperij elegerat.l.& ſi excepta.C.de Maleſ.& Mathem.id admonuiſſe ſuis locis vtile erit: Auguſtum autem latinè id propemodùm ſignificare, quod ſacroſanctum & maieſtatis plenum, idque in Auguſto ſecundo Imperatore primum vſurpatum ad ſequentes deinceps Ro.principes tranſiſſe, iam notum eſt. Tranquillus in vita Auguſti, cognomen non tantùm nouum, ſed & ampliùs atque honorificentiùs, quàm conditoris vrbis exiſtimatum ſcribit, quòd loca religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, Auguſta dicantur, ab auium geſtu guſtùve, iuxta illud, inquit, Ennianum,

*Auguſto Augurio poſtquàm inclyta condita Roma eſt.*

Apparet hinc Auguſtum non ab augendo dictum, vt Accurſij ſæculum exiſtimauit: nam propterea etiam quæſiuere, an & qui non auxerit, vel qui etiam de imperio diminuerit: nihilominus Auguſtus rectè dicatur, quod ego expeditum puto, & ſi ab augendo dictum conſtaret. perinde enim & hunc Auguſtum rectè dici, relatione ſcilicet facta ab eo quod feciſſet, ad id quod facere debuiſſet, vt prætorem, & ſi iniquè decernit, tamen ius reddere dicimus. l. fin. infra titul.j. quamuis alia ratione in eandem ſententiam vtatur Panormita.c.1. col.xiiij.extrà de iud. Illud intempeſtiuè hoc loco tractant, an res ad populum atque imperium Romanum pertinentes, Imperator alienare poſſit. ego de ea te quid ſentiam, mox explicabo, in l.pen.infrà de off.præſid.

Theophilo *Dorotheo, Theodoro, Iſidoro, Anatolio, Thallelao, & Cratino, viris illuſtribus.* Viri illuſtres qua ratione hi appellētur, qui ſcire cupiet, videto inferiùs quæ ſcripſimus ad rubricam de ſenatoribus, vbi & de clariſſimis, & de ſpectabilibus, & de perfectiſſimis, & de omnibus omnino dignitatum titulis atque honorificis appellationibus, quæ nobis in mentem venerunt, abundè expoſuimus. Illud interim admonendi ſumus, ſcribi hanc conſtitutionem ab Imperatore ad eos, quos hîc nominat, non eo intuitu, quòd componendis legibus operam ſibi præſtitiſſent, quippe alios quoque ei rei adhibuerat, quorum nomina aliis conſtitutionibus referuntur.l.j.C.de no.cod.comp.& l.j.C.de nouo cod.confir.l.j.&ij.C.de vet.iur.enucle.quos præterire ſine qualibet iniuria non potuiſſet. Sed illa ratione ad hos potiſſimùm hanc orationem ſcribit, quòd poſt compoſitas leges, publicè eos profiteri, atque interpretari hos iuris libros voluerat: vt quomodò ſingula tradere eos conueniat, non aliunde quàm à ſeipſo cognoſcant, quod & in principio orationis ſtatim admonebimus. Quamobrem laudandus Imperator ex eo quoque, quòd non ſolùm qui le-

ges interpretarentur anteceſſores, quaſi tu dicas Theoricos, ſed & qui in vſum ac velut in aciem producere doceret, practicum & experientem cauſarum patronum conſtituerat, vt exemplo non ſolùm in præſentia prodeſſet, verùm etiam poſteris oſtenderet in gymnaſiis eſſe oportere, qui praxim quoq; ipſam ex rerum & cauſarum experimentis doceant, quamquàm hoc hodie non ſatis obſeruari videamus.

Antecessoribvs. Anteceſſores dictos fuiſſe qui ius Ciuile in gymnaſiis publicè docerent, omnes conſentiunt, & declaratur ſtatim in procemio, quamuis Alciatus magnopere ſe quandoque in ea re hæſitaſſe ſcribat, lib. iii. diſpun. c. xii. & ſuſpectam etiam ſcripturam habuerit, quæ tamen in omnibus codicibus ſatis conſtat. Sed qua ratione hi ſic appellentur, præter Accur. qui, quod moribus & ſcientia cæteris præſtare debeant, dictos putat arg. l. magiſtros. C. de profeſſ. & med. lib. xi. nemo eſt ex his quos viderim, qui ſcribat. Ego antiſtites liberalium ſtudiorum magiſtros appellari animaduerti. l. j. C. de decre. decu. lib. x. nec dubito, quemadmodùm antiſtites ab anteſtando, ſic anteceſſores ab antecedendo dictos eſſe, qui, ſi latini ſermonis ratio pateretur, & Græcis hominibus, qui latinam hanc vocē fecerunt, ſatis cognita eſſet, præitores à præeundo potiùs dici debuerant, quàm anteceſſores, quòd ſcilicet interpretando præeunt diſcipulis: eſt enim præire, interpretari: dicimus etiam præire verba, pro eo quod eſt dictare: quod verbum ad gymnaſiorum quoque magiſtros pertinet. Vnde illud, Sæuo dictata magiſtro. Sed & quemadmodùm philoſophorum, ſic iuriſconſultorū ſectæ erant. l. ij. in fi. de ori. iur. Sectatorum autem relationi quod verbum congruentiùs adſcribi potuit, quàm anteceſſorum? vt manipularium quoque militum anteſignani dicuntur, hodie etiam in gymnaſiis extra Italiam non abſimili ratione profeſſores ſtudiorum liberalium Regentes vocant.

Et salaminio *Viro diſertiſſimo.* Fuit hæc (vt dixi) prouidentia Imperatoris, vt hos libros, non ſolùm per Theoricos, vt vocamus, verùm etiam per practicos, hoc eſt, rerum & cauſarum experimentis atque vſu probatos viros compoſuerit, quod ipſe duabus conſtitutionibus profitetur. l. ij. §. quæ omnia. & l. j. poſt princ. C. de vete. iur. enucle. optimum enim ſe recepiſſe miniſterium dicit, tam ex facundiſsimis anteceſſoribus, quàm ex diſertiſſimis togatis fori. Talem igitur fuiſſe hunc Salaminium agnoſcas. Nam diſerti verbū propriè ad eos pertinet, qui cauſas agunt. Vnde illud, Diſertos vidiſſe multos, eloquentem neminem: & Ciceronem Catullus diſerti ſſimum Romuli nepotem appellat.

OMNEM REIPVBLICAE NOSTRAE SANCTIONEM. Legis ſanctio propriè dicitur, extrema illa pars, qua pœna generaliter conſtituitur aduerſus eos, qui in legem commiſerint. l. ſacra. §. propriè. de re. diui. l. ſanctio legum. infrà de pœnis. qualis eſt hodie in literis pontificiis nouiſſima illa clauſula: *Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis autem, &c.* qualis etiam ferè in nouiſſimis Iuſtiniani conſtitutionibus, poſtremum illud decretum:

*Qua*

*Quæ igitur nobis placuerunt,&c.* Sanctio antiquæ legi ſubiecta hodie legitur in tabula ænea,quæ eſt in æde Laterani prope altare maximum,in qua legis Regiæ,de Imperio Veſpaſiani latæ pars quædam inciſa eſt. Vſus tamen poſteà tulit,vt conſtitutiones Imperatorum,& generaliter omnes omnino leges, ſanctiones appellētur.l.j.§.his itaque.C.de vet.iur.enu.quòd ſanctæ eſſe debeant, hoc eſt, inuiolabiles.d.§.propriè.& l.ſanctum. eod.titu.de rer.diuiſ. Hîc ergo omnem reipub.ſanctionem,pro vniuerſo ciuitatis Romanæ iure accipias.

Per *Noſtras orationes.* Decipitur hoc loco Accur.& qui eum ſequuntur propter hæc verba, exiſtimantes poſteriorem editionem Codicis,ante hanc conſtitutionem factam eſſe. Quamuis enim ita loquatur hoc loco Imperator, tamen conſtat editionem illam alteram poſteriùs factam: Et hoc tempora indicant,vt & Albe.hîc,col.vj.nu.16.& Aug.lib.11.emend.c.1. annotarunt. Nam hæc conſtitutio Iuſtiniano tertium Conſule data eſt: editio illa quarto ipſius Conſulatu facta:quod oſtendit ſpecialis conſtitutio,qua conſilij ſui rationem Imperator reddidit.l.j.§.his igitur.C.de emen.Cod.Iuſt. Nam & rurſus poſt illam emendationem nouellas edidit conſtitutiones,quas authenticas vocamus, quamuis cuncta ſibi iam tum perfecta atque omnibus numeris abſoluta,viderentur.d.§.his igitur.Quas ergo hîc orationes ſuas Imperator memorat,nec leges primi Codicis generaliter,vt Accur.voluit,accipere debemus,nec ſecundi: quippe qui nondum editus erat,ac multò minus nouellas cōſtitutiones,quod Haloander videtur exiſtimaſſe,ſcholio hîc appoſito.Sed primas duas conſtitutiones quæ velut duæ præfationes ſunt,Codicis iſtius noui Iuſtiniani quo hodie vtimur. Altera, *de nouo Codice faciendo,* altera, *de nouo Codice confirmando.* Item duas illas quæ ſunt ſub titulo de veteri iure enucleando,quę & in frontiſpicio Digeſtorū ante hanc quā interpretamur,præponi debent.Has omnes & ſi quę eis ſimiles fuerunt,tam græca quàm latina lingua edidiſſe ſe hoc loco dicit.ſimiliter eaſdem prope finē huius epiſtolæ iterum orationes ſuas appellat. Græcè autem & latinè adhuc Florentiæ ante digeſta extare illā,quæ eſt poſterior,ſub.tit.de vet.iur.enu.Auguſtinus teſtis eſt lib.1. emend.c.1111. Igitur his conſtitutionibus ea quæ initio mandari, & quæ deinde poſt compoſitionem approbari ac ſtatui oportuerat,mādaſſe ſe ac ſtatuiſſe dicit Imperator. Veruntamen quia poſteà hos viros,ad quos nunc ſcribit,publicè profiteri ac leges interpretari voluerat.Ideò ipſos quoque ſpecialiter admonendos duxiſſe,quomodò ſingula in ſcholis tradere eos oporteat.Hoc eſt enim quod ſequitur.

Sed *Cum vos.* Ex his apparet, etiam in eo deceptum Haloandrum, quòd conſtitutionem illam,quæ lib.1.Cod.ſub titulo de vet.iur.enuclean. prior eſt, poſt hanc quam interpretamur,editam & compoſitam fuiſſe exiſtimauit,dum hanc illi præfert in editione ſua in frontiſpicio Digeſtorum,quæ re vera ſecundum ſupradicta poſtponi debuit.hoc etiam Auguſt.animaduertit lib.11.c.1.& lib.111. c.111.emend.

## §. Ex libris.

Sex et triginta tantummodo. Rectè intelligit Accur.vſque ad

titulum, de bonorũ poſſeſſionibus, vt ſcilicet hactenus omnia in ſcholis tradantur: alia ſuo ſibi marte iuuenes perdiſcant & tractent: quod ipſe inferiùs dicturus eſt, & reuera, excepto tractatu de bonorum poſſeſſionibus, & altero, de verborum obligationibus. Cætera non ita difficilia cognitu ſunt. Sed illos tractatus in explanatione Inſtitutionum à viua voce perfectè accipi poſſe exiſtimauit: nam ibi vtranque materiam diligentiùs exequutus eſt.

LIBRORVM *Quidem duo millia, verſuum autem tricies centena millia.* Vtinam ne hodie plura eſſe feciſſet ambitio interpretum noſtrorum, ferri æquo animo & legi poſſent. Sed nec ſpes eſt ſcribendi finem factum iri. Nunc ſi quis cognoſcere velit, quantùm antiqui verſus menſura capiebat, quantúmque hodie per Typorum excuſſionem compendi fiat, Aſconij Pediani expoſitionem orationum Ciceronis in manũ ſumat. Nam Aſconius ferè ex ordine orationum verſus numerat, ſi modò Aſconij illa numeratio eſt. Inde librorum noſtri temporis comparatione habita, ratio facilè iniri poteſt. Poterit etiam ex eo, quòd Imperator ſe hoc opus totum in centum quinquaginta millia verſuum conſumaſſe ſcribit. l. ij. §. Sed cùm omnia. C. de vet. iur. enuc. ſi ſimiliter ad libros noſtri temporis ratio conferatur. Sanè quòd tricies centena millia verſuum ad centum & quinquaginta millia redegiſſe ſcribit, poterit ex hoc quoque, ſupputatione facta, cognoſci quota pars librorum antiquorum in hos libros collata fuerit, quota ab his excluſa.

CAETERIS *Iam deſuetis & iam omnibus deuijs.* A diſcipulorũ ſcilicet & magiſtrorum cura ac traditione: non enim vſu abrogata fuiſſe hæc dicit, quæ reuera non erant. argu. l. ij. §. mirabili. C. de vete. iur. enucl. Ideò hanc materiam intempeſtiuè tractant hîc doctores noſtri, contra quos ego in quibuſdam ſentio. Sed ſuo loco omnia exprimemus. l. de quibus. infrà de legibus.

## §. In his autem.

CAII *Noſtri Inſtitutiones.* Quarum ſcilicet libri tres commemorantur in indice ante Digeſta. De hoc Caio, quis & quando fuerit, cur à Iuſti. & à Pompo. in l. cùm ſeruus. de ſtip. ſer. Noſter appelletur, difficile cognitu eſt. Auguſtinus coniecturas omnes colligit, quibus paulò pòſt Saluij ętatẽ fuiſſe oſtendat. lib. 1. emend. c. v. Sed de noſtro, nõ ſatis extricat nec ipſe, nec Aldobrand. in procem. Inſt. Ego chriſtianum fuiſſe interdum ſuſpicatus ſum, aut certè cum chriſtianis ſenſiſſe, & ſub Alexandro fuiſſe. Nam chriſtianos eſſe paſſus eſt Alexander, ſub quo & Pomponius fuit, vt Lampridius in vita eius ſcribit, propterea à Pomponio noſtrum appellari, quòd ſuo tempore floruerit, à Iuſtiniano autem quòd chriſtianus fuerit: alioquin cognomentum fuiſſe neceſſariò dicendum arbitror. Extant hodie Inſtitutionum quæ Caij fuiſſe dicuntur libri duo. Horum poſterioris initio ita ſcriptum eſt, Diuini iuris ſunt eccleſiæ, id eſt, templa Dei, ac patrimonia, & ſubſtantia, & quæ ad eccleſiaſtica iura pertinent. Quæ verba ſi à Caio verè ſcripta ſunt, expedita res eſt, chriſtianum eum fuiſſe: nam chriſtianorum propriè eccleſiam dicebant. Sed preceptor meus lib. παρέργων. 11. c. xxvi. ea verba appoſititia eſſe putat, interpretatione perperam in contextum relata. Aldobrandinus nec ipſos quidem libros Caij eſſe exiſtimat, verùm epitom

tomen ex libris Caij non ſatis diligenter factum,quod & verum puto.

## §. Et primi anni.

PASSIM ET QVASI PER SATVRAM. Vide num legendũ ſit, *Sed ſparſim.* Nam quod Ludouicus Bologninus admonuit, ſcribendum eſſe, *per ſaturam.* non, *per ſatyram:* id ipſe quidem ex Florentinis Codicibus rectè ſumpſit,ſiue architypos illos viderit,ſiue eos duntaxat,quos ex illorum fide Angelus Politianus emendauerat,quorum Bolognino cùm Florentiæ Prætor eſſet, deſcribendorum poteſtas fuit.Idque exemplum hodie in Dominicana bibliotheca Bononię adſeruatur,vt Auguſtinus meminit,nec aliud magis ſequutus eſt Haloander in editione ſua.Cæterùm quod in Thucis libris v. pro y. ferè ſemper ſcribitur,hoc Bologninus nõ ſat intelligens,ſuam ipſius inſcitiam detexit, dum librariorum negligentiam inſectatur,quod de imperitis magiſtris Quintilianus ait.Hodie nemo paulò doctior ignorat,per ſatyram idẽ propè ſignificare, quod variè,& quaſi per ſaltum:dum non perpetuò & continenter aliquid fit, ſed velitatim & interruptè:quo ſenſu & alijs locis in iure accipitur.l.j. in princ. C.de lat. lib.tollen. c.ſatyra.ij.diſtinc.

ET HAEC *Quidem fuerunt antiquæ eruditionis monumenta.* Ab antiquæ eruditionis more atque ordine in tradendis ſuis legibus haud longè abſcedit Iuſtinianus:vt ex ſuperiorum & inferiorum collatione videre eſt.Sed pleniùs ac diligentiùs agi præcipit,& ſtudendi tempus à quarto in quintũ annum extendit.

## §. Nos verò.

TAM PER TRIBONIANVM VIRVM MAGNIFICVM MAGISTRVM ET *exquæſtore ſacri noſtri palatij & exconſule.* Vulgata lectio erat, *exquæſtorem,* &, *exconſulem.* Sed Haloander per omnes caſus hoc tempore dictum exiſtimat, *exquæſtore* & , *exconſule* eum , qui quæſturam,aut conſulatum geſſiſſet, quem antiqui quæſtorium & conſularem dicebãt. Hoc etiam Accurſius,hoc Petrus Crinitus, hoc nouiſſimè Auguſtinus putauit lib.III.emend.c.III. Ego, vt de verbi ſignificatione Auguſtino aſſentior, ſic de inflexione per obliquos caſus ſubſiſto,cùm videam Caſſiodori epiſtolas, qui temporibus Iuſtiniani ſcripſit, hoc modo inſcribi,Magni Aurelij Caſſiodori ſenatoris, viri clariſſimi, & illuſtris,exquæſtoris Palatij, exconſulis ordinarij, exmagiſtri officiorum, præfecti prætorio,&c.quo fit,vt vtroque modo vſurpatum putem.Illud inſuper coniectari libet,dictos exconſulibus non conſulares,vt cognoſceretur verè eos geſſiſſe conſulatum,non per codicillos à principe vt conſulares haberentur impetraſſe.Nam impetrari hæ velut imaginarię dignitates pridem cœperant.Et initio conſulares prætorij quæſtorij dicebantur,tam qui titulo tenus impetrauerant,quàm qui re ipſa functi erant.Deinde cõmodius viſum eſt vocibus quoque inter ſe appellationes diſtingui.Propterea excõſule dictus, qui magiſtratũ geſſerat,cõſularis qui dignitatis duntaxat inſignia à Principe meruerat, vt Iuſtiniani conſtitutiones indicant.l.fi.C.de decu.li.x.vbi gl.& in l.antep.& pe. de conſ.lib.XII.eius rei argumẽtum quoque eſt,ꝙ & conſulares & quęſtorios & præfectorios apud ipſummet Iuſtinianum eodem loco legimus,quo exconſu-

les dixerat.l.ij.§.quæ omnia.C.de vet.iur.enucl. quare non abolitam veterem appellationem, ſed diuerſitatis neſcio quid inductum fuiſſe apparet.

## §. In ſecundo.

Ex edicto. Ex edicto dixit, pro eo quod eſt, ab edicto. Videntur enim (vt Accurſius hîc admonet) edictales dicti, quòd ſcilicet tunc primùm ad edicti perpetui interpretationem tranſirent, ne quis putet edicto ipſo nomen eis impoſitum fuiſſe. Quid enim hoc curaret Prætor?

Qvatvor *Libros ſingulares, quos ex omni compoſitione quatuordecim librorum excerpſimus.* Hoc eſt, quos ex quatuordecim libris, qui ſunt à titulo, de ſponſalibus vſque ad titulum, de bonorũ poſſeſſionibus, ſingulares & eximios eſſe voluimus: vt cùm quatuordecim his libris quatuor tractatus abſoluantur, ſinguli libri ad ſingulorum tractatuum cognitionem ſufficere intelligantur. Eos ipſe paulò pòſt nominatim deſignat, Primum tripartiti voluminis, de dotibus, nempe qui eſt in ordine vigeſimus tertius Digeſtorum. Alterum ex gemino, de tutelis & curationibus, anteriorem ſcilicet, & hic eſt vigeſimuſſextus. Tertium item anteriorem ex gemino, de teſtamẽtis. & hic vigeſimusoctauus. Quartum autem qui primus eſt ſeptem gemini, de legatis, & hic eſt trigeſimus, qui totus ſub vna rubrica inſcribitur, *de legatis primo.* Enimuerò apparet ex hoc loco, quomodò totum opus Digeſtorũ diuiſum ſit, quomodóq; ſingulæ partes inſcribi debeant. Nam generales quædã ſunt rubricę, quę per vniuerſi operis partes currere debent. vt per hanc primam partem τὰ πρῶτα. Per ſecundã, *de iudicijs*, hoc modo, *Digeſtorum liber quintus, de iudicijs, liber primus.* deinde ſubijcitur ſpecialis rubrica, *vbi quis agere, vel conueniri debeat*, & deinceps libro ſexto & ſeptimo vſque ad vndecimũ ſimili modo repeti, aut certè ſubintelligi oportet generalem hanc rubricam, *de iudicijs.* Cùm ad vndecimum veneris, ibi rurſus, *Digeſtorum lib.* IX. *de rebus creditis primus.* deinde ſubiicitur ſpecialis rubrica, *Si certum petatur.* Et deinceps per ſingulos libros generalem rubricam repetẽdam eſſe, idémque in omnibus partibus faciendum, quæ ſunt ſeptem, vt & alibi docemur. l.ij.C.de vete.iur.enucl. Hoc etiam Accurſius annotauit, gl. ſupra eo. verſi. in ſecundo. Nec Haloandrum nec Viglium fefellit. Viglius Inſt. de teſtam. ſuper rub. in fi. Hal. inter principium & finem cuiuſque partis. Quamuis Auguſtinus nonnihil diſſentiat, qui non vſquequaque huic diſtributioni conuenire ſcripturam Florentinorum librorum affirmat lib. III. emend. c. vltimo. in fine. Sed illos libros, nec ex toto integros eſſe ipſemet conſentit.

## §. Tertij inſuper anni.

Liber singvlaris ad hypothecariam formvlam. Hic eſt vigeſimus liber, qui ſine dubio ſic inſcribi debet: *Digeſtorum ſeu Pandectarum lib. vigeſimus, ad hypothecariam formulam liber ſingularis.* Deinde ſubiici debet, Titulus primus, qui eſt, *de pignoribus & hypothecis*, vt docemur ex hoc loco, & conuenit cum his quæ proximè dicta ſunt.

Oportvno *Loco, in quo de hypothecis loquimur, poſuimus: vt cùm amula*

*ſit pigno*

*ſit pignoratitijs actionibus*. Loquitur de hypothecaria formula, quam ideò dicit ęmulam eſſe pignoratitijs actionibus,quòd per actionem in rem ad pignoris perſequutionem conſtitutam,idem ferme creditoribus præſtat,quod pignoratitia actio quæ in perſonā intenditur.Sed hoc loco videntur erraſſe omnes, dum hypothecariam formulam, pro hypothecaria actione ſimpliciter accipiunt:videtur enim pleniùs quiddam ſignificare hypothecaria formula, quàm hypothecaria actio,quæ & quaſi Seruiana & vtilis Seruiana,ac nonnunquàm etiam Seruiana ſimpliciter appellatur.Inſt.de act.§.item Seruiana.l.j. §.cùm prędium.& l.ſi ſuperatus.infrà de pig. Hæc enim propriè ad vendicationē atque attractionem pignorum pertinere videtur.d.§.item Seruiana. At hypothecaria formula, omnia omnino iura, perſequutionis pignorum cauſa prodita comprehendere.Significant hoc ſuperiora verba, quæ proximè annotauimus, *Liber ſingularis ad hypothecariam formulam*, & quod veterum non alij de pignoribus, aut de his quæ verſantur circa pignora,proprij libri commemorantur,quàm qui ad hypothecariam formulam inſcripti erant, ad quam ſingulares libros Caius,Paulus & Martianus ſcripſerant,vt ex indice apparet. Papinianus quoque ante hos quædam commentatus erat,id quod indicant verba Imperatoris,paulò inferiùs,in §.ne autem tertij.librum, inquit, hypothecariæ ex primordiis plenum eiuſdem maximi Papiniani &c. loquitur enim hîc quoque de eadem hypothecaria formula. Opinor fuiſſe formulam à vetuſtiſſimo aliquo iuriſconſulto conceptam,ac proditam,quomodò poſſet quis paciſcendo efficere, vt res pignori teneretur, quæ tamen creditori tradita non eſſet. Nam cùm pignus à pugno diceretur, & initio in manum tradi conſueuiſſet, vt nuda conuentione quaſi per fictionem quandam effectus idem præſtaretur, exiſtimaſſe antiquos,ſolemni quadam verborum formula in eam rem opus eſſe, vt de Aquiliana ſtipulatione,poſthumorum inſtitutione,& quibuſdam aliis legimus. Eius formulę interpretationem deinde facientes iuriſconſulti tos, vt vim atque effectus omnes huius conuentionis, & qua de cauſa introducta eſſet,planè exprimerent, vniuerſa ad pignora & hypothecas & earum differentiam pertinentia expoſuiſſe,atque in eoſdem libros congeſſiſſe: hodie tamen & citra formulam ac verborum conceptionem, vel nudo conſenſu & ſola cōuentione contrahitur hypotheca,in tantū vt nec ſcriptura quidē opus ſit.l.contrahitur.infrà de pig.l.j.de pig.act.modò aliter res geſta probari poſſit.

Quod ait,oportuno loco,in quo de hypothecis loquitur, hypothecariam formulam poſuiſſe.tantundem omnino eſt,ac ſi dicat,oportuno loco ſe de pignoribus atque hypothecis in vniuerſum loquutum eſſe. Verbum enim illud,in quo, pro demonſtratione eſt, & quaſi repetitio eiuſdem pronuntiati. Recenſet hoc loco Accurſius differentias,quæ ſunt inter pignoratitiam & hypothecariam actionem:quarum illa præcipua eſt, & vnde aliæ ferè oriuntur, quod hypothecaria realis eſt.l. pignoris.C. de pig.& l.pignoris.infra eo titulo. Pignoratitia verò perſonalis.l.ſi.C.de diſtract.pig.Item hypothecaria contraria non eſt,ſed directa tantùm,ea quæ creditori datur:at pignoratitia & contraria eſt,& directa:quæ tamen directa non creditori ipſi competit vt hypothecaria, ſed debitori, idque ſoluta demum pecunia.l. ſi rem. §. omnis.de pig. & ideò

re contrahi dicitur, Inſt. quib.mo.re.contr.obl. §. ſi.contraria verò rurſum creditori competit.d.l. ſi rem.in princ.& vel ſolo conſenſu oritur.l. ſi rem. de pig. actio. Aliæ differentiæ quæ inter has actiones commemorantur, omnes ferè ex illo manant, quòd realis hypothecaria eſt, pignoratitia perſonalis. Nam & realium alia præſcriptio eſt, alia perſonalium. Item reales omnes ſtricti iuris eſſe videntur, exceptis quibuſdam, quæ miſtam cauſam obtinent, qualis eſt communi diuidundo, familiæ hærciſcundæ, Inſt.de actio. §.actionum. At perſonalium quædam bonæ fidei ſunt, & inter has pignoratitia numeratur. d. §.actionum.alias differentias colligere non tam ad hypothecariam & pignoratitiam ſpecialiter, quàm ad reales & perſonales actiones inter ſe in vniuerſum pertinet.

## §. Hæc autem.

In regiis vrbibus quam in Berytiensium pulcherrima *ciuitate*. Regias vrbes appellat Romam & Conſtantinopolin, quæ quaſi altera Roma haberi cœperat. l.j. §.ſed & ſi quæ leges.C.de vet.iur.enucle. ex decreto magni Conſtantini qui eam inſtaurauit, & Imperatoriam vrbem ac nouam Romam protinus appellari voluit. Vnde & Conſtantinopolis dicta: cùm anteà Bizantium appellaretur. Romæ autem perpetuum epitheton, regia, quaſi rerum domina, & vnde leges iuráque acciperentur.l.ſed & reprobari. §.ſi.infrà de excuſ.tut. Horatius, Mihi iam non regia Roma tam placet, vt madidum Tybur, atque imbelle Tarentum. Non quòd Reges dicerentur Romani principes (hoc enim ſenſu regium nomen Romæ poſt eiectos Reges perpetuò inuiſum) Nec Romanorum Imperatorum quiſquam id vſurpauit, ſed Imperatorio nomine contenti fuere, quod & libera ciuitate in vſu fuerat: cùm Imperatores propriè appellarētur, quibus rei bellicę ſumma cōmiſſa erat. Perpetuū autē Imperatoris cognomen C. Cæſari primùm, deinde Auguſto ita vt ad ſucceſſores perpetuò illud tranſmitterent, publico decreto tributum fuiſſe ſcribit Dion lib. LII. prope finem. Quò magis mirum eſt, vnde Romanorum Regis appellatio deſcenderit in hæc tempora. Nam ſic eum vocant, qui ſuffragiis eorum, ad quos pertinet, electus Imperator, nondum tamen à Ro. Pontifice de more confirmatus eſt. Sed hunc titulum Germani, ſuo ſibi modo videntur confinxiſſe. Rom. Pontifices Regem duntaxat, non etiam Romanorum Regem antiquioribus temporibus appellarunt. c.per venerabilem.de elect. Nouiſſimè tamen & ipſi Romanorum Regem dixere. clem. prima.de iureiur. Porrò Bèrytienſis vrbs, quam hîc nominat, in Phœnice Syria eſt Auguſti beneficiis, vt Vlpianus ſcribit, gratioſa, quæ & Auguſtiana Colonia dicta eſt, & ius Italicum, habuit. l. j. de cen. ea videtur eſſe quam hodie Barutyn vocant, mercatorum orientaliū conuentibus & negotiationibus celebris. Poſtremò vides nō licere alibi, quàm in his tribus vrbibus, exerceri publica legum gymnaſia, niſi ſpeciali priuilegio indultū fuerit. Addit Iacobus ab Arena, inueteratam cōſuetudinem pro priuilegio accipiendam eſſe.l.hoc iure. §.ductus aquę.infrà de aqua quo.& æſti.l.quiſquis.C. de epiſ.& cler.xviij.q.vlt.c. ſeruitium. & c.ſuper quibuſdam. §. præterea.de verb.ſig. quod omnes probant. Denique Patauij nō alio iure, quàm

inueterata conſuetudine, docendarum legum Gymnaſium haberi conſtat. Bononiæ ex priuilegio Lothari Imperatoris conceſſum ferunt, vt Bart. hîc ſcribit. Bologninus ex priuilegio Theodoſij iunioris competere exiſtimat: eius rei teſtimonio eſſe antiqua documenta, quin etiam extare huius priuilegij codicillos. Id priuilegium nec Theodoſij eſſe, ſed prorſus ſubdititium Alciatus putat, titulo de agric. & cen. in tres poſteriores lib. Cod. Si tamen verum id priuilegium eſt, fruſtra veretur Thomas diplomatarius hîc in addi. ad Bar. ne abrogatum ſit, hoc Iuſtiniani decreto: quia fuerit poſt Theodoſiũ Iuſtinianus, ac propterea Bononiæ quoque ſola conſuetudine defendamur. Non enim antiquiorum principum indulta reuocat Iuſtinianus, quin haud obſcurè rata ea eſſe iubet, cùm dicit, & non in aliis locis, quæ à maioribus tale non meruerunt priuilegium. Romani Pontifices ſubiectis ſibi Ciuitatibus priuilegia huiuſmodi ſæpenumero indulſere, prodita etiam in eam rem ſolemni formula (formam erectionis ſtudij, Abreuiatores Pontificij vocant.) Nã quod Ricardus Malumbra, & qui eum ſequuti ſunt, hoc ideò conſtituiſſe Imperatorẽ cenſuere, quòd temporibus ſuis, eorum qui veram ſcientiam tenerent, inopia eſſet: ne, ſi paſſim omnibus vbique gentium interpretari leges permitteretur, falſam doctrinam tradi contingeret. Id vt verum ſit, non propterea tamen ſtatim conſequens eſt quod illi cenſuerunt, vt quia temporibus noſtris veri Iuriſperiti omnibus locis inueniuntur (quod illorum ſeculo perſuaſum fuit, ſed nos haud quaquàm verum exiſtimamus) ceſſante illa ratione, ceſſare debeat etiam prohibitorium hoc decretum, per l. adigere. §. quamuis. de iur. patr. neque enim vlli ferè placuit hęc ſententia (vt Bartolus hoc loco ſcribit) nec nobis probatur. Quippe cauſam eam fuiſſe, quam impulſiuam vocant, non rationem legis, quam finalem dicunt, interpretamur. l. j. §. ſexum. de poſtulando. Nam in dubio impulſiuam fuiſſe cauſam, non finalem præſumi ſolet. glo. in l. ij. §. fi. vbi Bart. de donat. Viglius Inſt. de mil. teſtamento. §. illis. quòd & ſi finalis ratio illa fuerit, tamen an hodie ceſſet, Principis iudicio relinquendum eſt. Nec minus facile quicquam admittendum, quàm vt ſcruptata ratione, vel cauſa legis, ſententiam contorquere cuiquam liceat. l. non omnium. & l. ſeq. vbi dixi. infrà de legib. l. proſpexit, qui & à quibus. cùm ſub tali prætextu, perniciosè errari poſſit. Præſertim autẽ in propoſito negandũ id eſſe, cùm hodie & generaliter obſeruari videamus, ne noua legum gymnaſia, citra Principis autoritatem, vſquàm inſtituantur: conſuetudo enim ipſa legũ optima interpres. l. ſi de interpretatione. infrà de legib.

## §. Illud autem.

IN NOSTRA ORATIONE, ET POST COMPLETVM OPVS IN ALIA *Noſtri numinis conſtitutione ſcripſimus, & nunc vtiliter ponimus, vt nemo audeat eorum, qui libros conſcribunt, ſigna in his ponere, & per compendium ipſi legum interpretationi maximum adferre diſcrimen.* Orationes hîc quoque & conſtitutiones ſuas indifferenter appellat, quæ poſitæ ſunt lib. 1. Cod. ſub titulo, De vet. iur. enucle. vt & initio admonuimus. Hac ergo & duabus illis conſtitutionibus per compendia & ſigna quicquam in his libris ſcribi prohibet. Ac nec quæ ad numeros quidem attinent, hoc modo ſcribi vult, ſed plena atque integra lite-

rarum conſequentia omnia explicari: propterea quòd animaduerterat, multa eo modo ſcripta in iure ciuili corrupta, aut perperam accepta ac malè interpretata eſſe, quin exempla veteris incōmodi hodiéque nōnulla remanent: vt in ſenatuſconſulto Velleiano. *De ea re ita conſuluerunt.* pro, *cenſuerunt*, etiam nunc legitur, quod initio ita ſcriptum fuerit D. E. R. I. C. & ſub titulo, De acquir. hæred. *Pantonius*, pro, *Publius Antonius*, legebatur. quòd ita olim ſcriptum eſſet *P. Antonius*, vt Alciatus demonſtrat, lib. VII. παρέργων. c. XVI. quamuis Haloander, *Pannonius* legendum exiſtimarit. Nouella conſtitutione quadrageſima ſeptima, vt præpo. no. Imp. in fi. etiam in inſtrumentis & actis publicis Imperator hoc obſeruari præcepit, vt tempora, & ſi per numeros deſignata fuerint, tamen etiam expreſſis verbis, & integra literarum ſerie deſcribantur: quod mercatores hodie non ſolùm in commemoratione temporum, ſed in omnibus omnino numeris recenſendis obſeruant. Galbam, qui poſteà fuit Imperator, Tranquillus ſcribit, cùm quingenties ſextertium Liuiæ Auguſtæ teſtamento præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta ſumma erat, hærede Tiberio legatum ad quinquaginta reuocante, ne hæc quidem accepiſſe. Igitur quamquàm non inualidum ſit, quod per compendia & ſigna numerorum, in actis & inſtrumentis ſcribitur. Arg. l. hæredes palam. §. ſed & ſi notam. de teſt. l. quoties. §. ſed ſi nō. de hær. inſt. periculoſum tamen & captioſum eſſe apparet. Sanè quæ Imperator, ſigna & compendia, vocat, eas antiqui notas appellauerunt. Ariſtoteles hoc idem ſimbolum appellat, quod eſt latinè, nota: vt Cic. in Topicis teſtatur. Notis ferè vtebātur exceptores, hoc eſt, qui dictata, vel orationes excipiebant. Quorum etiam nunc in iure mentio eſt. l. ſed & ades. §. fi. loc. Notarū rationem atque interpretationem ex Valerij Probi libello accipere atque intelligere licet. Notas hodie Tiphras vulgò appellari autumat Raphael Volaterranus. Nec teſtamentum verò, nec aliud quodlibet inſtrumentum notis ſcriptum valere hodie ſatis conſtat. l. ſed cùm patronus. §. fi. infrà de bono. poſſ. excepto teſtamento militis, ex ſpeciali ſcilicet priuilegio, quo eis quomodò velint, & quomodò poſſint teſtari permiſſum eſt. ac ne hoc quidem valebit, niſi tabularum ſenſus & veritas legitimis probationibus oſtendi poſſit. l. Lucius. infrà de teſta. mil. Addit Accurſius, hæc omnia intelligenda eſſe de his, quæ meris notis tota perſcripta ſunt, non ſi quid fortè compendij cauſa breuius ſcriptum ſit, quomodò communiter quædam adſtrui conſueuerunt. (abbreuiationes, vel abbreuiaturas vulgò vocant.) Quam ſententiam & Bart. & alij ſequuntur. Ego vt documenta & acta non propterea vitiari crediderim, quum nuſquam hoc cautum ſit. Sic talem quoque ſcribendi morem ab his libris ſummouere voluiſſe Imperatorē exiſtimo, cùm nihil compendio, ſed plena literarum conſequentia omnia ſcribi velle disertè dicat: compendia enim propriè dicuntur huiuſmodi abbreuiationes. Illud non ab re erit admonuiſſe, confutari, vel ex hoc loco, ſi quis hactenus Florentinas Pandectas ab Imperatore ipſo in Italiam miſſas credidit: multa enim in illis libris, contra quam hoc loco præcipiatur, ſcripta eſſe audiuimus.

NEMINE *Iudice ex tali libro recitationem fieri concedente.* Durabat vſque in hæc tempora mos vetuſtus recitandorum in Iudiciis legum, quæ ad propoſi-

ræ cau

tæ cauſæ deciſionem ac definitionem pertinerent. cuius rei alibi quoq; mentio eſt.l.cum prolatis.infrà de re iudic. frequentes interponi videas tales recitationes in orationibus Ciceronis. Hodie etiam Venetiis in vſu eſt, cùm cauſa agitur, non ſolùm acta, ſed & leges recitari, quibus iudices ad iudicandum moueri debeant.

## §. Illud verò.

ILLVD AVTEM SATIS NECESSARIVM CONSTITVTVM SVMMA CVM *Interminatione edicimus, vt nemo audeat neque in hac ſplendidiſſima ciuitate, neque in Berutyenſium pulcherrimo oppido, ex iis qui legitima peragunt ſtudia indignos & peſſimos, imò magis ſeruiles, & quorum effectus iniuria eſt, ludos exercere.* Neceſſariò conſtitutum, legendũ arbitror, non, neceſſarium: ſignificat autem etiam ſuperiorum Principum conſtitutionibus id proſpectum fuiſſe. Enimuerò cùm Beryti & Conſtantinopoli, non etiam Romæ tales ludos exerceri prohibeat, an Romę fieri liceat, dubitatum eſt. Ego quę inciuilia & iniurioſa ſunt, nullo loco licere arbitror, ſed ideò Romæ hæc fieri non prohibuit, vel quia nihil ad ipſum pertinebat, quid Romæ ageretur, ſecundum ea quæ initio diximus, vel quia Romæ talem conſuetudinem inualuiſſe non audiuerat. Hodie nihilominus per laſciuiam & iuuenilem calorem in Italicis quidẽ gymnaſiis immodeſtos ludos exercere non deſinunt, nec omnino contineri poſſunt, velut niuium & malorum iactus & quoſdã ſimiles. Sed an criminis appellatione, ludus quoque indiſtinctè contineatur, quęſitũ eſt. Bar. contineri putat: propterea ſi municipali lege cautũ ſit, vt ob crimen, bannitus impunè occidi poſſit: hunc quoq; qui ob ludum bannitus fuerit, iure cæſum videri. Quinetiam idcirco iuriſperitum quendam qui ſemper obfirmatè id negauerat, oblata ei hac ſcriptura, illico obmutuiſſe. Nos, quicunq; ille fuerit, rationi locũ ſupereſſe credimus. Hîc enim de his duntaxat ludis Imperator loquitur, quorum effectus iniuria eſt, non omnino de omnibus: multos autem ludos eſſe, qui citra crimen exerceri poſſint, non ignotum eſt.

IN *Berutyenſium autem ciuitate.* Elicit hinc Accurſius tres eſſe iuris ſtudioſorum iudices ordinarios, præſidem prouinciæ, & epiſcopũ ciuitatis in qua iuri operam dant, tum doctores, qui eis iura interpretantur. Ego quod hîc conſtitutum eſt, ad eos duntaxat qui Beryti agerent, pertinere non dubito: quod ad cæteros attinet, nihil no ni iuris à Iuſtiniano inductum eſſe, ſed Federici conſtitutione. auth. hac habita. C. ne fil. pro pat. in vniuerſum poſteà definitum eſt, vbi conueniri debeant ferè ſecundum Accur. opinionem.

FINIS PROOEMII.

# D. IVSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS PERPETVO AVGVSTI

Iuris enucleati ex omni veteri iure collecti Digeſtorum, ſeu Pandectarum, liber primus.

His libris ideò Digeſtorum, ſeu Pandectarum nomen impoſuiſſe ſcribit Imperator, quòd omnes diſputationes, ac deciſiones in ſe habeant legitimas, & antiquum ius omne vndique collectum, in ſinus ſuos receperint. l. ij. §. ſed cùm omnia. C. de vet. iur. enucl. Reliqua ad Pandectarum nomen pertinentia, Budæus præclarè docet. is videndus paulò poſt principium ſuarum annotationum. videndus & Aldobrandinus in proœm. Inſtitutionum, in verbo, *Poſt libros quinquaginta Digeſtorum*, & Alciatus lib. III. Diſpunct. c. XII.

## *DE IVSTITIA ET IVRE* *TIT. I.*

Satis conſtat Imperatorem initio mandaſſe, hos libros tam ſecundum Codicis ſui, quàm edicti perpetui ordinationem, atque imitationem diſponi ac digeri, prout Triboniano commodiùs videretur. l. j. §. cumque hæc. C. de vet. iur. enucl. Sed id quidem non vſquequaque factum eſſe apparet ſuprà in proœ. §. & poſt eundem. nam nec ſimilis huic titulus in Codice eſt, nec in edicto perpetuo fuiſſe arbitror. Cæterùm compilatores excogitaſſe, ſub quo iuris & iuſtitiæ definitionem, naturamque & omnino totam originem, quoad res pateretur, atque inſtituto operi conueniret, exprimerent, laudabili prorſus œconomia, vt cùm toto opere de iure ac iuſtitia in ſumma diſputaturi eſſent, illius vim & finem ante omnia cognoſcendum proponerent. Sunt pleraque ex libris inſtitutionum, definitionum ac regularum excerpta non inconcinnè illa quidem, ſed nimis fortaſsè breuiter, vt in tanta copia.

### L. I. VLPIANVS LIBRO I. INSTITVT.

Legebatur in Codicibus communibus, Vlpianus lex j. lex ij. & ſic deinceps hodie permultum vtilitatis afferre poterit, quod pleriſq; locis reſtitutum eſt, quo libro veterum Iuriſconſul. quiſq; quid ſcripſerat. multa enim per hoc faciliùs intelligētur: vt exēplis plurimis Augu. docet lib. I. emen. c. IIII. & ſeq. ſectionē autē & reſponſum quodlibet, ſiue legē, ſiue caput appellare libeat, facilè cōcedendū cenſeo. Caput latinè rectè dicas, & numerorū ordine citari cōuenit. nam

capita

capita iuris propriè dicuntur, vt annotat Aſconius Pædianus. Legem tamen etiam hoc ſenſu appellari voluiſſe videtur Imperator.l.ij. §.tanta.C.de vete.iur. enucle.cùm ait,vnuſquiſque eorum, qui author legis fuit, noſtris Digeſtis inſcriptus eſt,&c.Sed nec à veterum inſtituto abhorret, quòd ab Irnerio ad noſtra vſque tempora factum eſt, tractandis legibus prima quæque ſingulorum capitum verba citare:vt Alciatus docet lib.11 παρέργων.c.vltimo. Et ſanè adiumenti non parum confert,initium cuiuſque capitis memoria tenere,ac promptè & memoriter, vbi res exegerit, pronuntiare: quandoquidem dimidium facti(vt in prouerbio eſt)qui cœpit,habet. Hoc & Irnerij & Azonis ętas reſpexiſſe videntur,cùm vſum hunc induxere.

IVRI OPERAM DATVRVM, PRIVS NOSSE *oportet vnde nomen iuris deſcendat.* Deriuatio atque ethymus nominis ad concipiendam definitionem multùm confert. At definitio ex Dialecticorum doctrina, initio tradi debet, vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatio inſtituitur.Ideò cùm vniuerſo opere de iure diſputaturus ſit,definitionem iuris ſtatim ſubiicit,quod ſimiliter et aliis locis fecit.l.j.infrà de inſt.l.j.de fur.l.j.de re iud.l.iij.de vſuca. l.j.de ſupel.leg.Inſti.de leg. in princ. oportere autem accipiendum eſt,inſtituto conſentaneum atq; oportunum eſſe. Quod quidem non magis propriè dici potuit,quamuis Accurſius latinę linguæ ignoratione impropriè dictum putet,dum pręciſam quandam & ineluctabilem neceſſitatem importare hoc verbum falsò exiſtimat.Cicero pro Cornelio,oportere conſentaneum eſſe officio: licere legibus & iuri:conuenire temporibus & perſonis.Paulus quoque l.penul.infrà ad exhib.Reſpondi non oportere ius ciuile calumniari.

EST AVTEM *Ius à iuſtitia appellatum.* Atqui Grammatici iuſtitiam potiùs à iure,quàm à iuſtitia ius dictum volunt.Ius porrò quaſi iūs dictum eſſe, per vnius literæ immutationem,eam ſcilicet vim boni,quam animis noſtris natura ingenuit, quod reſpiciens Cicero non vno loco, Naturæ iūs eſſe, ſcripſerit, quod nobis innata quędam vis indidit,atq; inſeruit:alij autē à iubendo dictum voluere,quaſi quod populus,aut lex iuſſiſſet.Fuit cùm exiſtimarem ex Germanis & Genuinis,ſiue Celſi,ſiue Vlpiani verbis,aliquid immutatum eſſe per tot tranſlationes,aut certè ſatis habuiſſe Iuriſconſultum, ſi vel alluſionem quandam ſequeretur,dum cōcinniùs hoc modo doceri putat, & quaſi nobiliore loco ius ortum eſſe ſuadere vult. Veniebat in mentem,nō alia ferme ratione Seruium Sulpitium,quem Imperator noſter poſteà ſequutus eſt, Inſti. de teſt.in prin.teſtamentum ſcripſiſſe à mentis conteſtatione dictum: Trebatium verò Sacellum à ſacra & cella,cùm re vera & illud à ſimplici teſtatione, & hoc à ſacro per diminutionem ductum conſtet:quanquàm errorem eis obrepſiſſe ab

aliquibus exiſtimatum fuerit Valla & Aulo Gell. lib. VI. noc. att. c. XII. Nunc & Celſum ſic. ſcripſiſſe, vt modò legimus, & verè ius à iuſtitia dictum puro, non iuſtitiam à iure. Ius, inquit Aſconius Pedianus, ad artem pertinet, officium ad virtutem. Quod de officio dicit, idem ſine dubio & de iuſtitia dicturus foret: eam enim ad animi virtutes referri conſtat. Igitur conſentaneum eſt, vt quemadmodum virtus priùs fuit, quàm ars, ſic & virtutis nomen priùs, quàm artis fuerit, & conſequenter iuſtitiæ quoque nomen priùs, quàm iuris cognitum. Quamobrem Alciato aſſentior, qui lib. I. παρέργων. c. XXV. & XXIX. iuſtitiam non à iure, ſed à vi, quòd vim ſiſtat, dictam arbitratur, aut iuſtitiæ certè ethymum amplius quærendum eſſe: Cum fallax ea res ſit ac lubrica, & in qua ipſe etiam Varro Latinorum & Græcorum omnium doctiſſimus, multos ſæpè luſerit & luſus fuerit, à iuſtitia verò ius & dictum & profectum eſſe nõ dubiè arbitror, cùm etiam iuſtitiam vnicuique ius ſuum tribuere dicamus. Nec mouet me quod ius interdum etiam id dicatur, quod per ſe ſemper æquum & bonum eſt. l. penul. infra eo. quaſi hoc vtique non ad artem, ſed veluti ad rudem materiam, ac ſolam animorum notionem pertineat, vt & ipſa iuſtitia. Reſpondeo enim hoc ſenſu non ferè accipi, niſi cum illa adiectione, gentium aut naturæ: ſine tali verò adiectione, magis propriè iuſtum quàm ius dixeris: iuſtum enim & iniuſtum ad naturam & legem: ius & iniuria ad actionem referuntur: vt Ariſtot. docet, lib. V. Ethycorum. c. VII. & mox dicemus. At Romæ initio (nam ea vox Romæ nata eſt) cùm ſimpliciter ius dicebant, non de iure gentium, aut naturæ, ſed de iure ciuitatis ſuæ intelligebant. Hoc tamen cum eo, quod ſemper æquum & bonum eſt, conuenire exiſtimabant. Ideò quandoque pro eo, quod ſemper æquum & bonũ eſt, accipitur, ſed re vera ciuilium inſtitutorum vrbis propriam ac perpetuam rationem ſignificat. Propterea rectè ab Aſconio dictum, ius ad artem pertinere. Nec alio ſenſu accipi debet, quod initio dixit, Iuri operam daturum. Sed & quod mox ſubdit, eodem pertinet, ait enim.

NAM (VT *Eleganter Celſus definit*) *Ius eſt ars boni & æqui.* Definit Celſus, vt dixi, ius, quod ad artem & ciuilem doctrinam pertinet, hoc eſt, ius ciuile, prout quidem trifariam collectum & conſtitutum eſt, ex præceptis, ſcilicet naturalibus, gentium & ciuilibus. Nam de iure naturali animis inſito, ac velut rudi adhuc materia contento, non poteſt intelligi hæc Celſi definitio, in qua ars velut pro ſubſtantia rei definitæ pronunciatur, quicquid Accurſius commentetur. Conuenit huic Celſi definitioni ea quoque quam tradit Cicero in Topicis. Ius ciuile eſt æquitas conſtituta his, qui in eadem ciuitate ſunt, ad res ſuas obtinendas. Sanè artem rectè Accurſius, vt opinor, ſcientiam interpretatur, eamq́ue ex Porphirij ſententia rectè admonet finitam doctrinam eſſe de infinitis. Eadem ratione Rhethoricem quoque multi definierunt, artem eſſe, vel ſcientiam benedicendi vel perſuadendi, quam tamen qui magis propriè atque acurè loquuti ſunt, minúſque ad præcepta doctrinæ reſpexere, vim & facultatem perſuadendi dixerunt (vt Quintilianus lib. II. orat. Inſt. c. XVI. refert) de iure ciuili accipiendam eſſe hanc definitionem. Alciatus quoque lib. I. παρέργων. c. XXX. conſentit, nihil aliud in ſumma ius eſſe colligens, quàm æquitatis bonitatiſque collectionem, à Iureconſultis noſtris in artem redactam. Æqui & boni verbum

in hac

in hac definitione quomodò accipiendum ſit,abundè diſſerunt Budæus hîc. Alciatus d.c.xxx.& Coraſius lib.11.Miſſell.Iuris.c.xviii.qui & ipſe ius ciuile à Celſo definiri ſentit.Ego æqui & boni verba pinguiore quadã minerua accipi velim,vt tantundem propè ſignificent,ac ſi dicat,æquitatis & iuſtitiæ.nam bonum æquè miſtum idem propemodùm eſſe,quod iuſtum cenſeo. Horatius, Atque ipſa vtilitas iuſti propè mater & æqui.Iuſti videtur dixiſſe,pro boni. Sed an hæc ars,quæ & ciuilis ſapientia,& iuris prudentia,& iuris ſcientia, ac nonnunquàm etiam iuriſperitia dicitur,vna ſit de ſeptem artibus liberalibus,quærit Paulus Caſtren.hîc:& non eſſe exiſtimat.Credo quod in vulgari artium liberalium Cathalogo, ſpecialem iuris prudentiæ mentionem fieri non inuenerat. Verùm cùm præcipua pats philoſophiæ,quæ de moribus appellatur,huic arti ſubiecta ſit,conſentaneum ſanè videtur,vt & iuris prudentia liberalibus artibus non ſecus ac philoſophia ipſa connumererur. Videtur hoc & Vlpianus præſumere, qui cùm liberalium ſtudiorum magiſtris, de ſalariis eorum extra ordinem ius dici docuiſſet,Iuriſconſultis dici negat:non quia,inquit,non ſanctiſſima res ſit ciuilis ſapientia,ſed quia pretio numario æſtimari non poteſt.Non dixit,quia nõ liberalis ars eſt:quin ſacratiſſimam,comparatione aliarum artium, de quibus ſuprà loquutus erat,appellauit.l.j.infrà de var.& extra.cog. Meritò ergo & ipſa liberalibus artibus annumeretur.

Cvivs *Meritò quis nos ſacerdotes appellet.* Meritò,id eſt,iure.Nam hoc ait, Iure nos appellari ſacerdotes huius artis,& ſubdit rationem.Iuſtitiam namque colimus,&c.Alibi antiſtites iuris appellari videas.l.j.C.de decret. Decur.lib.x. Nam quemadmodùm ſacerdotes atque antiſtites ſacrorum & oraculorum,ſic iuriſconſulti æquitatis & iuſtitiæ cuſtodes,atque interpretes ſunt,& legũ myſteriis præſunt,atque operantur.Mirè delirat hoc loco Accurſius,dum pœnitentiæ,quæ à ſacerdotibus hodie iniungi ſolet cõfitentibus,exempla inculcat.

Bonos *Non ſolùm metu pœnarum, verùm præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes.* Sententia antiquiſſimi philoſophi notiſſima,duabus potiſſimùm rebus, præmio & pœna, ciuitates contineri.

Veram, *Niſi fallor,philoſophiam,non ſimulatam adfectantes.* Increbruerat iam inde ab Auguſti temporibus ignauum genus hominum,qui ſe magnopere philoſophos videri vellent,cùm tamen præter ſupercilium & barbam ac pallium,eorum quæ ad philoſophos attinent,haberent nihil. Hos pſeudophiloſophos inſectantur paſſim atque irridenr ſcriptores horum temporum:vt Aulus Gellius Lucianus & alij.Eos hoc loco latenter & quaſi aliud agens perſtringit Iuriſconſultus.odio quippe digni erant,qui ſimulatam philoſophiam ad alendam ignauiam,& ciuilium onerum immunitatem,philoſophis pridem cõceſſam.l.ſed & reprobari.de excuſ.tut.captandam affectabant:hos Imperator Valentianus retrotrahi,& ciuitatibus ſuis reddi iuſſir,vt munera cum cæteris facerent.l.reddatur.C.de profeſſ.& med.lib.xi.fecerant quippe vt infamis iam & ſimulata eſſe videretur omnis Philoſophia. Cæterùm quod Vlpianus hîc, *niſi fallor*, in re ſibi ſanè perſpecta atque explorata dicit:rectiſſimè videtur Paulus Caſtren.inducere ad dictum teſtis,cum hac,vel ſimili verborum modeſtia pro teſtimonio quid dicentis : vt fides ei nihilominus habeatur. Ego amplius

exiſtimo: etſi dicat ſe ita ſentire, aut arbitrari, vel ita videri ſibi (dummodò cætera conueniant) teſtimonium eius æquè valiturū: cùm nec aliter antiqui ſententias, aut teſtimonium iurati dicere ſoliti eſſent, etiam de his quæ cognouerant, ne ſi quid eis (quam humanam eſſe imbecillitatem putabāt) obrepſiſſet, aut falſò apparuiſſet, iuriſiurādi religionibus obſtringerentur: vt Cicero in Academicis, prope finem docet. Manent hodie eius conſuetudinis in iure ciuili veſtigia non pauca, quamuis ab Accurſianis non ſat intellecta. l. quid tamen. §. ſi arbiter. infrà de arb. l. cùm quidam. de iure fiſ. Quamobrem arbitrio iudicis penitus hoc totum committi exiſtimo, quantam fidem cuiuſque teſtimonio adhibeat. l. iij. infrà de teſtibus. nec vulgarem opinionem vtique veram arbitror, quæ à teſte exigitur: vt ita rem ſe habere, atque ita prorſus eſſe dicat, ac ſe penitus per vnum aliquē ex quinque corporis ſenſibus cognouiſſe affirmet, quicquid pro teſtimonio attulit: multa enim etiam intelligentiæ relinquenda, quin & commendandum eum, qui ne periurio ſe obſtringat, cum aliqua dicendi modeſtia teſtimonium fert. qua de re etiā alio loco pleniùs diſputabo. l. ſolam. C. de teſti.

## §. Huius.

Pvblicvm et privatvm. Publicum & priuatum ius ratione ſubiectæ materiæ hîc diſtinguit. Sed ſciendum eſt, autoritate atque vſu æquè vtrunque publicum appellari, tam quod ad priuatas res pertinet, quàm quod ad publicas. Sic teſtandi factionem, ſic edictum prætoris, publici iuris eſſe dictum eſt. l. teſtandi. C. de teſtamen. l. cerdonem. infrà de op. lib. ſic & aliis locis accipitur ius publicum. l. ius publicum. infrà de pactis. l. ſi. de colleg. illic. Nam & leges ipſæ in vniuerſum publicæ ſunt, & ad ſtatum ciuitatis pertinent, cùm ſine his ciuitas diu eſſe non poſſit. Ter. de lege nuptiali. An ne hoc quidem adipiſcar, quod ius publicum eſt? Sanè & ſi quid fiſco, aut templo ex priuata cauſa debeatur, puta, ex teſtamento, vel quouis contractu circumſcripta cauſa priuilegij, ſi quod in ea re habeant, priuatum nihilominus ius vtrique eorum competere dicendum arbitror. arg. l. fiſcus cùm in priuati. infrà de iure fiſ. Quamuis Accurſius & plerique alii aliter videantur exiſtimaſſe. Nam id ſolùm agit Iuriſconſultus hoc loco, vt leges loquentes de publicis & communibus quibuſdam rebus, ſine quibus ciuitas ſtare non poteſt, qualia ſunt ſacra, cerimoniæ Magiſtratus, iura belli & fœderum (quod ius fœciale vocant) publica vectigalia & ſimilia, ab his diſtingunt, quæ ad priuatorum controuerſias diſceptandas ac finiendas ſtatuta ſunt, his verò etiam princeps in contractibus & negotiis ſuis priuatis teneri vult. l. digna vox. C. de leg. ergo & priuatum ius dicendum eſt, quod fiſco, aut Principi ex talibus cauſis competit.

Svnt *Enim quædam publicè vtilia, quædam priuatim.* Subauditur, principaliter, ſecundariò autem & quaſi per cognationem quandam, quod publicè vtile eſt in ciuitate, id & priuatim aliquo modo ſemper prodeſt: & è conuerſo, quod priuatim vtile eſt, etiam publicè prodeſſe ſolet: cùm reipublicæ quidem interſit, habere locupletes & bonos ciues, ciuium autem habere amplam & bene conſtitutā rempublicam. Inſt. de his qui ſunt ſui, vel alie. iu. §. pen. & infrà de pop. act. per totū tit. nec longiorē huius rei diſtinctionē quærendā arbitror.

Publicum

Pvblicvm *Ius,in ſacris,ſacerdotibus & magiſtratibus conſiſtit.* Horum pleraque antiquiſſimo iure Pontificio tractabantur,cuius hodiene veſtigia quidem extant.Conſiſtebat ius publicum ciuitatis Romanæ etiam in fœderibus pacéque & bello.l.conuentionum.infrà de pactis.necnon in auſpiciis & augurum atque aruſpicum diſciplina. Sed hæc pridẽ ante hæc tempora collabi cœperant egréque ſuſtentari,vt Cornelius Tacitus lib.x1.ſcribit. Poſteà per religionem chriſtianam ex toto ſublata ſunt.l.nullus.& l.nemo.C.de Maleſ.& Mathema.Ideò nec verbum quidem de his relatum [illegible]xta ,præterquàm ad improbationem.

Privatvm *Ius tripartitum eſt. Collectum eſt enim ex naturalibus præceptis, aut gentium,aut ciuilibus.* Ratio ſuadet,vt & publicum ex eiſdem præceptis collectum eſſe dicamus.Sed quia de illo nihil,aut non multùm dicturus erat:quòd pleraque ad ius Pontificum,vt dixi,pertinebant,ideò quaſi ſummato illo,diuiſionem & præcepta huius tradere incipit. Agricola in Dialecticis exiſtimauit vitioſam eſſe hanc totam diuiſionem, propterea [illegible] ſacra quoque & cerimoniæ iure gentium conſtitutæ eſſe videantur: & [illegible]o publica aliarum quoque gentium fuerint & ad ſtatum aliarum ciui[illegible] pertinuerint. Quæ autem ad ſtatum rei Ro.pertinent,ea quoque collecta eſſe ex naturalibus præceptis,aut gentium,aut ciuilibus.Sed non intellexit Agricola Vlpianum hoc loco de iure ciuitatis Ro.loqui, cùm dixit, *huius ſtudij duæ ſunt poſitiones &c.* non de iure aliarum ciuitatum,aut gentium,vt Alciatus monet, lib. parad. 11. c. xxxv. Deinde cùm priuatum ius ex illis præceptis collectum eſſe ſcribit, non negat,quin & publicum ex eiſdem fluxerit:vt & Aldobrandinus interpretatur,Inſt.de Iuſt.& iur. §.fi.Nõ enim placet quòd idẽ Alciatus lib. παρέργων 1. c.xxxi. noua ratione in hoc defendi Iuriſconſultum putat, quòd naturalia iuris aliarum gentium præcepta nihil ad ſtatum rei Romanæ ſpectarent:cùm ex eis,inquit,non magis Imperiũ Romanis concederetur in alias gentes,quàm aliis gentibus in Romanos,vt ſcilicet idcirco verum appareat,ius publicum ciuitatis Romanæ non ex omnibus his præceptis collectum eſſe,nec omnino colligi oportuiſſe,ſed ex Ciuilibus tantùm. Non enim publicum ius vrbis Romæ ad proferendum in alios imperium,ſed ad conſeruationem ciuitatis propriè ac principaliter pertinebat:& negari non poteſt,quin Romani in hoc conſtituendo à naturali ratione, & ab aliarum gentium conſuetudine multa acceperint.

Ivs *Naturale eſt,quod natura omnia animalia docuit. Nam ius iſtud, non ſolùm humani generis proprium eſt,ſed omnium animalium,quæ in terra,quæ in mari naſcuntur. Auium quoque commune eſt. Hinc deſcendit maris atque fœminæ coniunctio,quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio.* An ergo & illicitæ coniunctiones iuris naturalis ſint,quærit hîc poſt Accurſium Bart.& putat eſſe.Idem,vt ſignificat,de cæteris quoque omnibus, quibus naturæ impulſu homines delinquunt, reſponſurus. Nã primi, inquit, animorum motus in poteſtate noſtra non ſunt, & natura impellimur ad peccandum.Ego ab exemplis hîc poſitis,ius naturale de iis duntaxat dici intelligo,quæ ſe vel natura,vel opinione ad rectum & bonum habent, quæque ea-

dem homini cum cæteris animantibus ſunt communia. Quare & ſi natura ad iraſcendum impellimur, non continuò tamen iuris naturalis eſſe dicas, per iracundiam hominem occidere, aut verberare. Cùm id recto ac bono cõtrarium & ſit, & habeatur. quin iuris naturalis potiùs fuerit, à cædibus & violentia abſtinere, quod etiã videtur paulò pòſt clarè expreſſum, *hominem homini inſidiari nefas eſſe.* l. vt vim. infra eo. Nunc in propoſito cùm maris & fœminæ coniunctio, ad b[illegible]um ſe ſe habere videtetur, credibile eſt homines inter ſe initio abſque delectu (quo[illegible] [illegible]de & cætera animalia) cõmiſceri ſolitos fuiſſe. Ideò iuris naturalis omnes indifferenter etiam inter aſcendentes & deſcendnetes habitas eſſe cõiunctiones. Se[illegible]æ iure gentium poſteà prohibitæ ac diſtinctæ ſunt, vt oſtendit Paulus, l. ſi, infrà de ritu nup. quo autore quæſtio hæc dilucidè explanatur. Aliæ iure ciuili & moribus, prout quæque gentes & ciuitates poſteà ſibi conſtituerunt, inter[illegible]tæ ſunt. Addit Oldendorpius lib. 1. Variarum lectionum, in prin. iuris nomin[illegible] [illegible]ſpectu animalium brutarũ, hoc & aliis locis abuſos eſſe iuriſconſultos, [illegible]tu ſcilicet & naturæ inſtinctu, atque impulſu. nam iuris nomen, ad ra[illegible] pertinere exiſtimat, qua bruta carent: quod verum arbitror, dum non [illegible]inus de affectibus atque inſtinctu qui ſpeciem boni præ ſe ferat, ſenſiſſe iuri[illegible]ſultos intelligamus.

VIDEMVS *Etenim cætera [illegible]que animalia, feras quoque beſtias, iſtius iuris peritia cenſeri.* Suprà etiam dix[illegible], *ius iſtud*, latinè tamen vſitatius erat, hoc, & huius. Sed compilatoribus vna [illegible]ox pro altera fortaſsè obrepſerit, dum exacta omnia in hos libros transferunt[illegible] [illegible]enſeri hoc loco egregia translatione dictum, quaſi in numerum huiuſce iur[illegible] [illegible]eritorum referri, à conſcribendi cenſus more, arg. l. j. verſi. qui ex duobus. infr[illegible]d Municip. Nam alij facultatibus, alij capite duntaxat, quòd facultates non [illegible]aberent, cenſebantur, & in ſuos quique ordines ac tabulas & numeros referebantur. Vnde & cenſus pro ſubſtantia cuiuſque dictus, & capite cenſi: & recenſere, pro eo quod eſt, relegere atque euoluere. [illegible] hæc iam omnia notiora ſunt, quàm vt à me referantur.

IVS *Gentium eſt, quo gentes humanæ vtuntur. Quòd à naturali recedere inde facilè intelligere licet, quia omnibus illud animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt.* Hoc ius naturali ratione inter homines conſtitutum eſſe ſcribit Imperator, Inſt. de iu. nat. §. quod verò. quare & ius naturale interdum appellari videas, Inſt. de re. diuiſ. §. ſingulorum. Id cùm audis, rectè feceris, ſi ſubintelligas hominũ proprium. Eſt enim ius naturale commune (de quo ſuprà diximus) quod naturale ſimpliciter appellatur, pertinetque nõ ſolùm ad homines, verũ etiam ad alia animalia. Eſt ius naturale proprium humani generis, & hoc dicitur ius gentium. In quo duo requiruntur, vt mox docebimus, in l. ex hoc iure. vt ſcilicet & ratio illud ſuaſerit. d. §. quod verò. & poſteà pro iure receptum ſit generali omnium gentium conſenſione. Non enim ſatis eſt naturali rationi quid conuenire, vt id continuò iuriſgentium eſſe dicas. Nec commodiorẽ appellationem, aut notam veterum Iuriſconſultorũ ſententiæ magis congruentem his adſcribi poſſe arbitror, quàm hanc ipſam proprij & communis diſcretionem. Nam quod recentiores interpretes vulgò ius naturale diſtinxerũt, & illud quidem quod nos ius naturale cõmune appellari maluimus, ipſi ius naturale primarium,

marium,ſeu primæuum vocarunt.hoc verò quod nos proprium humani generis, ipſi ſecundarium ius naturæ nuncuparunt, & id ſanè ius gentium dici conſentientes.Rurſus tamen in primarium & ſecundarium diuiſerunt. Ac primarium quidem ius gentium dixere, quod initio creatis hominibus diuina quadam vi ſtatim indictum eſt:ſecundarium verò quod homines ipſi ſibi poſteà conſtituerunt,qualia ſunt dominiorum acquiſitio,regnorum inſtitutio,bellorum vſus,ſeruitutes.Hęc inquã ab eis tradita, tanquã nimia ſubtilitate excogitata,obſcura etiã docẽdi ratione per incõmoda,nequaquàm recipienda arbitror:cùm re vera nõ niſi vnicũ eſſe ius naturale hominis propriũ appareat,quod ius gentiũ appellatur.d.§.ſingulorũ.à quo hęc omnia gradatim proceſſere.Hãc ſentẽtiã & Corraſius probat lib.vi.Miſcell.c.vltimo.& nos inferiùs etiã attingemus ac pleniùs declarabimus, in l.ex hoc iure.in verbo,obligationes inſtitutæ.

L. II. POMPONIVS LIB. SINGVLA. ENCHIRIDII.

VELVTI ERGA DEVM RELIGIO, ET VT PARENTIBVS PATRIÆQ; *pareamus.* Horum verò ſi tẽpus incidat, vtri magis obediendum ac ſeruiendum ſit,quæritur.Certè in pari cauſa præferenda eſſe patrię neceſſitas,atq; etiã vtilitas videtur: vt plerique philoſophorũ tradiderunt, & Romanorum hiſtoriis docemur.

L. III. FLORENTINVS LIB. I. INSTITVT.

VT VIM ATQVE INIVRIAM PROPVLSEMVS. Videtur hoc quidem à ſuperioribus continenter ductũ,ad ius gentium referri,ſed nihilominus etiã ad ius naturale pertinet.l.iiij.infrà ad leg.Aquil.l.j.§.vim vi.de vi & vi ar. nã cum aliis animalibus cõmune hoc nobis eſt.Credibile eſt autẽ Florentinũ in libro ſuo de iure naturali loquutũ eſſe. Nam etiã paulò pòſt ſubdit,*Et cùm inter nos cognationem quandã natura conſtituerit,&c.*Sed frequẽtes cõpilatorũ lectiones multis locis obſcuritatẽ induxere.

NAM *Hoc iure euenit, vt quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, iure feciſſe exiſtimetur.* Idem reſpondendum eſt,Si ob tutelam rerum,aut propinquorum ſuorum,vel alterius cuiuſlibet quamuis extranei,in periculum tamen adducti faciant. Quinetiam ad id faciendum oppreſſiſque ſubueniẽdum eodem iure homines inter ſe obſtrictos eſſe pleriq; conſentiunt.in tantũ, vt eadẽ pœna delinquentem,& eum qui cùm potuit,iniuriæ obuiam non iuit, puniendũ eſſe traditum ſit.c.quantæ.in fi.de ſent.excom. Oppreſſis autẽ ſubueniendum eſſe,ad idque homines naturali ratione obſtrictos eſſe,docet & Cicero lib.1.of. in prin.dum tamẽ vſquequaque cum moderatione inculpatę tutelæ faciamus, quod iure ciuili poſteà definitum eſt.l.j.C.vnde vi.Cùm autem hoc iure regna & ciuitates conditæ fuerint.l.ex hoc.infra eo.conſequens ſanè eſt,vt regibus ac magiſtratibus licito iure animaduertentibus,pretextu illo quòd corpus tuum, aut tuorum tueri velis,vi obſiſtere non poſſis:ac nec priuato quidem, quibus caſibus priuato permiſſum eſt vindictã ſumere:vt ſi furẽ, aut latronẽ deprehenderit.l.iiij.ad leg.Aquil.l.furem.ad leg.Cor.de ſica.quanquã hęc permiſſio vindictę,non iure gentium,ſed iure ciuili introducta eſt ex legibus duodecim tabularum. Cæterùm ſi per iniuriam, aut contra leges, vel contra bonos mores animaduertere in quenquam magiſtratus velint, an obſiſti eis poſſit, quæſi-

tum eſt? Sed animaduertendum id non eſſe pleriſque viſum, ne ſeditiones & turbæ fiant, præſertim ſi alij ſint ſuperiores magiſtratus, vel princeps ad quos confugias quóſve appellas l. non eſt ſingulis. infrà de reg. iur. & hoc iuri gentium conuenire arbitror, quo ſuæ quiſque gentis regibus & magiſtratibus parere ac ſubeſſe iubetur. Iure ciuili autem ſi ad ſuperiorem poteſtatem prouocatum ſit, & iudex nihilominus exequi ſententiam iniquè pergat, nec in proximo ſit quem prouocaueris, ſiquidem reparabilis iniuria non eſt, reſiſti poſſe exiſtimo. argum. infrà appell. pen. nil. no. l. j. & l. ij. §. initium ſucceſſionis. de origi. iur. Et hoc plerique probant. Abb. c. ſuper eo. col. j. vbi plena additio. de appellatio. Alexan. conſil. CXLI. lib. II. Sed ſi reparabilis iniuria eſt, nequaquam reſiſti debet.

L. IIII. Vlpianvs Lib. I. Instit.

MANVMISSIONES QVOQVE IVRISGENTIVM SVNT. Modus tamen & ritus ac præcepta manumittẽdi, quorũ tractatus ſuis locis cognoſcemus, iuris ciuilis ſunt, & à iure ciuili proditi ac cõfirmati. Est *Autem manumiſsio de manu datio, hoc eſt è manu dimiſsio.* In vulgatis codicibus legebatur, *Eſt autem manumiſsio, datio libertatis.* Propterea quęſitũ ab Accurſio, ſuámne, an alienã, hoc eſt, eius qui manumittitur, libertatem dare manumiſſor intelligatur: vt neutrũ facere poſſe videatur: cùm nec eius, qui adhuc ſeruus eſt, libertas vlla eſſe intelligetur: nec dominus ſuam ipſius libertatem alteri dare intendat, aut omnino poſſit. Sed hoc illud eſt, quod Paulus ait, *Ius ciuile calumniari.* quod quidem corruptela temporum nimis iam vſitatum eſt: nos ſemel eam rem, in vniuerſum admonuiſſe contenti erimus. Quare nec huiuſmodi loca poſthàc attingam.

L. V. Hermogenia. Lib. I. Ivris Epito.

EX HOC IVREGENTIVM INTRODVCTA BELLA. Intellige, iuſta & rationabilia, ne alioquin ex iure iniuriam ortam eſſe dicas, quod abſurdum foret. l. meminerint. C. vnde vi. nam vt Ariſto. lib. x. Ethicorum, capi. ſeptimo, ſcribit. Nemo bellum ob bellum parat: ſanguinolentus quippe, inquit, ne dum iniurioſus videretur, qui pugnas duntaxat, & cædes quæreret. Cauſa ergo hæc diſtinguitur, vt ſciamus, an iure gentium bellum facere liceat. Et imprimis iuſta & rationabilia bella eſſe conſtat, quæ ad propulſandam iniuriam geruntur. l. vt vim. ſupra eo. Nec defenſionis tantùm, ſed & vlciſcendæ iniuriæ, recuperandarum & recipiendarum rerum, corrigendi ac reſarciendi damni, tuendi quos in fidem receperis, & eoſdem ſi iniuria affecti fuerint, vindicandi: vt Ariſtoteles in Rhetoricis ad Alexandrum c. III. ſignificat, proferendæ quoque religionis, denique etiam gloriæ & imperij ſuper exteras atque ignotas gentes comparandi, iuſtas bellorum inferendorum cauſas, hoc iure gentium, de quo agimus, ſemper habitas eſſe exiſtimo. Poſtremum hoc, de quo maximè dubitari potuit, videtur mihi idem Ariſtoteles probare, lib. polit. primo, cap. IIII. & V. prope finem. nec ſolùm iuregentium, ſed & natura iuſtum eſſe bellum dicere, quo eos homines, qui ad parendum nati ſunt, nec parere volunt, armis ſubigimus, & meliori imperio obedire cogimus. Id etiam ipſis vtile eſſe: quare

ſecun

ſecundum Ariſtotelis ſententiam hoc intelligendum erit, de iis gentibus & nationibus, quæ ( vt ait Cicero de Iudæis & Syris) ſeruituti natæ ſunt, nec ſeipſas regere ſatis norunt. Nam quamuis ita definiatur, ſeruitutem eſſe constitutionem iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur, Inſtit. de iure natu. gent. & ciui. §. ius autem. & de iure perſonarum. §. ij. tamen hos tales, qui rationem quidem ſentiunt, ſed ea perfectè non vtuntur, natura ſeruos eſſe, idem Ariſt. eod. lib. c. 111. rectè docet. Quò faciliùs admittendum, vt ſub ditionem atque imperium ciuile, citra durioris ſeruitutis neceſſitatem, reuocari poſſint. Cæterùm ſub hoc quidem prætextu & velamento ſæpenumero per iniuriam illata eſſe bella quietis & innocuis gentibus non negauerim, ſed in ea re ius gentium nihilominus certum manet, quamuis rei veritas ſiniſtra facti interpretatione nonnunquam peruertatur. Nec alius prætextus Alexandro fuit vexandæ Aſiæ, nec Cæſar (quem ob id in ſenatu quidam hoſtibus dedendum cenſuere, quòd feras & ignotas gentes bello vltro adpetiſſet) alia ratione cauſam ſuam defendi potuiſſe, videtur exiſtimaſſe, quàm quòd imperium populi Romani ſuper exteros & Barbaros propagare voluiſſet. Quanquàm illud quidem maximè contra Cæſarem vrgebat, quòd iniuſſu populi, ac citra ſenatus autoritatẽ id bellum geſſerat. ar. leg. iij. ad. leg. Iul. maie. Quòd ſi iuſſu populi feciſſet, tum rectè iuſtúmne an iniuſtum & cõtra ius gentium bellum quod populus iuſſiſſet quęreretur, & Cæſari ex ea re nihil apud ſuos vitio verti poſſet. Illud enim proprio ac ciuili Romanorũ iure pridem additũ, & ab ipſius ferè vrbis Romæ incunabilis obſeruatum eſt, vt ita demum iuſtum bellum cenſeatur, quod talibus ſcilicet ex cauſis ſuſcipitur, ſi & publicè decretum ſit. l. hoſtes. infrà de capti. & poſtlim. & aut repetitis rebus, hoc eſt, expoſtulata iniuria & cauſa quæ ad bellum inferendum mouet, geratur, aut denuntiatum antè ſit & indictum, quod feciali populi Romani iure comprehenſum fuiſſe ſcribit Cicero. lib. 1. offi. Sed id ius quale fuerit, pauci, opinor, intelligunt, nec quiſquam præter Dioniſium Halicarnacenſem, quem viderim, ſatis explicat lib. 11. Romanorum antiqui. Sed quoniam Græci, inquit, carent magiſtratu fœcialium, de poteſtate illius dicendũ eſt, & ętera quę hoc loco referre nimis longum eſſet. Ideò apud autorem ipſum legi poterunt. Quędam tamen ex his etiam iure gentium obſeruata videntur, neque hęc ad cauſam, ſed ad ſolemnia inſtituendi belli pertinent: vt ſi interim ſatisfactum ſit, ab armis quieſcamus & deſiſtamus. Patrum noſtrorum memoria Hiſpaniarum Reges aduerſus Indos atque Antipodas pro gloria & propagando imperio, vt ſcilicet eos ſubigerent ac parere cogerent, feliciſſimè pugnare cœperunt, quod hodiéque faciunt. Aduerſus Mauros tunc eorum finitimos, qui magnam Hiſpaniarum partem, vel Romanis, vel aliis ademptam occupauerant, pro religione certarunt Corinthiis Romani ſolius vindictæ cauſa, quòd legatos ſuos contra ius gentium pulſaſſent, bellum intulerunt, & eorum vrbem deleuerunt. Iam reliquis de cauſis earum quas memorauimus, quoties bella geſſerint, notiora ſunt exempla, quàm vt à me referantur. Deniq; plena horũ hiſtoria eſt, non Romana ſolùm, verùm etiã Græca & Barbara atq; omniũ omnino nationum, vt nõ immeritò iuris gentiũ id eſſe exiſtimemus, quod humanę gentes communi quadã con-

ſenſione ſemper inter ſe egerunt,& ius faſque eſſe perpetuò exiſtimarunt.Nam quod Accurtius & Bart.hic, licitum id demum bellum eſſe tradunt, quod populus aut princeps decreuerit, quódque ad propulſandam iniuriam infertur, non omnino ſatis eſt,vt totam rem planè intelligas,cùm non diſtinctè & clarè(vt oportuit)quid à iure gentium,quid à iure ciuili ſit, oſtendant. Suetonius in Auguſto,Nec vlli,inquit, genti ſine iuſtis & neceſſariis cauſis bellũ intulit, tantúmque abſuit cupiditate imperium, vel bellicam gloriam quoquo modo augendi, vt quorundam Barbarorum principes in æde Martis vltoris iurare coëgerit,manſuros ſe in fide ac pace,quam peterent.Iuſtas ſimul & neceſſarias cauſas voluiſſe habere Auguſtum ſignificat,non iuſtas tantùm, vt bella inferret.Ideò pro imperio & belli gloria augenda non certaſſe, quaſi ſuo iure id facere potuerit, vt Romano imperio Barbaros parere cogeret. Sanè cùm inter duos populos bellum geritur,vt inter Parthos & Romanos: non poſſe vtrunque eorum iuſtam cauſam fouere, ſed alterum iure, alterum iniuria facere , & tamen verum vtrinque iure gentium bellũ eſſe,quamquàm ab vna parte iniquè ſuſceptum: ideoque & capta hincinde fieri capientium, ſatis inter omnes conſtat.Addit Alciatus lib. III .parad.c. XXI. etiam iuſtum interim vtrinque eſſe bellum,propter ambiguitatem ſcilicet,quæ oritur ex mutua contentione. Sed hoc ego verum arbitror,quantùm ad conſenſionem iuriſgentium duntaxat & effectus belli.Nam non ſolùm quod natura rectum eſt, ſed etiam quod legitimum,hoc eſt,legibus & iuri cognitum,iuſtum dicitur. Tale autem bellum ſine dubio iure gentium geritur,ergo & legitimum eſt. Sed quamquàm legitimum ſit,hoc eſt,iure gentium approbatum,natura tamen vt iuſtum ſit, ex parte illius qui iniquam cauſam fouet, nullo modo effici poteſt.nam quod idem Alciatus ad extremum,quaſi reticens quæ in eam ſententiam diſſeruerat,iure noſtro illicita omnia bella eſſe adſcripſit, propterea quòd apud Paulum legerat, Ab hoſtibus captos per iniuriam detineri.l. poſtliminium.in prin. de capti.probare equidem non poſſum,quando huic ſententię conſequens foret,vt nec de nobis capta efficerentur hoſtium,nec quæ nos de hoſtibus ceperimus,noſtra fierent,cùm claudicare iuris diſpoſitio non debeat. Pauli autem verba alio intuitu prolata,non tanti eſſe arbitror,vt vniuerſum ius belli egregiè his libris perſcriptũ deſtruant atq; euertant. Quod ergo Paulus ait,captos per iniuriã ab exteris detineri, nõ aliò pertinet,quàm vt ſignificet quibus cum nos bella gerimus,malam cauſam eos fouere vſquequaque præſumendum eſſe,ac propterea iniuſtum ex parte eorum bellum eſſe, non quòd ad legem, ſed quòd ad recti naturam attinet,vt prædiximus. Ideo qui tali bello ex nobis capti ab hoſtibus per vim detinebantur, eos vbi ad nos redierint, meritò priſtinum ſtatum recipere.

DISCRETAE *Gentes.* Gens à gente diſcreta eſt.Ergo hominum genera, & nationes,atque in his familiæ inter ſe diſcretæ ſunt.Sed & prouinciæ: dum tamen prouincias intelligamus,non eas terras,quas bello partas Romani in formam prouinciarum redegerunt,quæ proprio vocabulo prouinciæ à nobis appellantur.l.notionem.§. continentes.de verb. ſignificati. Nam diuiſiones hæ à Romanis factæ magis ad ius ciuile pertinent,ſed accipiamus omnes omnino

terra

terrarum partes & tegiones,quæ inter ſe initio diſtinctæ & ſeparatæ ſunt.

REGNA *Condita.* An ergo etiam vrbes ac ciuitates hoc iure conſtitutas dicimus,an ſuo quamque iure, hoc eſt, ciuili? Et ſanè coitio ciuium vniuſcuiuſque ciuitatis inter ſe ſuo queque iure magis cenſeri videtur. Cæterùm in vniuerſum omnes iure gentium conſtant.Murorum quoque & ædificiorum ratio in vniuerſum ad ius gentium refertur. Nam domos & tecta ſibi condere homines initio cœperunt,& hoc eſt quod mox dicit,*Aedificia collocata.*Nam collocata ſine dubio legendum videtur, vt Haloander emendauit, non collata,vt erat in vulgatis codicibus.Ex quo infertur,iure gentium licere vnicuique domum,caſtrum,villam,prætorium in ſuo ſibi ædificare,niſi quatenus iure ciuili poſteà prohibitum eſt.l.per prouincias.C.de ædifici.pri.l.quicunque caſtellorum.C.de fundis limitrophis.lib.XI.quod ad publicam ſecuritatem pertinet.

DOMINIA *Diſtincta.* Ergo iure naturali antiquiſſimo omnia communia, vel certè nullius in bonis erant.Et hoc ſanè intelligunt doctores,tam de mobilibus tebus,quàm de his quæ ſoli ſunt. Quod ſi verum eſt, quæritur, furtum quamobrem lege naturali prohibitum eſſe admittere Paulus & Vlpianus ſcripſerint.l.j.in fin.infrà de fur.l. probrum. de verb. ſignific. videtur enim potiùs iure gentium prohibitum dici oportuiſſe, cùm furtum nihil aliud ſit, quàm contrectatio rei alienæ.d.l.j. Reſpondeo, vel de iure naturali hominum proprio(quod nihil aliud eſt,quàm ius gentium)Paulus loquitur,vel certè etiam iure naturali communi ac primæuo furtum admitti nefas eſt. Hoc enim ipſo quòd aliquis rem occupauerat,ac penes ſe habebat,vtique plus iuris ei eſſe debebat in retinendo,quàm alij in ſurripiendo atque auferendo. Nam occupatio antiquitùs idem propemodùm præſtabat,quod nunc dominium. Quod verò Alciatus cenſuit,in d.l.probrum.nec iure quidem gentium prohiberi furtum,ſed iute ciuili tantùm:rectè(vt opinor)ab Auguſtino confutatum eſt, lib. IIII.emend.Diuus quoque Auguſtinus in libris de ciuitate Dei, complura ad hanc quæſtionem pertinentia explicat,quibus additur Ariſtoteles in Problem. ſectione XII. problem.vltimo capi.Nos eorum loca indicaſſe ſat habemus.

COMMERCIVM. Haloander corrigit, *Commercia.* Sed veterem ſcripturam magis probo.Nam commercia plurali numero aut nuſquàm apud bonos autores inuenire eſt,aut raro.Semel quidem apud Lucanum lib. VI. Et mihi ſunt tacitæ commercia linguæ. Commercium autem accipe negotiationem & conuentum,atque congreſſum hominum inter ſe,mercaturæ aliarumq́ue rerum contrahendarum & gerendarum cauſa. Cicero , Voluptas nullum habet cum virtute commercium.Frequentiùs tamen ad merces, & res ipſas refertur. Idem Cicero,Commercium in eo agro nemini eſt.& alibi,locum illum ſenatorium illi vendidit, cui ne commercium quidem eſſe oportebat, dicitur, & ius commercij,quod ſpecialiter ad redemptionem captiuorum attinet, cuius frequens mẽtio ſub titulo de captiuis,& poſtl.reuer.in Codi.& in his libris. Nam quòd Accurſius, generale nomen ad ſolas rerum permutationes reſtringendum putat,haud quaquàm placet,nec ita iuriſconſultum ſenſiſſe arbitror.

OBLIGATIONES *Inſtituta ſunt,exceptis quibuſdam quæ à iure ciuili introducta ſunt.* Adnotaui ſupra l.j.§. fina. ius naturale dici , proprium & commune,

Proprium,quod hominibus ſolis conuenit.Commune quod tam reliquis animalibus,quàm humano generi natura inditum eſt.Et proprium quidem illud vſitatiore nomine,ius gentium appellari vidimus.Igitur vt perfectè intelligamus,quæ obligationes ſimpliciter naturales ſint, quæ iuris gentium, in huius capitis interpretatione,eadem relatione vtendum eſt. Sed hoc amplius ſciendum, veteres iuriſconſultos non ( vt ius naturale) quibuſdam appellationibus diſtinxere: ſic obligationes quoque, quæ ex naturali communi iure diſcedunt, alio nomine, quàm quæ ex iure gentium proueniunt, appellaſſe .non enim hoc fecerunt, ſed vtraſque vno nomine naturales, ſcilicet appellauere.l. Stichum. §.naturalis. de ſolut. Quinimò auſim dicere, ad propriã dumtaxat humani generis naturæ rationem,atque æquitatem eos reſpexiſſe, cùm naturales obligationes dixerunt,non ad communem illum nobis cum cæteris animalibus naturæ inſtinctum:nam hoc ſenſu legiſſe, nuſquam in iure memini. Credo quòd ius illud naturale, commune abuſiuè dicitur, pro naturali quodam inſtinctu omnium animalium, vt ſuprà dixi l.j. §. ius naturale. eod. titu. cùm ius ad rationem pertineat,qua bruta carent.Quare multò magis abuſiuè diceretur etiam obligatio eodem ſenſu,argu. not.in.l.j.C. de do. promiſſ. Animalia enim rationis expertia,ad aliquid dandum,vel faciendum, obligata eſſe, qui poſſis dicere, cùm traditum ſit , nihil ea poſſe committere , propter quod obligentur,quia ſenſu carent.l.j. §.ait prætor.ſi quad. paup. fe.di.Sed nec quod ait,iure gentium,obligationes inſtitutas eſſe , protinus ſic accipiendum eſt, vt doctores communiter accipere videntur:quaſi quodcunque dari,fieri debere, naturalis hæc animi noſtri ratio ſuadet,eius rei etiam iure gentium obligationem conſtitutam, aut inductam fuiſſe, continuò credamus. Nam ratio à iure multùm differt,argu.l.cùm ratio.in prin. de bo.dam. Ratio enim ad animum, & naturam pertinet,ius ad actionem, atque exercitationem , vt ſuprà docuimus,eo.titu.l.j.ſcholio ſecundo.Quamobtem an aliquid iuris gentium ſit,non ex natura & rationes ſcrutari conuenit,ſed ex facto,hoc eſt,ex eo,an communiter id inter homines obſeruandum receptum fuerit: alioquin nimiò plura, & minutiora,quàm par ſit, iuris gentium eſſe dicendum fuerit. Contrà autem, quodcunque iuris gentium eſt,id etiam naturali rationi conuenire arbitror, præterquàm in paucis: quæ vtilitatis cauſa, per neceſſariam quandam conſequentiam,contra naturalem hanc rationem, atque æquitatem recepi oportuit,vt mox docebo.Nam communis illa omnium gentium,& nationum conſenſio:non niſi in his quæ maximè rationabilia ſunt, videtur exiſtere potuiſſe, & hoc ſenſu accipienda ſunt verba Pauli,in l.cùm amplius. §.is natura.de regu. iur.Dum eum natura debere ait,quem iure gentium dare oportet,cuius fidem ſequuti ſumus.Dicit enim,qui iure gentium debet, eum etiam natura debere, non autem è conuerſo.vt omnes videntur crediſiſſe.Eadem interpretatio aliis quoque locis facienda eſt,vbi ſimiliter eadem ſententia refertur.Inſt.de iu. nat. §.quod verò.Enimuero cùm inter ciues Romanos certo iure agi,ſemel decretum eſſet:primùm de obligationibus ita definitum eſt,Inſt.de actio.in prin.neminem ex his,qui quoquomodo obligati ſunt,ad ſolutionem vrgeri poſſe,niſi ſecundum noſtrę ciuitatis iura,quod & illa ratione effici neceſſe erat:quia ſine

actione neminem experiri voluerunt,actiones autem ex iure ciuili compoſitæ ſunt.l.j.§.deinde.infrà de orig. iur. Igitur imprimis naturalium obligationum, hoc eſt,earum quas naturalis ratio generaliter ſuadebat,quædam iure ciuili agnitæ ſunt atque approbatæ,& conſequenter illarum nomine actiones compoſitæ:quædam in ſuo ſtatu ſimpliciter relictæ. Imprimis obligationes omnes quæ iuregentium receptę, aut introductę fuerant,indiſtinctè approbatæ ſunt. arg.l.iutiſgentium.in princ.infrà de pactis.nuſquàm enim in iure noſtro quicquam quod iuriſgentium ſit,nõ acceptum videas & legibus, aut moribus noſtris comprobatum.Quædam autem prætereà arbitratu principum,aut populi,vel magiſtratuum introductæ ſunt,hæ quidem etiam rationabiliter(vt putarunt)ſed propria tamen quadam ratione Romæ duntaxat, vel certè nõ omnibus locis,& nationibus in vniuerſum cognita.Quæ ratione quadam,& naturali æquitate ſubnixæ cùm eſſent,agnitæ tamen non ſunt, hæ in ſuo nomine remanſerunt,vocantúrq; obligationes naturales, quarum nullus effectus maior,quàm vt ſi eo nomine à ſciente aliquid ſolutum ſit, repetitio non detur,toto tit.infrà de cond.ind.Quaſcumque autem Romanis legibus introductas diximus,aut comprobatas(comprobatę autem omnes ferè ſunt,quarum idonea cauſa viſa eſt,vt præteriri eas non oporteret)hæ ciuiles generaliter dictæ. Inſt. de oblig. §.j.vbi glo.in verbo,iure ciuili.quæ tamen & ipſæ propriis nominibus inter ſe diſtinguuntur:vt aliæ quidem iuriſgentium dicãtur,alię autem legitimæ,arg.l.conuentionum.& l.ſeq.infrà de pactis.Ciuiles autem ideò dicuntur,vt intelligamus,iure ciuili efficaces eas eſſe factas,quibus debitores vrgere poſſimus ad ſolutionem.Sunt tamen eędem & naturales, hoc eſt, naturali rationi, atque æquitati cognitæ, eáque ſubnixæ.Nam ſi quidem à iuregentium ſunt, iusgentium cum naturali ratione congruit:ſi à certa lege, & lex ipſa vtique rationabilis eſt,nec ſine idonea cauſa rogari ſolet.c.erit.iiij.diſtin.His cõſtitutis,interdum euenit,vt qui ciuili obligatione alium obſtrictum tenet, puta, ex ſtipulatu,nonnunquàm æquitate ſola deficiatur,vt ſi nuda pactione conuenit,ſe nihil eo nomine petiturum. Et hoc caſu dicimus naturalẽ obligationem tolli.l.ſi vnus. §.pactus ne peteret.de pact.ciuilem remanere. Quod & ab initio contingere poſſe exiſtimant, videlicet, vt ſola ciuilis obligatio ſine fundamento naturalis æquitatis inducatur:vtputa,Si quis alteri per iniuriam condemnatus ſit.Item ex literarum obligatione,poſt biennium,pecunia interim non numerata.Nonnunquàm ſolo iuris ciuilis auxilio deſtituitur quis, naturalis æquitatis vinculo remanente,velut ſi peregrinus factus ſit, qui initio contractæ ſtipulationis in ciuitate erat.l.j.C.de hær.inſt.vel ſi contra eum iudicatum ſit, non deberi ei,quod re vera debebatur.l.Iulianus.de cond.ind.Et hoc caſu, ciuilem obligationem,remanente naturali,intercedere dicimus. Superiore ſpecie, cùm ſcilicet ęquitate deficiẽte,naturalis obligatio intercidit, per exceptionem aduerſus rigorem iuris ſuccurri ſolet.At ſi naturalis obligatio ab initio non affuit,dũmodò ciuiliter quis obligatus fuerit,ea obligatio ciuilis perinde efficax eſt,ad pariendam actionẽ,ac ſi cum naturali coniuncta eſſet.Poſteriore autem ſpecie,cùm ſublata obligatiõe ciuili,remaneat naturalis, creditori nihil auxilio eſſe poteſt, niſi debitor ſciens ei ſoluat, tunc enim repetere non poteſt: quod

omnium naturalium obligationum cõmune eſt:vt prędiximus. Quòd ſi quando ex naturali obligatione actionem oriri legas, tunc ſine dubio, naturalẽ hanc obligationem etiam ciuilem appellari poſſe, præſumendum eſt. l. fideiuſſor. §. fideiuſſor. infrà de fideiuſ. l. naturalis. de act. & ob. l. j. §. debitũ. de conſti. pec. Nam lex eam agnoſcendo, atque approbando (quod facit cùm ex ea actionem dari mandat) etiam ciuilẽ eam eſſe facit. His cognitis, facile intellectu eſt, quod Triphonius ſcribit, in l. ſi id quod. de cond. ind. Si dominus, id quod ſeruo debuit, manumiſſo ſoluerit, repetere nõ poſſe: quia naturale agnouit debitũ. vt enim libertas, inquit, naturali iure continetur, & dominatio ex gentiũ iure introducta eſt: ita debiti, vel indebiti rationẽ in condictione naturaliter intelligendã eſſe. Quod ait, naturaliter, nec ſecundum ius naturale omnium animaliũ commune intelligendum eſt, vtpote cum illo iure obligationes introductę nullę ſint, rurſus nec ſecundum ius gentiũ, quo quidem id potiſſimum inductum eſt, vt ſeruus & dominus (quòd attinet ad acquiſitionẽ) vna atq; eadem perſona intelligantur: ſed ſecundum naturalem rationem, hominũ naturę propriã accipi debet, quę latiùs multò patet, quàm iusgentium: vtpote, à qua iusgentiũ manauit. Cęterùm hoc iusgẽtiũ cùm ſeruitutes cõſtituit, atque introduxit, quãuis in vno cõtra hãc naturalẽ rationẽ facere viſum ſit, dũ libertatẽ homini naturã inditã, violẽter aufert: in altero tamen haud ſanè leuioris momẽti naturalẽ ipſam rationem, atq; æquitatem ſequutũ eſt, vt ſcilicet infirmiores melioribus ſubiicerentur, atq; parerẽt, quod etiã ipſis vtile futurũ eſſet, ſecundũ ea quę ſuprà dixi, in prin. huius capitis. Quod & ſi deteriores ſint qui bello vicerint, aut eorũ iniuſta cauſa fuerit, nihilominus tamẽ adhuc ratio quędam ſupereſt, cum naturali ęquitate cõgruẽs, qua rectè cõſtitui viſum, vt bello capti victoribus ſuis ſeruirẽt, potiùs videlicet, quã vt ab his occiderentur. Igitur ꝙ naturali iuri cõtrariã fuiſſe ſeruitutẽ Imperator ſcribit. Inſt. de iu. na. gen. & ciui. §. ij. exaudiendũ magis eſſe apparet, de naturali inſtinctu, atq; impulſu, nobis cum cęteris animalibus cõmuni, quo omnia animalia libera eſſe cupiũt, quã de naturali ac propria hominum ratione, quę ſine dubio potiùs id efficit, quod modò diximus. Nec mòuet me quòd Paul. Caſtr. in l. manumiſſiones. infra eo. & in d. l. ſi id quod. de cõd. ind. videtur affirmare, accipiẽda eſſe illa verba Imperatoris, de iure naturali hominũ proprio, hoc eſt, de iure gẽtiũ: quia, inquit, in brutis nõ eſt dare libertatẽ. Reſpõdeo enim, hoc verũ nõ eſſe, & facilè depręhendi, ſi naturã ipſam cõſideremus. Docet hoc etiã Æſopicę fabellę exẽplũ, quo equum cũ ceruo pugnaturũ, hominem ſibi in dorſo collocaſſe ſcribit: exinde equum homini ſeruire coactũ eſſe, quãuis victor, illo certamine diſceſſiſſet, ceruum autẽ, libertatem ſuã retinuiſſe, quãuis detrimẽtũ in pręſentia acceperit. Enimuerò ſemel introducta ſeruitute, poſteà per neceſſariã quandam conſequentiã, aliquid contra naturalem hanc hominũ propriam rationem tantiſper recipi neceſſe fuit, veluti quod dominus ſeruo promiſerit, vt hoc iure nõ debeatur. Sed naturali tamẽ ratione deberi apparet, quam ius gentiũ nõ ſuſtulit, ſed pro tẽpore depreſſam tenet. Idẽ quoque contingit in vſucapione, quę iuris ciuilis eſt, reſpectu iuriſgentium, quod in ſeruitute (quæ iuriſgentium eſt) contingere diximus, reſpectu rationis naturalis. Nam cùm ſemel ciuitates, & dominia diſtingui iuregentiũ inductũ eſſet, bono

publico ciuitatis noſtrę,hoc eſt,Romanę,introducta eſt vſucapio:ne dominia diu in ſuſpenſo eſſent.l.j.de vſuc. Cæterùm ſi rem tuam vſuceperim, eáque mox ad te peruenerit,naturalis ratio illa,quæ à iuregentium cœpit,tunc cùm dominia diſtincta ſunt,efficit vt tu quod tuum eſt,recepiſſe videare, ego eam rem à te petere nullo iure poſſim.l.ſi quis emptiones.C. de præſcri. xxx. vel xl.annorum.In propoſito autem ſi tu ſeruo meo ſic promiſeris,vt vel naturalis duntaxat obligatio,vel naturalis ſimul & ciuilis ex tua promiſſione orta ſit, quia iuregentium inductum,ac poſteà etiam iure ciuili comprobatum eſt.in l.frater à fratre.de cond.ind.vbi Bar.& in d.l.Si id quod.vt ea obligatio qualiſcunque ſit,mihi non ſeruo ipſi acquiratur, additum etiam eodem iure ciuili (prout nos interpretamur.l.placet,infrà de acquir.hær.)vt nec momento quidem temporis penes ſeruũ obligatio conſiſtere cenſeatur.Ideò ſeruo ipſi poſteà manumiſſo nulla te nec ciuili,nec naturali ratione teneri conſtat, quia ſcilicet initio mihi ſtatim quæſita eſt obligatio.Cæterùm potiùs contra naturalẽ æquitatem eſſet,ſi vnica promiſſione vni facta,duobus te in ſolidũ obligatum eſſe vellemus dicere.Igitur ſi manumiſſo ſolueris, vſquequaque repetere poſſe te non eſt dubium.Ego autem,qui dominus ſerui ſui,etiam ad ſolutionem te vrgere poſſum,ſi ciuilis fuit ea obligatio.Sin naturalis,illud inſpiciendum erit,an ſciens mihi ſolueris,vt repetere non poſſis.Hæc de obligationibus, quomodò iure naturali,gentium,aut ciuili introductæ,aut agnitæ ſint,in vniuerſum dixiſſe ſatis eſt,ad huius capitis interpretationem.Rurſus autem de actionibus,an iure gentium inſtitutæ ſint,an iure ciuili quæritur?Et ſi quidem actiones intelligimus formulas & conceptiones verborum,quæ compoſitæ ſunt,vt inter ſe ciues Romani experirentur:non videtur dubium, quin hæ iuris ciuilis ſint.l.ij. §.deinde.infrà de orig.iur.ſin ius perſequendi iudicio quod ſibi debetur,accipiamus,idque ex contractu iurisgentium deſcendat,& inter ciues Romanos agi proponatur:ſine dubio & hæ ad ius ciuile pertinent,vt prædiximus . quia ciues non niſi iure ciuili agere inter ſe poſſunt:Iure autem ciuili comprobatur, & confirmatur iuſgentium,addito agendi modo. Quòd ſi inter exteros agi proponatur,ſine dubio iuriſgentium eſſe puto,nec præter eas,quæ ex obligationibus iuriſgentium deſcendunt,vllas efficaces eſſe arbitror. Denique Prætorem peregrinum Romæ non niſi ex iuregentium ius dicere conſueuiſſe arbitror,cùm apud eum inter exteros diſceptaretur.Idque etiam hodie,ſi res incidat,fieri oportere,veluti ſi Indus fortè,aut Perſa mercaturæ,vel alia de cauſa, apud nos moram trahens,iudicio quid petat. Qua in re ab interpretibus noſtris,ſic diſtingui ſolere,non me latet:vt quæ ad iudicij ordinationem pertinent, ex iure ciuitatis in qua iudicium agitur, etiam exteri obſeruent: deciſio cauſæ ex communi Romanorum iure conſtituatur.l. cunctos populos. C.de ſum.tri.& fi.catho.ſed hæc dicere videntur,quia Prætores peregrinos non habemus, vel quòd harum rerum vim haud omnino ſatis intelligunt. Ratio autem efficere videtur ea quæ nos affirmamus.

## L. VI. Vlpianus. Lib. I. Instit.

IVS CIVILE EST QVOD NEQVE IN TOTVM *à iure naturali, vel gentium recedit, neque per omnia ei ſeruit.* Hoc ita ait, Quia quod in ciuitate conſtituitur, ſi in totum à iure naturali, vel gentium recedat, hoc eſt, ei repugnet atque aduerſetur, non ius, ſed iniuria ciuilis appellanda eſſe videtur. c. erit autem lex. vbi glo. iiij. diſt. Non enim aduerſus ius naturale, vel gentium conſtitui licet, niſi ex magna cauſa: quã rem Bar. & recentiores longiſſimis tractatibus perſequuntur, in l. j. de conſt. prin. nos etiam inferius attingemus, in l. lex naturæ. de ſtatu hom. Ex hoc loco ſumi poteſt argumentũ aduerſus leges municipales, quæ quibuſdam locis contra naturalem rationem ſub prætextu boni publici conſtitutæ ſunt. Qualia ſunt, conſanguineus obligetur pro conſanguineo, Deſtruantur ædificia eorum qui crimen aliquod admiſiſſe dicuntur (quanquàm vetuſtiſſimum morem hunc fuiſſe appareat ex hiſtoriis Rom.) quibuſdam temporibus impunitas ſit delictorum, Damnetur & necetur quis, deinde accuſetur, vel aduerſus eum quæratur, ac defenſiones eius tum demũ audiantur, & ſiqua ſimilia, quorum nimiò plura quàm velis vbique reperias. Efficit huius capitis ratio, vt non valeant, ac primo quoque tempore abolenda ſint. arg. etiã l. ſi priuatus. infrà, qui & à quib. l. quoties. de pollicit. Arguit quippe iniquitas & duritíes taliũ legum, dolo malo verſatos eſſe, qui eas cõſtituerunt, quod & ipſum facit, vt valere non debeant. l. j. in fi. de except. doli. c. cùm omnes. de cõſt. Paul. Caſt. latè in l. j. nu. iij. infrà de legib. Nec mouet me quod Accur. exiſtimat, vſucapionẽ iuri gentium prorſus cõtrariã eſſe, atque ob id nõ parùm laborat. Reſpondeo enim vſucapionem cum iuregentium aliquomodo conuenire, quo qui in vacua veniebant occupatione ipſa, dominium nanciſcebantur, vt ait Cic. lib. off. j. Nam non alia ratione iure ciuili deinde introducta eſt vſucapio, quàm ne rerũ dominia diu in incerto eſſent. Quomodò autem cõmune bonum initio cauſa fuit, vt dominia diſtinguerẽtur, quò ſcilicet, ſolertius homines colerent vnuſquiſq; quod ſuũ eſſet, ſic & bono publico ciuitatis noſtræ poſteà inducta eſt vſuca. l. j. de vſuc. quare & iuſgentiũ quodãmodò in hoc ipſo imitatur. Sed cũ iuſgentium contra ius naturale videatur induxiſſe ſeruitutẽ, cur non & ius ciuile cõtra ius gentiũ aliquid poſſe dicamus? Reſpondeo, Seruitus non omnino cõtra ius naturale eſt (ſecundũ ea quæ proximè diximus) & ſi tamen ſit, ex cauſa receptam eſſe negari nõ poteſt, vt etiam admonuimus. quo exẽplo & ius ciuile contra ius gentium ex cauſa aliquid cõſtituere poſſe confitendum eſt. Prætereà & ſi nihil poſſet, non mirũ id eſt: quia vtique plus valere vniuerſarũ gentium quàm vnius ciuitatis cõſenſus debuit in vniuerſum. Quod ait, *Neque per omnia ei ſeruit.* Senſus apertus eſt, quia ſi ius ciuile iurigẽtium per omnia ſeruiret, iam non propriũ ius ciuile, ſed purum, merum & germanum iuſgentium appellandum eſſet, vt Triphonius vocat, in l. bona fides. depoſ. Quò fit, vt ſi lex municipij idem ſanxerit, quod ius ciuile, de tali lege périnde ac de iure ciuili iudicandum ſit: quod & Paul. Caſtren. putat. l. prima. §. ſi quæ verò pragmaticæ. Cod. de Iuſt.

Cod.confir.vbi tex.quamuis Barto.& plerique alij contra ſenſerint.l.j.infrà ad leg.Falc.non ſat firmis rationibus.nam eas Alcia.rectè confutat,lib.v.παρέργων.c.xxiii.Illud rectè videtur Accur. admonere,vniuerſum ius noſtrũ quod his atque aliis libris perſcriptũ eſt,quamuis iuris naturalis & gentiũ crebram mentionem faciant,& præcepta complexum ſit:nihilominus tamen proprium ius ciuile cenſendum eſſe,quia ſcilicet iuri naturali,vel gentiũ ſemper aliquid addit, aut detrahit,ſi non in materia,at ſaltem in obſeruatione atque in forma.

## L. IX. Caivs. Lib. I. Institv.

OMNES POPVLI QVI LEGIBVS ET MORIBVS *reguntur,partim ſuo proprio,partim communi omnium hominum iure vtuntur,&c.* Non dici poteſt, quàm perniciosè erratum ſit,in huius capitis interpretatione,dum hæc verba ſic vulgò accipiunt,quaſi per ea relatum ſit,vnius cuiuſque oppidi,vrbis,aut vici,incolis & municipibus,quas velint ſibi leges & iura condere licere:quin & collegiorum conſortibus ac ſodalibus idem conceſſum eſſe autoritate huius reſponſi voluerunt.qua in re longiſſimè omnium à vero erraſſe videtur mihi Paulus Caſtren. qui nullum prorſus in ea re delectum habet, neque modum tenet, quin omnibus quicunque ſint, indifferenter permiſſum dicat. Nam Barto. & quidam alij verecundiùs fecerunt, cùm diſtinctionibus quibuſdam rem temperarunt, quam tamen in vniuerſum reſtringere & cohibere oportebit. Nos breuiſſimè ſic definiri poſſe arbitramur:vt ſiquidem de exteris populis quæramus,expedita res ſit, poſſe eos quas velint ſibi leges ſtatuere. Exteros autem populos multos eſſe,qui vel amicitiam, vel bellum, aut pacem, vel fœdus cum populo Romano habeant: vel neque pacem,neque amicitiam, neque fœdus habeant, neque bellum nobiſcum gerant, ignotum non eſt.l. poſtliminij ius.infrà de capt. l. non dubito. eod. titu. Hi ſeu liberi ſint,ſeu ſub Regibus ſuis agant, ſuo ſibi more ſtatuta faciant: hoc proprium illorum ius ciuile, ac populare appellabitur. Leges noſtræ nihil ad ipſos attinent:nam quod ſcribit Proculus d.l.non dubito. in fi.Si apud nos rei fiant,ex ciuitatibus fœderatis,& in eos damnatos animaduertere nos poſſe:ſic videtur accipiendum, vt rei fiant ex delictis apud nos commiſſis.qua de re magna inter Barto. & Bald. contentio. Barto.d.l. non dubito. Bald.in l.exequutore.C.de exeq.re.iu. & vide Budæum,in d.l.non dubito. Quæ verò gentes & nationes ac populi ſub imperio Roma.agunt, quoniam Antonini conſtitutione, omnes ciuitate Roma. donati ſunt, & quaſi vnum corpus atque vnus populus effectus eſt.l.in orbe. infrà de ſtat. homi.quod & pridem quodammodò fuerat Italis & Latinis omnibus, ac municipiis plurimis ciuitate Ro. donatis. Vnde Cicero in lib.de petit. conſulatus,Roma,inquit,eſt Ciuitas ex nationũ conuentu conſtituta.Hi pro vno populo ſimul omnes accipiuntur,quod & Albe.hîc animaduertit.col.ij.De his cũ quæritur,an vniuerſi aliquid conſtituere poſſint, ad principem referri oportet,in quem omne ius & poteſtas lege Regia perpetuò translata eſt.l.j. infrà de

conſt.ptinc.l.j.de off.præf.præt.Princeps verò ita decreuit leges condere,deinceps ad ſolum ipſum Imperatorē pertinere.l.fi.C.de legib.l.ſi quod extraordinarium.C.de legation.lib.x.vt etiam in diſcrimen ventum ſit,an Senatus ius facere poſſit.qua de re inferiùs tractabimus.l.non ambigitur.de legib.Sed vacante ſede imperij,ſi omnes coëant & conſentiant,vt per Tribus xxxv. olim facere ſolebant,antequàm Imperatores crearentur (circumſcripta illa difficultate quæ ingeritur,ex eo quòd electio Imperatoris ad principes Germanos hodie perpetuò translata eſſe dicitur)exiſtamarim legem facere poſſe,quæ deinceps in vniuerſum populum atque imperium Rom.valeat. Si quærimus de ſingulis nationibus & ciuitatibus, ſciendum eſt,quædam initio ſic veniſſe in poteſtatem ac ditionem Pop. Rom. vt ſuis legibus deinceps nihiloſeciùs vterentur: quod ſaluis legibus dedere ſe dicebant,quo iure omnia ferè municipia erant, vt ſcribit Aul.Gell.lib.xvi.noct.att.cap.xiii.quamuis eam rem iam tum obliteratam fuiſſe dicat,ac Romanis legibus & iure omnes viuere cœpiſſe,idque ſibi etiam honorificentiùs exiſtimaſſe.De his ſi conſtare poſſet,quæ quibus legibus ſaluis inditionem Pop.Rom.venerint,vt de Siculis,apud quos non Romano tantùm iure,ſed & ſuæ cuiuſque ciuitatis legibus agi conſueuiſſe, ſcribit Aſcon. Pædianus:hæc ſuis legibus vti poſſe non dubitauerim. Nouum autem ius ſibi conſtituere non poſſe,niſi vt cæteri,de quibus mox dicam.Nam & verbum illud,Saluis legibus,de iis quæ tunc habuerunt, accipiendum videtur,& generalis prohibitio poſteà ſubſequuta,ne cui præterquàm principi leges facere liceat.d.l.fin.facultatem ſi qua eis relicta eſſet,omnino abſtulit. His declaratis,nulli ciuitati aut genti,quæ ſubſit imperio Romano contra formam iuris publici quicquam conſtituere licere arbitror.Quòd ſi iuri publico non aduerſentur,quanlibet legem ſibi ferre poſſe,magis in vim cuiuſdam pacti quàm legis valiturā,vt de ſodalibus ac collegiis dicimus,idque multis locis in iure probari puto.l.fin.de colleg.ill.d.l.fin.C.de legib.l.ij.§.hoc autem. C.de vete.iur. enu.nam ciuitates Romano imperio ſubiectæ, priuatorum loco habentur.l. bona ciuitatis.de verb.ſign.at priuatorum pactionibus, ius publicum mutari non poſſe,certum eſt.l.contra iuris.l.ius publicum.l.iuriſgentium. §.ſi paciſcar. de pact.l.nec ex prætorio.de reg.iur.cui ſententiæ conuenit, quod & Bald.l. humanum.C.de legib.& Pontificij iuris interpretes,c.cùm acceſſiſſent.de conſtitut.frequentiùs tradiderunt,ſubditorum ſtatuta,principis confirmatione vſquequaque indigeri:quia ſcilicet plerunque vltra quàm eis licet, progrediuntur,dum inter ſe quædam ſtatuunt, quæ pactionibus efficere haudquaquàm poſſunt: vtpote iuri publico aduerſantia. Quomodò autem ius publicum lædi intelligatur,& quatenus progredi paciſcendo liceat,ad alium tractatum pertinet,in quo & ipſa veterum iuriſconſultorum ſententia non obſcurè cognoſci poteſt.d.§.ſi paciſcar.Nos eam rem ſuo loco, quo ad eius fieri poterit, in vniuerſum explicare conabimur.l.legis virtus.infrà de legib. d.l.ius publicum.l.ſi quis pro reo.poſt Barto. & ſcribentes infrà de fideiuſſoribus. Secundum hanc ſententiam conſtituendum videtur,vbicunque legis municipij,ad formam iuris publici pertinentis in iure mentio eſt.l.fin.de decr.ab ord.fac.l.j. C.de emancip.liber.l.Anthiochenſium.de priuil.cred.l.j.verſi.niſi fortè.ad Municip.

nicip.lege,Lucius.§.fina.codē titu.lege,ſemper.§.legem quoque.de iure immuni.iuncta lege prima.C.de decre.decur.libro x.l.iij.§.planè.quod vi aut clam. qua lege diuerſum,aut contrarium aliquid iuri communi in municipio ſtatutum, aut obſeruatum fuiſſe ſignificatur, vt de ea lege accipiamus,qua ſalua municipium in ditionem populi Romani initio venerit, vel quam Princeps poſteà ſpecialiter approbauerit,aut Municipio indulſerit.dd.ll.cuiuſmodi multa Pompeium magnum,Syllam,C.Cæſarem & Auguſtum quibuſdam ciuitatibus Aſiæ & Bityniæ indulſiſſe tum alij tum Plinius Cæcilius in epiſtolis ad Traianum memorat, quæ quidē magis proprio vocabulo priuilegia,quàm leges nuncupantur.dicta lege,prima, dicta l.Antiochinum. Eſt tamen etiam frequens in iure mentio earum legum municipalium, quæ ad ius publicum non pertinerent.Sed de ijs rebus latæ eſſent,de quibus vel inter priuatos paciſci licet.lege,nulli.quod cuiuſque vniuerſ.nomi.lege,item eorum.infra eodem titu.lege,finali.§.ſed ea.de muner.& hon.lege, prima.de albo ſcriben.quibus priuilegij nomen non rectè addideris. Alia verò vſitatiſſima appellatione,lex municipalis dici videtur, generalis forma & lex Romæ lata, qua de omnibus municipijs & eorum iure in vniuerſum cōprehenſum erat,ad quam Paulus librum ſingularem ſcripſiſſe memoratur,indice ante digeſta. Accipitur hoc ſenſu titulus primus libro vltimo Digeſtorum, *Ad municipalem & de incolis*: vt ſubaudiamus legem,vt & Politianus & Budæus admonuerunt. Budęus, lege municeps. eodem titu.quamuis quænam ea eſſet lex,non ſatis perſpectum habuiſſe videantur.Eius legis mentio Vlpiano,lege,tertia.de decret.ab ordin.fac. cùm ait,lege municipali caueri,vt ordo non aliter habeatur,quàm duabus partibus adhibitis:& in conſtiturione Cod.lege,prima.de ſeru.reip.manum. Si ita, inquit, vt lege municipali, conſtitutionibúſque principum comprehenditur &c. Ego talem quandam legem fuiſſe arbitror, qualis olim Licinia & Muria de ciuibus regundis in ſua quibúſque ciuitate, cuius Cicero & Aſconius Pedianus meminerunt in oratione pro Cornelio.Apparet enim legem fuiſſe generalem de omnibus municipijs in vniuerſum loquentem, quod & reſponſa ferè omnia ſub illo tirul. ad Municip. & deinceps ſubſequentibus quoque titulis congeſta indicant. Quamuis autem citra Principis autoritatem non poſſint Municipes quicquam contra formam iuris publici conſtituere, tamen ſi qua inueterata conſuetudo ſit in Municipio,qua aliquo reſpectu rationabilis,aut aliqua neceſſitate ſuadente inducta eſſe videatur: Hanc quoque (licet iuri ſcripto quadam tenus aduerſari videatur)obſeruari debere exiſtimo, idq́; iuri conſentaneum eſſe.lege finali.C.de teſta.lege prima,& vltima.quæ ſit lon. conſ.lege,obſeruare.vbi glo.in verbo conſuetudinem.infrà de offic.procon.lege,non tantùm.de dec.lege ſecunda.C.eodem titulo.l.venditor.§.ſi conſtat. com.præd.lege,ſi ſine.§.Lucius.de adminiſt.tuto.quaſi Municipium ab initio ſalua ea lege & conſuetudine in ditionem populi Roman. veniſſe præſumatur: cùm quidem perpetuò obſeruatā eam eſſe appareat,quòd ſi poſteà inualuiſſe talem conſuetudinem conſtare poſſit, nihilominus adhuc idem dicendum arbitror,ad principem tamen interim referendum, qui perpenſis rationibus,an ea ſequenda ſit, ſtatuet. Nam alioqui iure ſatis definitum eſt, non

poſſe conſuetudinem legem vincere.lege,ſecunda.C.quæ ſit long.conſuetu. Qua de re & alibi dicemus.leg.de quibus.& lege ſequen.infrà de legib.perrarò enim admittenda erit conſuetudo,ne contra leges faciendi occaſionem præbeamus. Hæc de legibus & ſtatutis municipalibus,déque ijs qui ea condere poſſunt,in vniuerſum dicta ſint.

L. X. Vlpianvs Lib. I. Regvlarvm.

IVstitia est constans et perpetua *voluntas,ius ſuum vnicuique tribuens.* Qua ratione reprehẽderint quidam hanc definitionem, quid his rurſus reſpondeatur, quomodò Cicero atque alij iuſtitiam definierint, & quædam alia ſcitu digna, leges apud Alciat.libro primo parer.cap. xxxi. Budæus quoque in hunc locum multa cumulat. Plura verò ad iuſtitiæ cognitionem & tractationem pertinentia mirabiliter,vt omnia,ſcribit Ariſtote.libro quinto.& hic cap.j.& ſequen.Eorum ſcripta nobis indicaſſe ſatis eſt. Illud addendum exiſtimauimus,Victorinum quoque Rhetorem initio expoſitionis in primum librum Rhetoricon Ciceronis, Iuſtitiam congruenter huic Vlpiani ſententiæ definijſſe. Iuſtitia,inquit, eſt animi habitus ita informatus, vt omnibus mentis tribuat dignitatem,quo loco,meritis,pro mentis,corrigendum puto.

L. XI. Pavlvs Lib. XIIII. Ad Sabinvm.

IVs plvribvs modis dicitvr, vno *quidem modo id quod ſemper æquum & bonum eſt,ius dicitur.* Notauimus ſupra lege prima.ſcholio.ij. Ius hoc ſignificatu non ferè accipi,niſi cum illa adiectione gentium, aut natura expreſſa, vel ſubintellecta. Simpliciter autem hoc ſenſu qui velit dicere, rectius eum dicturum eſſe iuſtum,quàm ius. Nam ius & iniuria ex Ariſto.ſententia,lib.Polit.v.c.viii.ferè ad actionem & effectum referuntur. Iuſtum verò & iniuſtum ad naturam, aut ad legem: & hoc eſt, quod propriè ſemper æquum & bonum eſſe dicere poſſumus,præſumendo ſcilicet leges vtique bonas eſſe,& ſapienter conſcriptas.

Alia *ſignificatione ius dicitur locus,in quo ius redditur.* Hoc ſenſu confeſſum in iure accipiamus,vt habeatur pro condemnato.l.j.C.de confeſſ. Sic intelligi debet,cùm dicimus, in ius vocare:& in lege.xii.Tab.Quando te in iure conſpicio &c.

## *DE ORIGINE IVRIS CIVILIS ET omnium magiſtratuum & ſucceſſione iuris prudentum.*

Titvlvs II.

Vix alius eſt tractatus magis vtilis, aut neceſſarius iuris prudentiæ candidatis, quàm hic quem aggredimur. Vix alius rurſum quem ſuperiorum temporum imperiti iuris periti magis neglexerint, ac velut clauſis oculis pertranſierint, dum hiſtoricam hanc cognitionem tanquàm ſuperuacuam aſpernantur. Sed fuerit id temporum vitium, Recentiores certè

Budæus

Budæus Zaſius Oldendorpius aliíque non incelebris nominis iuriſconſuti ita agnouere, vt non aliam iuris partem diligentiùs ac pleniùs interpretandam putauerint. Horum præcipuus Zaſius interpretatione ſua, non minùs ſe totius Romanæ hiſtoriæ, quàm iuriſprudentiæ conſultum oſtendit. Tantorum virorum opera nos labore leuati, pauca duntaxàt quædam pro ſuſcepti muneris ratione adnotauimus. Cætera ex eorum libris petuntur.

L. I. Caivs. Lib. Ad .I Leges XII. Tab.

FACTVRI LEGVM VETVSTARVM INTERPRETATIONEM. Commemorantur ſuprà in indice, quem his libris Imperator præpoſuit, Caij ad leges libri x v. Hi erant ad leges x i i. Tab. vt inſcriptio huius capitis oſtendit, in his ita Caius exordiebatur. Id exordium ad ius ciuile in vniuerſum Imperator tranſtulit, vt & ſæpe alia diuerſiore etiam interdum ratione à ſcriptorum ſenſu, dum ex eorum verbis, quod propoſito ſuo bonum atque commodum eſt, quoquo modo efficere ſtudet. Quare ſæpe incidimus in difficultates, nonnunquàm etiam in perplexitates inextricabiles.

L. II. Pomponivs Lib. singvlarvm Enchiridii.

NECESSARIVM ITAQVE. Inſcribuntur & alia capita ex hoc libro ſingulari Pomponij .l. veluti ſupra tit. j. Sed in indice non liber ſingularis, ſed libri duo Enchiridij Pomponio aſcribuntur. quare vel ſubeſſe mendum eo loco arbitror, vel hunc librum in duas diuiſum fuiſſe partes. Enchiridij liber latinè dicitur manualis.

## §. Deinde.

DEINDE *Cornelius Sylla publicas quæſtiones conſtituit, veluti de falſo de parricidio, de ſicarijs, de iniurijs & prætores quatuor adiecit.* Exiſtimaui operæpretium me facturum, ſi verba Cornelij Taciti, de principijs iuris ad ſua vſque tempora, quibus ad varietatem ac multitudinem infinitam legum peruentum eſſe dicit, hoc loco adſcriberẽ, quo Zaſium hæſitaſſe video, tum quòd his verbis dubitationem omnem eximi arbitror, tum quòd iuris noſtri progreſſum omnem, diuerſâ quadam ratione non minùs elegãter explicant, quàm hoc loco Pomponius explicauerit. Ea ſunt libro tertio Annalium hæc. Vetuſtiſſimi mortalium nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eóque ſine pœna, aut coërcionibus agebant, neque præmijs opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio peterentur, & vbi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquàm exui æqualitas, & pro modeſtia ac pudore, ambitio & vis incedebat, prouenere dominationes, multóſque apud populos æternum manſere. Quidam ſtatim, aut poſtquàm Regum pertæſum, leges maluerunt. Hæ primò rudibus hominum animis, ſimplices erant. Maximéq; fama celebrauit Cretenſium, quas Minos Spartanorũ, quas Lycurgus: mox Athenieſibus quæ

„ ſitiores iam & plures Solon perſcripſit. Nobis Romulus,vt libitum,imperitauerat:dein Numa religionibus & diuino iure populum deuinxit, repertáque quædam à Tullo & Anco. Sed præcipuus Seruius Tullius ſanctor legum fuit, quîs etiam Reges obtemperarent. Pulſo Tarquinio, aduerſum patrum factiones multa populus parauit tuendæ libertatis, & firmandæ concordiæ: creatíque decemuiri,& accitis quæ vſquam egregia, compoſitæ duodecim tabulæ, finis æqui iuris. Nam ſecutæ leges,& ſi aliquando in maleficos ex delicto,ſæpiùs tamen diſſentione ordinum, & adipiſcendi liciros honores,aut pellendi claros viros, aliáque ob praua per vim latæ ſunt. Hinc Gracchi & Saturnini turbatores plebis,nec minor largitor nomine Senatus Druſus,corrupti ſpe aut illuſi per interceſſionem ſocij. Ac ne bello quidem Italico,mox ciuili omiſſum,uin multa & diuerſa ſciſcerētur,donec L.Sulla dictator, abolitis, vel conuerſis prioribus, cùm plura addidiſſet, ocium ei rei haud in longum parauit, ſtatim turbidis lepidi rogationibus:neque multò pòſt Tribunis reddita licentia,quoquò vellent populum agitandi. Iamque non modò in commune ſed in ſingulos homines latæ quæſtiones, & corruptiſſima rep.plurimę leges. Tum Gn. Pompeius tertiùm conſul corrigendis moribus delectus, & grauior remedijs quàm delicta erant, ſuarúmque legum autor,idem ac ſubuerſor, quæ armis tuebatur,armis amouit. Exin continua per viginti annos diſcordia, non mos, non ius. Deterrima quæque impune ac multa honeſta exitio fuere. Sexto demum conſulatu,Cæſar Auguſtus potentiæ ſecurus,quæ triumuiratu iuſſerat,aboleuit,deditque iura,quis pace & principe vteremur, acriora ex eo vincula,inditi, cuſtodes,& lege Pappia Poppæa præmijs inducti, vt ſi à priuilegijs parentum ceſſaretur,velut parens omnium populus vacantia teneret. Sed altiùs penetrabant, vrbémque & Italiam, & quod vſquam ciuium corripuerant, multorúmque exſciſi ſtatus,& terror omnibus intentabatur, ni Tiberius ſtatuendo remedio quinque conſularium quinque à prætorijs, totidem è cætero ſenatu ſorte duxiſſet,apud quos exoluti plerique legis nexus, modicum in præſens leuamentum fuere. Hactenus Tacitus. Ex his verbis illud quoque apparet, Cornelium Syllam dictatorem eſſe, de quo Pomponius loquitur. Cicero quoque in oratione pro Cluentio. Poſteà,inquit,L. Sylla homo à populi cauſa remotiſſimus: tamen cùm huius rei quæſtionem hac ipſa lege conſtitueret,qua vos hoc tempore iudicatis &c. Loquitur de lege à C.Gracccho primùm lata contra ſenatores qui coijſſent, vt quis iudicio publico condemnaretur. Cuius rei quæſtionem ea ipſa lege à Sylla poſteà conſtitutam dicit. Hic eſt enim ſine dubio ille L. Sylla,qui poſteà Felix apellatus eſt,cùm per vim remp. poſſediſſet,& dictaturam perpetuam inuaſiſſet,ab initijs bonarum actionum, vt Aſconius ait,ad perditas progreſſus, quanuis Zaſius,an is fuerit dubitare ſe dicat. Quæſtiones autem à Sylla conſtitutas quomodò accipiendum ſit,declarant eadem Taciti verba,cum ſcilicet abolitis,aut conuerſis prioribus legibus, plura etiam addidiſſe eum dicit. Debemus etiam intelligere conſtitutas quæſtiones, ex eo quòd iudicia ab equitibus Rom. ad Senatores tranſtulit, quod Aſcon.in Verrinis ſæpe admonet,& ita Ciceronis verba frequentiſſima de conſtitutis iudicijs interpretatur. Quæſtio enim hoc loco iudicium ſignificat, &

con

conſtituere quæſtionem,iudicio peragendo certam formam præſcribere. Sed Sylla iure poteſtatis ſuæ etiam de pœnis criminum quædam canit:quod & ſenatus ſæpe fecit,cùm vel hactenus ei crimini,cuius quęſtio decerneretur, propoſita pœna non eſſet, vel vetus lex nimis facilis, aut nimis aſpera videretur. Nam & ipſum conſtituendæ quæſtionis decretum : plerumque aut lex, aut Senatuſconſultum erat. Quare magnum Ciceroni negotium, cùm pro Milone diceret,ſuadere iudicibus, nihil noui iuris, quò magis minúſve damnaretur Millo, ſtatutum fuiſſe ea lege, quam Pompeius tulerat, qua nominatim,vt de cæde Claudij in Appia via facta quæreretur,comprehenderat,& explicando iudicio certam formam dederat. In Antonium autem, quod attinebat,inquit, noua lege quæri de eo qui hominem occidiſſet, cùm eſſet quęſtio legibus conſtituta ? Tum in eadem oratione pro Milone, oratorio more cauſæ ſeruiens. Pompeius,inquit, de iure, non de facto quæſtionem tulit,hoc eſt, vt quæreretur, an iure Clodius occiſus eſſet, non autem an omnino occiſus eſſet.Nam perpetuæ quæſtones vt eſſent pridè ante L. Syllam conſtitutũ fuiſſe,tum ſupraſcripta Taciti verba, tum idem Cicero ſignificat in lib.de clariſ. oratoribus, cùm de L. Gellio oratore loquens,ita ſcribit,Eóque forum tenente, plura fieri iudicia cœpere. Nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ anteà nullæ fuerant.L. enim Piſo Tribunus pleb. legem primus de pecunijs repetundis Cenſorino & Mancilio Conſſ.tulit. Hactenus Cicero, cuius verba non ita accipienda ſunt, quaſi ante id tempus de quo loquitur, ſignificet nullos fuiſſe qnæſitores, & ( vt nunc dicimus ) iudices ordinarios, apud quos quotidiana crimina punirentur, quod quidam exiſtimarunt. Nimium quippe negotium Senatui, aut Tribunis, vel conſilibus fuiſſet, ſi in ſingula ſingulorum crimina, ſpecialibus legibus, aut Senatuſconſultis proſpicere per momenta neceſſe habuiſſent,aut omnibus ad populum diem dici neceſſarium fuiſſet.Sed erant Quæſtores parricidij, apud quos homicidia & cædes vindicabantur,quorum Pomponius ſuprà mentionem fecit, & à populo conſtitui ſolitos,vt capitalibus rebus præeſſent, dixit,eorúmq; etiam meminiſſe legem xij. tab.Eranr & triumuiri capitales, quorum & Plautus meminit,in Amphitr.* Si tres viri me in carcerem compegerint.Et Horatius cùm ait, Sectus flagellis hic triumuiralibus pręconis ad faſtidium. Apud hos autẽ & fures & ſerui nequam,vt Aſcon,ait ad columnam Mœniam puniri ſolebant.Quare, Cicero in diuinatione, Vobis autem inquit,tanra inopia reorum,vt mihi cauſam præripere connemini potiùs, quàm aliquos veſtri ordinis reos à columna Mœnia reperiatis ? Eos habuiſſe carceris cuſtodiam,& cùm animaduerti oporteret,ipſorum interuentu fieri ſolitum,Pomponius ipſe proximè tradidit. Perpetuas ergo quęſtiones illo tempore quaſdam conſtitutas fuiſſe,quæ anteà nõ eſſent,intelligere debemus,vt Repetundarum,Ambitus,Peculatus,& ſimilium criminum,quæ ante partum pop.Romano in exteras gentes imperium,ne cognita quidem erant. Non omnino autem nullas quæſtiones fuiſſe credendum eſt eorum criminum, quæ quotidie committerentur & legibus xij. tab. vel quibuſuis alijs,prout è rep.gradatim viſum eſſet, ante id tempus vindicari iuberentur.nam hoc abſurdum eſſet. Indicat id ipſum etiam verbum illud,*Plu-*

*ra*, quod non ferè ſine comparatione dici ſolet, expreſſa vel ſubintellecta, quicquid apud Gellium Capito commenteтur lib. v. cap. x x i. Sanè quibus legibus nouæ ac perpetuæ quæſtiones conſtituebantur, his aut nominatim de eo quoque qui quæſtioni præeſſet, qui Quæſitor dicitur, déque Iudicibus qui ei in cōſilio eſſent, quomodò creari deberent, cauebatur, vt in illa Gn. Pompeij de cæde Clodij, vt Quæſitor ſuffragio populi, ex ijs qui conſules fuerant crearetur. Iudices propoſiti ab ipſo Pompeiò fuerunt, & apud Liuium lib. i x. Decreta quæſtio, ſimul & Dictator qui eam exercerent C. Menenius dictus vel ſi de Quæſitore comprehenſum non eſſet, aut manente lege Quæſitor datus eſſe deſiiſſet, quod plerūque accidebat, huic rei ſic proſpiciebatur, vt Prætores creati ſingulis annis inter prouincias & munera ſortirentur etiam has ipſas legum & iudiciorum publicorum quæſtiones exercēdas, alij alias, vel nonnunquàm etiam vnus omnes, prout vel publicæ occupationes ferrent, vel reorum, ac iudiciorum multitudo poſcere videretur. Id ex his Ciceronis verbis pro Murena cognoſci poteſt, & Budæus animaduertit in l. prima, ad leg. Corn. de ſicar. quanuis verba Ciceronis ad manum non habuerit. Quid in ipſa prætura, inquit, nihil ne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem interfuiſſe? huius ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarij tibi optabamus, iuriſdicundi: in qua gloriam conciliat magnitudo negotij, gratiam æquitatis largitio, qua in ſorte ſapiēs prætor, qualis hic fuit, offenſionem vitat æqualitate decernendi, beneuolentiam adiungit lenitate audiendi: egregia & ad conſulatum apta prouincia, in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum ludorum voluptate concluditur. Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatus, ex altera parte lachrimarum & & ſqualoris & ex altera plena cathenarum, atque iudicum. cogendi, iudices, inuiti retinendi, contra voluntatem ſcriba damnatus, ordo totus alienus. Sylla- na gratificatio reprehenſa, multi viri fortes & propè pars ciuitatis offenſa eſt, lites ſeuerè æſtimatæ, cui placet obliuiſcitur, cui dolet, meminit, &c. Hactenus Cicero nec hoc ſolùm loco, ſed & alijs quæ colligere non vacat. Durauit autē hic mos ſortiendarum quæſtionum etiam in tempora Imperatorum, vt ex his verbis Taciti cognoſcitur, Annalium lib. v. de fœnore ſupra modum exercito loquentis. Sed tum Gracchus prætor cui ea quæſtio euenerat, multitudine periclitantium retulit ad Senatum &c. Significat hoc etiam Papin. in l. j. infrà de off. eius. lege Iulia de vi nominatim cauetur, vt is cui contigerit exercitatio, poſſit eam, ſi proficiſcatur, mandare. quo loco in libris Thuſcis, non contigerit, ſed, obtigerit, ſcriptum eſſe accepimus. Nec ſolæ quæſtiones ex nouis legibus, ſed omnia omnino capitalia prætoribus mandari conſueuiſſe apparet. Nam Quæſtores parricidij haud diu fuerunt. Liuius lib. v. Dec. v. Aulo Manlio Torquato Sardinia obuenerat, nequijt ire in prouinciā ad res capitales quærendas ex s. c. retentus. Non mirùm ergo ſi iudicia publicarum huiuſmodi quæſtionum plerunque apud Prætores exercebantur. Prætores enim ordinarii Quæſitores erant, non hi quibus iuriſdictio vrbana peregrináve obueniſſet, nam hæc ad ciuilia negotia pertinebat, vt & verba Ciceronis oſtendunt, ſed quibus ſpeciale id munus obtigiſſet, vt quæſtiones exercerent, quod de prætoribus in prætores deinceps perpetuabatur. Aſconius in

argu

argumento Diuinationis in Verrem, cognouiſſe tunc temporis de pecunijs repetundis M. Glabrionem prætorem, & ampliſſimos quoſque ſenatorij ordinis iudicaſſe, hoc eſt, in conſilio ei fuiſſe refert, & in argumento primæ actionis: cùm videret, inquit Cicero, id agi, vt à Glabrione prætore, & ab ijs iudicibus qui tunc erant, ad alium annum, aliúmque prætorem res tota tranſiret, eriperetúrque ſibi reus patrocinio Hortenſij, ac Metelli, qui tunc conſſ. futuri erant &c. Denique omnia huiuſmodi iudicia, quibus Ciceronis orationes pro reis dictas exponit, apud prætores acta eſſe commemorat. Prætores quoque quatuor quos hoc loco adieciſſe Syllam Pomponius refert: ideò adiectas eſſe intelligere debemus, quià conſtitutis ex integro atque auctis ab ipſo iudicijs & quæſtionibus, plura iam munera atque prouinciæ prætoribus incumbebant, vt plures pluribus negotijs deinceps ſufficerent. Poſterioribus temporibus vbi Monarchæ Imperatores eſſe cœperunt, criminales quæſtiones plerunque à præfecto vrbis exerceri cœptæ. Prætoribus ſpecies antiquitatis magis, quàm effectus remanſit. Sed hac de re ſuo dicemus loco. l. j. de off. præt. vrbi. Illud præterea adnotandum ex verbis Taciti, tres potiſſimùm fuiſſe, qui leges & iudicia publica conſtituerent, Syllam, Pompeium, & Auguſtum. Vnde nec aliæ ferè de his rebus hodie leges extant, niſi Corneliæ, Pompeiæ & Iuliæ. Nam Auguſtus leges ſuas, nō in honorem Iulij Cæſaris (vt quidam putant) ſed quia ipſe in nomen Cæſaris adoptatus erat, & C. Iulius Cæſar Octauius dicebatur, Iulius appellari voluit. l. j. ad legem Iul. de adulte. Quare & edicta Iulia Horatio dicuntur. Hæc omnia cognouiſſe ſuo loco vtile erit. l. j. de offic. eius. l. imperium. de iuriſdi. omnium iudi. Poſtremò quia quæſtionem de iniurijs quaſi publicam enumerat, idémque etiam Venuleius interdum fecit, in l. hos accuſare. §. omnibus. de accuſ. Quod & Vlpianus præſumere videtur, in l. prætor edixit. §. j. de iniur. quam tamen actionem priuatam eſſe conſtat. l. fina. C. de iniur. Totam hanc rem ediſſerendam in interpretatione Venulei relinquemus. d. §. omnibus. vbi dixi. Interim à propoſito longius non digrediamur.

## *DE LEGIBVS SENATVSQ. CONSVLtis & longa conſuetudine.* TITVLVS III.

Legis appellatio duplex eſt, vna à Philoſophis vſurpata, quæ iure noſtro agnita non videtur. de qua Cicero lib. 1. de legibus. Lex eſt, inquit, ratio ſumma inſita à natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibétque contraria. Eadem ratio cùm eſt in hominis mente confirmata & confecta eſt lex. Altera, cùm generali appellatione, quamlibet in quacunque ciuitate ſcriptam conſtitutionem, legem appellamus. & hoc modo accipitur ſub hoc titulo. Quæ enim ſingula de lege illiúſque vi & interpretatione mox ſcribit, ad omnes omnino iuris partes applicari debent, tam videlicet ad Senatuſconſulta, de quibus nominatim loquitur, quàm ad prætorum edicta, plebiſcita, & cæteras iuris partes. Itaque communis vſus interpretatur. Qua ratione rectè Accurſ. hîc ex Io. Cremonen. doctrina, hunc tractatum in vniuerſum ad condendas & interpretandas leges, Paulus Caſtren. etiam ad conſeruandas pertinere dixerunt.

Vnde cùm hodie ſingulæ Italiæ ciuitates,ſuis ferme legibus & ſtatutis viuant, ad huiuſmodi municipalium legum & ſtatutorum interpretationem , nullus eſt in toto iure vtilior quàm hic tractatus Non tamen rectèPaulus id circa etiam ſanctiones appellari poſſe exiſtimauit: Sanctio enim alio ſenſu dicitur,vt ſuprà oſtendimus. Ideò non niſi impropriè ſanctiones appellari poſſunt. Sanè enim ex hoc titulo,tum ex duobus vltimis Digeſtorum libris qui ſunt,*de verborum & rerum ſignificatione*. & *de diuerſis regulis iuris antiqui*, plenè perſpici poteſt , quantum huic operi laboris impenſum fuerit, quippe tam ex diuerſis locis minutè collecta , & inter ſe quaſi conglutinantiæ ſunt omnia,vt vel ambitionis aliquid compilatoribus in hoc fuiſſe videatur,dum omnes excuſiſſe videri volunt. Traditur ſub hoc titulo in vtima parte:*Et de longa conſuetudine*: quæ iuris noſtri altera pars eſt conſtaréque dicitur ex non ſcripto. Inſtitu.de iure natur. §.conſtat . niſi quatenus interdum à iureconſultis refertur.l.moribus.de vulga.& pupilla.ſubſtitu.cum ſimi.ad illius quoque interpretationem,ſi res patiatur,nihilominus pertinent priora hæc reſponſa.

## L. I. PAPINIANVS. LIB. I. DEFINITIONVM.

LEX EST COMMVNE PRAECEPTVM, VIRORVM PRV*dentium conſultum,delictorum quæ ſpontè,vel ignorantia contrahuntur coërcitio,communis reipublicæ ſponſio*. Quod ait , lex eſt commune præceptum.ſubaudiebatur,olim , Populi,vel plebis: hodie etiam principis,cùm in eum translata ſit poteſtas populi.hoc enim ſenſit ſubtiliſſimus Papinianus per commune præceptum.nam & Atteius Capito legem diffiniuit his verbis , vt Aul.Gell.lib. XIX.refert. *Lex eſt generale iuſſum populi,aut plebis rogatione, magiſtratus*. Sed Atteio illud idem obiectum eſt , quod Papiniano hîc Accurſius obijcit , de ijs legibus videlicet quas nos perſonales,antiqui,priuilegia appellabant , infra titulo primo.l.j.quæ cùm leges ſunt non tamen in commune præcipiunt. Ideóque non videri hanc propriam definitionem eſſe,ſed deſcriptionem,quandam. Verùm & Atteius & Papinianus commune præceptum,non paſſiuè,quaſi omnibus præceptum dixere(vt & illi tunc & Accur.poſteà exiſtimauerũt) ſed actiuè,quòd ſcilicet vniuerſa plebs,aut vniuerſus Populus,vel in vna modò re iuſſiſſent. Ideoque indifferenter has quoque vocari leges oſtendit Aulus Gellius:vt de reditu Ciceronis,vt illa Gnei Pompeij de cæde Clodij,aliæq; huiuſmodi quas,& Rogationes dixerũt:ſiue vniuerſo populo,ſiue plebe duntaxat iubente,latæ ſint. quamquàm hæc quidem magis propriè plebiſcita vocantur.ſed leges hæc quoque appellari conſtat,vt cùm legem Aquiliam dicimus,quæ propriè tamen eſt plebiſcitum,infra ad legem Aquil.l.j.

VIRORVM *prudentium conſultum*. Deſignantur per ſuperiora verba, vt diximus , leges & plebiſcita ac principum conſtitutiones , Sed quia ſatis id non erat , vt omnes legum ſpecies definitio comprehenderet , cùm & prætorum edicta & prudentum reſponſa , & Senatuſconſulta complectenda

eſſent,

eſſent,ideo ſubiicit, *virorum prudentium conſultum.* Nam & Prætor de conſilij ſententia pleraque faciebat,& Senatus per ſe prudens erat, & reſponſa prudentum ſine dubio conſulta erant.Ad hanc relationem vera eſſe poteſt ſententia doctorum noſtrorum,legem interdum nihilominus valituram, & ſi non de prudentium conſilio facta ſit,valebit enim in ſuperioribus duntaxat generibus,in his poſterioribus non valebit.Sed in quo genere ponemus ſtatuta noſtri temporis?Diſtinguendum puto,Reip.ſtatus popularis ſit,an optimatum:vt in populari,legibus vel plebiſcitis comparentur,& ſimili quodam modo fiant. in optimatum autem Repub.ad ſenatuſconſulta magis pertineant, in cæteris eadem relatione vtamur,quod & Caſtren.probat in l.non ambigitur.infra eo. Sanè ex his verbis notant doctores,fœminas ad ſtatuta condenda non admittendas,quod verum eſt,ſed alia ratione,videlicet quòd fœminæ à publicis & ciuilibus officiis perpetuò remotæ ſunt.l.fœminæ.infrà,de reg.iur.Magis dubiũ eſt,an earum vſus poſſit inducere conſuetudinem. Sed de his ſuo loco dicendum erit.d.l.fœminæ.& l.de quibus.infra eod.

Delictorvm *Quæ ſponte,vel ignorantia contrahuntur coërcitio.* Quicquid præcipiat dialecticorum doctrina, voluit Papinianus in hac definitione duos præcipuos effectus legis ſignificare.horum alter in peccatis admiſſiſque coërcendis,quem hîc attingit,alter in fide inter ciues conſeruanda, quem infrà exequitur,cùm ait, *communis reip.ſponſio.* Prætereà cùm legis virtus ſit imperare,vetare,permittere,punire.l.legis virtus.infra eod.titu.iam hæc omnia habemus concinna quadam & quaſi aliud agente verborum applicatione.Nam & præceptum dixit,quòd ad imperandum:conſultum,quòd ad vetandum ac permittendum, vt & Accur.cenſet,in glo.in d.l.legis virtus,& coërcitionem, quòd ad puniendum attinet.Illud nimis durum videtur,quòd ea quoque quæ ignorantia contrahuntur delicta,lege coërceri dicit.Sed delicta hoc loco accipi debent,quæ naturalis quædam ratio malè facta eſſe ſuaſit, velut hominem homini inſidiari.l.vt vim.ſuprà de iuſt.& iure.& his ſimilia perpetrare. Ignorantia porrò duobus modis accipitur,aut facti,aut iuris.facti ignorantia delinquentes ita demum puniuntur,ſi aliqua inſuper negligentia, aut culpa eorum argui poſſit:ita videntur accipienda exempla omnia, quæ in hanc ſententiam ab interpretibus afferuntur.l.ſcientiã.§. pen.l.ſi ex plagis.§.æque. infrà ad leg. Aquil.l.milites.de cuſt.& exhib.reorum. l.illicitas.§.ſicut.de off.præſ.l. abſentem.§.fin.de pœ.puniuntur autem extra ordinem ac lenius vtique, quàm ſi ſcientes prudentéſque peccaſſent.l.capitalium.§. qui ob inimicitias.de pœn.l. qui ædes.de incend. rui.naufrag.l.fin.de ritu nuptia. Præterea contra eoſdem in omnibus ferè caſibus iure ciuili proditæ ſunt actiones, quibus ei quem damno affecerint, ſatisfacere compellantur. dd.ll. Agitur autem plerunque damni iniuriæ,ex lege Aquilia, quæ pluribus capitibus in eam rem generaliter prodita eſt.Quòd ſi prorſus nulla culpa fuiſſe probetur eorum, qui admiſiſſe quid dicuntur, tunc nec vlla pœna eſt,nec ciuilis actio aduerſus eos competit:vt ſi in venatione telum in feram miſſum hominem interfecerit, vel alio quouis caſu homo occiſus,aut quid aliud quamuis atrox admiſſum eſſe proponatur.l.reſpiciendum.§.delinquunt.infrà de pœn.l.item Mela.in princi.

l.qua actione. §. ſi quis in colluctatione.l. ſi putator. ad legem Aquiliam. l.in lege.ad legem Corneliam,de ſic.l.prima.Cod.eod.titu.ad legem Corne.l.congruit. §. furioſi.& l.ſequen.de offic.præſi.l.prima.de recept.in glo. Socc. conſilio XVI. per totum.volu.primo.Vltro autem ex parte eius,qui aliquid huiuſmodi patrauit, probandum eſſe videtur, neque culpa, neque dolo ipſius factum eſſe.d.l.prima.C.ad legem Cornel.de ſicca.l.ſi non conuitij. C. de iniur. Nam ſi aliud non appareat,factum ipſum pro dolo,aut culpa accipi videtur, vt dicimus in lege Cornelia de Sicar.dolum pro facto accipi.d.l. in lege. Et hoc eſt quod doctores noſtri dicunt præſumptionem ſemper vrgere contra delinquentem.Iuris ignorantia ſi prætendatur,fueritque naturalis illius rationis,quàm & iuſgentiũ agnouit, quæ ſic delinqui vetat,inſcitia haudquaquam accipitur excuſatio. Sunt exempla in iure non pauca.l. ſi adulterium. §.ſtuprum.ad leg.Iuliã.de adult.d.l.fina.de ritu nuptia.l.ij.Cod.de in ius voc.& hoc ſenſu accipiendam puto Valentiniani & Martiani conſtitutionem. l. leges. C.de leg.vt leges eas ſacratiſſimas eſſe dicat,& ab omnibus intelligi debere, quæ conſtringunt hominum vitas,hoc eſt, quæ naturæ vim quodammodò ſequuntur,qua nobis inſitum eſt,vt à quibuſdam abſtineamus.glo.in l.regula.de iur.& fa.ign.His addendæ ſunt principales conſtitutiones, nam & hæ ob reuerentiam Imperatorum à nemine ignorari debent.l.conſtitutiones.C. de legib.auth.vt fa.no.conſtit.quod ego intelligo,& ſi de his loquantur, quæ alioqui naturali ratione non ſunt prohibita. Hactenus vetum eſt, per ignorantiam admiſſa, legibus coërceri. Extra has cauſas, ſi ius ciuile, quàm ex aliis partibus conſtat, ignoratum proponatur: ſiquidem lex doli mali mentionem faciat,expedita res eſt,neminem videri dolo facere, qui legis prohibitionem ignorauit.l.ſiquis id quod.de iuriſdict.omnium iudicum.l.ſiquis in graui. §.ſiquis ignorans. ad ſenatuſconſul.Syllanian.Si dolum malum lex non requirat, ſed ſimpliciter factum puniat,pœna ſine dubio incurritur, quamuis quis leges ignoraſſe ſe probare poſſit.l.prima. Cod.ſi ad.libe. vbi dixi. Sed à principe venia dari ſolet,vt ego interpretor. argu.l.diuus. ad legem Corne. de falſ.l.quod adhibitus.C.de iis, qui ſibi adſcribunt. quod variè ex perſonis & cauſis conſtituendum puto.argu.d.l. primæ, Cod.ſi ad liber. l.ij. in fin. de iure fiſ.l.auxilium.de minor.d.l.regula. §. Sed iuris.Corraſius libro. IIII. capi. XVIII. dummodò ſciamus inceſti crimen Romana lenitate facillimè omnium remitti conſueuiſſe. dicta l. ſi adulterium. §. fratres.l.finali.Cod.de inceſt.nuptiis.quod hodie reſtrictum eſt,per auth. inceſtas. eodem titulo. Item quia ius municipale non niſi in vim cuiuſdam velut pactionis inter municipes valet, vt ſuprà oſtendimus, in l.omnes populi. Sciendum eſt, ſi legem municipalem quis ignorauerit, pœnam aduerſus eum paratam non eſſe.l.finali,infrà de decre.ab ord.fac.Quod ego indiſtinctè verùm puto, quicquid alij dicant,quia ſcilicet pactionibus ignorantes non ligantur,& ſtatuta huiuſmodi, interpretatione reſtringi oportet, cùm ius commune ſufficere debeat. Hæc de ignorantia iuris & facti ad excuſationem delictorum dicta ſint.Nam quod attinet ad patrimonij adminiſtrationem, alio loco tractari debet.l.iuris ignorantia.l.error.d.l.regula.vbi glo.infrà de iur.& fac.ign.

commu

COMMVNIS *Reipu. ſponſio.* Hoc eſt, conſpirantis in idem, & conſentientis ciuitatis conuentum, & quaſi pactum. quæ omnia Papinia. non dubiè ex Demoſtenis definitione ſumpſit, quæ ſtatim ſubiicitur in l. ſequen. nam quod Accur. & Bart. aliíque ad formam ferendæ legis, hæc verba pertinere interpretantur, vt cùm Tribunus, vel conſul populum interrogat, *velitis iubeatis &c.* ineptum eſt, & à ſenſu Papiniani alienum.

## L. III. POMPON. LIB. XXV. AD SABINIVM.

IVRA CONSTITVI OPORTET: VT AIT THEOPHRASTVS. Deſcribenda ſunt verba græca: vt Budæus hîc emendauit, quomodò ea ſe in ipſis Florenrinis Pandectis vidiſſe atteſtatur. Nam Haloander hîc errauit cùm Bolognino, qui Politiani codicem non intellexerat. Hoc & alia quædam eodem modo in Haloandri editione errata Augſt. rectè notat. lib. opin. IIII. c. I.

## L. VII. MODESTINVS. LIB. I. REGVLARVM.

LEGIS VIRTVS HAEC EST, IMPERARE, VETARE, PER*mittere, punire.* Vbicunque lex iubet, aut vetat, priuatorum pacto nihil mutari poteſt: vbi permittit, in omnibus indiſtinctè paciſci licet, præter quàm ſi populi ius in aliquo exequi cœperis. Vbi punit, quæ pœna priuatis debeatur, in ea tranſigere ac paciſci non prohibemur. quam verò fiſco, aut alioqui vindictę publicæ cauſa, lex pendi voluit, ea priuatorum pactis neque tolli, neque minui, neque augeri poteſt. probatur hæc noſtra generalis definitio mulitis locis in iure noſtro. infrà de pact. l. iuriſgentiũ. §. ſi paciſcar. l. ius publicum. eod. tit. l. liber homo. infrà ad leg. Aquil. Secundum hæc, ſi inter te & me conueniat, vt teſtamentum minore numero teſtium obſignatum valeat, nihil agitur: lex enim ſeptem adhiberi iubet. Si cùm iudicio contenderemus, inter nos conuenerit, vt ex iis qui edicto poſtulare prohibentur, aliquis pro te poſtulet, nó valebit cõuentio. l. quos prohibet. infrà de poſtul. Si accuſator cùm reo tranſegerit, vel conuenerit, vt nulla vel leuiore pœna, quàm quæ lege criminis conſtituta eſt, plectatur reus, poterit nihilominus tam ab accuſatore ipſo, quàm ab alio repeti, atque iterũ accuſari. l. qui cœtu. §. fi. ad leg. Iul. de vi pub. nec vel perſiſtentis accuſatoris deprecatione quicquã de pœna minuetur. Et ſiqua huiuſmodi. Sed cùm teſtamenti factio à lege permiſſoria eſſe videatur, Inſt. ad leg. Falc. in prin. qua vnicuique idoneo permittitur facere teſtamentum, cur nó hac ratione paciſci licet, ne teſtamentũ faciam, vel ne alium quàm te inſtituã. l. teſtandi. C. eo. l. vlt. infrà de teſt. Reſpondeo, Teſtaméti factio publici iuris eſt. d. l. teſtandi. quod ea ratione dictũ arbitror, quia publicè intereſt, nemini vnquam auferri talem facultaté, ne deſidiæ atque ignauiæ deinceps deditus, qui rerum ſuarũ arbitrium amiſiſſet, nihil vltra acquirere, ac nec parta quidem conſeruare conarentur, ideò contra bonos mores fieri viſum eſt,

ſiquis pactionibus adſtringere hanc facultatẽ vellet, non aliter ac ſi, vt res meas perdere ac diſſipare deberem, vel ne quid deinceps acquirere mihi licitũ eſſet, paciſcerer. Adde quod & captandæ mortis votum ea res inducit. Quare idem quoque in cæteris ſimilibus dicendum erit.

## L. IX. Vlpia. Lib. XVI. Ad Edictvm.

NON AMBIGITVR SENATVM IVS FACERE POSSE. Subaudi, conſulto, & non contradicente principe, vt declarat ſtatim infra eod. l. xj. cùm ait, *Et ideò de his quæ primò conſtituuntur, aut interpretatione, aut conſtitutione optimi principis certius ſtatuendum eſt.* Ita etiam firmat Bal. in l. humanum. C. eod. titu. & habet rationem, vt quemadmodùm princeps ſine ſenatu nihil ſtatuit. d. l. humanum, & nouella LXII. quæ inſcribitur, *de conſtitutionibus.* quinimò ſe ipſum quoque inter ſenatores numerat. l. ius ſenatorum. C. de dign. lib. XII. Sic nec ſenatus ſine principis autoritate quicquam tale facere conetur. Nec abſurdæ ſunt huiuſmodi interpretationes, quibus ſuppletur ſententia ſcribentis, vt poſt Accur. probat Caſtren. infrà eod. tit. l. princeps. Sed vt altius repetamus, ſciendum eſt, quo tempore Vlpia. hæc ſcripſit, dubium non fuiſſe, quin Senatus ius facere poſſet, extant enim adhuc in corpore iuris Senatuſconſulta, Imperatorũ temporibus facta, vt Trebelleianum temporibus Neronis. l. j. infrà ad Trebell. Velleianum ſub Claudio, vel qui eum ſtatim ſequutus eſt Imperatore. l. ij. infrà ad Vell. & huiuſmodi alia, de quibus loquitur Theod. & Valent. conſtitutio. C. de ſenatuſconſ. l. vnica: vt nos interpretamur. Sed occurrunt doctores hoc modo. Si lege Regia omnis poteſtas populi in Imperatorẽ perpetuò translata erat. infrà titu. j. l. j. & l. j. de off. præf. præt. quomodò ſine Imperatore leges à ſenatu fieri poterant? populus enim in alium transferendo, quaſi abdicaſſe à ſe poteſtatem & imperiũ omne videtur. Reſpondeo, Senatus nihil aliud eſt, vt Cicero definit, quàm ſummum Popu. Rom. conſilium. Quamuis autem Populi appellatione, vniuerſos ciues, numeratis etiam patritiis & ſenatoribus, contineri ſcribat Imperator, Inſti. de iure natu. gent. & ciu. §. plebiſcitum. Veritas tamen eſt, Romæ ſemper vt diuerſos habitos fuiſſe Populum & Senatum. Quinimò à primordiis vrbis vſque ad Imperatorum tempora, de poteſtate inter ſe certaſſe, ſemper tamen in eo res ſtetit, vt poteſtas in populo, autoritas in ſenatu eſſe diceretur. Earum rerum quæ uis & differẽtia ſit, oſtendit Liuius lib. I. Cùm ſenſiſſent, inquit, ea moueri patres, offerendum vltro rati, quod amiſſuri erant, ita gratiam ineunt, ſumma poteſtate populo permiſſa, vt non plus darent iuris, quàm detinerent: decreuerunt enim vt cùm populus regem iuſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres autores fierent, hodiéque in legibus, magiſtratibusque mandandis uſurpatur. Idem ius vi ademptum, prius quàm Populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum euentum patres autores fiunt. Hactenus Liuius. indicant id quoque frequentes huiuſmodi inſcriptiones, *Senatus Populúſque*

*Roma*

*Romanus*, quaſi non ſatis eſſet Populum dici, vt Senatus quoque comprehenderetur. Dioniſius quoque Halicarnaſſ. libro ſexto Romanarum Antiquitatum, conſulem inducit ita loquentem, Scitis legem nobis eſſe iam inde ab vrbe condita, quæ omnia in ſenatus poteſtate facit, præter magiſtratuum creationem, legum lationem, & belli inferendi finiendíve arbitrium. Horum trium poteſtatem eſſe penes ſuffragia populi. Idque etiam libro quarto ſcribit, & ſuperius quoque dixiſſe memorat. Cæterùm Populus ius ſuum exercuit vſque in Auguſti tempora, cùm per trigintaquinque tribus in quas deſcriptus erat, non ſolùm Vrbanus, ſed & Latinus, atque omnium omnino municipiorum ac coloniarum, quibus ius Ciuitatis erat, potiſſima geſſit. Paulatim deinde populi ius in deſuetudinem abiit, & ad Senatum delatum eſt. Ac ſub Tiberio quidem comitia à populo ad patres tranſlata eſſe, Tacitus libro primo, & tertio Annalium & Plinius Cæcilius libro tertio, Epiſtola penultima ſcribunt. Comitia autem ad Magiſtratuum creationem attinebant. Cæterorum quoque poteſtas, videlicet condendi leges, & iubendi bellum, aut pacem, eodem modo per deſuetudinem amiſſa eſt, vel potius hæc omnia intermiſſa, & exerceri deſita ſunt. Quod ea ratione euenire neceſſe fuit, quia gentibus iam & nationibus propè vniuerſis ciuitate Romana donatis, impoſſibile penè eſſe cœperat, vt in vnum coire poſſent. Hoc eſt, quod Pomponius ſcribit, in l. ſecunda, de origine iuris. §. deinde. & §. nouiſſimè. Si rectè intelligatur: Cùm ait, deinde quia plebs difficile conuenire cœperat, populus verò multò difficilius &c. Et paulò pòſt, Nouiſſimè ſicut ad pauciores viros iuris conſtituendi via tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus, videbatur, per partes euenit, vt neceſſe eſſet Reipublicæ, per vnum conſuli: nam Senatus non perinde omnes prouincias probè regere poterat. Paucorum appellatione, Senatum intelligi voluit. Cæterùm vel Pomponius ipſe Feneſtellæ verba malo ordine in ſuum librum tranſtulit, vel compilatores, verba Pomponij non ſatis animaduerſa temporum ratione retulerunt, dum quæ ille de recentioribus ac nouiſſimis temporibus ſcripſerat, quaſi ad antiquiſſima pertinerent, abduxerunt. At verò Senatus ius ſuum nunquam deſeruit, ſed retinuit ſemper & exercuit ſaltem in ſpeciem & prætextum quendam: quamuis principum vi turbaretur ſæpè, aut tranſuerſus ageretur. Nec ſolùm ſuum, ſed & populi ius, ac munera adminiſtrauit, præſertim interregnis Imperatorum, vel dum Imperatores creat, aut conſalutatis ab exercitu poteſtatem confert. Cæterùm ius iſtud nunquam in principes ita tranſlatum eſt, vt perpetuò in omnibus principibus deinceps eſſet, niſi prout ſinguli ab Senatu prius comprobati eſſent. Hoc cùm fieret, tunc demum ius populi in Imperatores conferebatur, nec ſolùm populi, ſed etiam Senatus (vt ego interpretor) ſcilicet vt tantundem Imperator poſſet, quantùm populus & Senatus ipſe. Non enim quòd milites aliquem appellaſſent Imperatorem, perinde ſtatim habendum erat, ac ſi per tribus antiquo ritu appellatus eſſet, cùm nec iidem ordines, nec

idem numerus militum eſſet. Sed opus erat, vt ſenatus principi tribunitiam poteſtatem, hoc eſt, ius ipſarum tribuum conferret. Ita enim interpretor tribunitiam poteſtatem, cuius nominis faſtigium excogitaſſe diuum Auguſtum, Tacitus ſcribit: ne Regis, aut dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua, cætera imperia præminere. Quanquam haud me latet, quoſdam ſcripſiſſe, tribunitiam poteſtatem ab Imperatoribus, qui poſt Iulium Cæſarem fuerunt, ideò vſurpatam, vt ſacroſancti inuiolabileſque deinceps haberentur. quod diligenter proſpici, exemplum Cæſaris admonebat, à coniuratis ciuibus interfecti. Sed veriſimilius eſt, hæc omnia per tribunitiam poteſtatem quæſita eſſe, vt & ſacroſancti haberentur, & tribunorum ſimul, ac tribuum poteſtatem vno honoris titulo nanciſcerentur. Ideò non tribuni dici voluerunt, ſed tribunitiæ poteſtatis, cùm nihil vetaret appellari eos tribunos, quemadmodùm & pontifices, & conſules dicebantur. Nunc (vt ad propoſitum redeamus) hæc ſenatuſconſulta ita demum valuiſſe interpretor, ſi princeps ea non ignoraſſet, neque ab his diſſenſiſſet. Nam tribunitiæ poteſtatis ea potiſſimùm erat vis & facultas, vt legibus ac ſenatuſconſultis intercedere poſſent: quod vbicunque facerent, tam lex, quàm ſenatuſconſultum impediebatur, eáque de cauſa dum ſenatus habebatur, tribuni plebis pro foribus curiæ antiquitus excubabant, neque prius diſcedebant, quàm quid intus actum eſſet, renuntiaretur. Tum vel ſubſcribebant, vel intercedebant, vt ex Valerio cognoſci poteſt, lib. 11. cap. 1. ſed hoc plus in Imperatoribus erat, quòd in ſenatu aſſiduè ipſi interueniebant. Ideóque facilè omnia impedire poterant. Tacitus lib. 1. Scaurus quia dixerat ſpem eſſe ex eo non irritas fore ſenatus preces, quòd relationi conſulum iure tribunitiæ poteſtatis non interceſſiſſet. Loquitur de Tiberio, quem Auguſtus adhuc viuens participem fecerat tribunitiæ poteſtatis. Ex hiſtoriis quoque perſpici licet, poſteàquam Reſp. ſemel in vnius poteſtatem conceſſit, vſque adeò ex illius voluntate ſenatum pendere, atque ad illius nutum omnia agere conſueuiſſe, vt veriſimile non ſit, citra principis autoritatem quicquam, quod paulò grauioris ponderis foret, moliri conatos eſſe. Huius rei argumentum etiam nunc ex eo ſumas, quòd ſenatuſconſultum circa petitionem hęreditatis, de his factum eſſe relatum eſt. in l. item veniunt. §. pridie. de pet. hæred. quæ ab Imperatore Adriano propoſita, & libello complexa fuerant. Tacitus lib. xx. Volcatius Tertullinus, inquit, Tribunus plebis interceſſit, ne quid ſuper tanta re, principe abſente, ſtatueretur. Nunc ſi ad Iuſtiniani & noſtra hæc tempora diſputatio reuocetur, meritò ſanè dubitant doctores, verúmne ſit quod hic dicitur: ipſe enim Iuſtinianus Imperator nec vno in loco ad ſolum Imperatorem hodie pertinere affirmat, leges cõdere. l. fi. C. de legi. l. ij. §. hoc autem. C. de vet. iur. enu. Quo dicto ſenatus autoritatm excluderet, quaſi maieſtatem minuere videtur. Hic nodus ita vulgò ſoluitur, quaſi id ſignificare voluerit Imperator, nulli alteri ſingulari perſonę, præterquàm Imperatori leges facere licere. Senatui autẽ licere vtiq; quia ſcilicet multarũ perſonarũ collectione ſenatus cõſtat. Sed Iuſtinia. cõſtitutionibus, nõ hunc ſenſum aut diſtinguendi propoſitũ fuiſſe manifeſtè apparet, quòd niſi Iuſtinianũ, quaſi extincto ſenatu (qui temporibus

ſuis

ſuis certè propèmodum extinctus erat)loquutum eſſe dicamus: vt ſi quandoque extaret & quodammodò reuiuiſceret,tunc demum huic reſponſo locum eſſe noluerit,certè non alia horum inter ſe probabilior conciliatio fieri poſſe videtur,quàm vt ad ea quæ diximus de Tribunitia poteſtate omnia referantur,atque hoc modo verum inueniatur,& principem ſolum legem facere poſſe, cùm ſcilicet alios facientes,arbitratu ſuo impedire poſſit,& ſenatum nihilominus quoque poſſe, ſi non princeps facientibus interdicat,idque ratio ferme, vt dicamus,cogit.Reliqua quæ hîc diſputant doctores, nos alio loco tractanda reſeruamus.l.j.infra titu.1.

### L. XI. Ivlia. Libro XC. Digestorvm.

ET IDEO DE HIS QVAE PRIMO CONSTITVVNTVR, AVT *Interpretatione,aut conſtitutione optimi principis certius ſtatuendum eſt.* Fortaſsè legendum eſt, *conſultatione*. Et hæc verba ſine dubio ad ſenatuſconſulta quoque pertinent,de quibus proximè loquutus eſt.Nam non dubium eſt,hæc verba non ad vetera interpretanda,ſed ad ea quæ ab initio conduntur referri. Cùm diſertè dicatur,de his quę primò conſtituuntur:nec inepta conſequentia eſt.*Et ideo &c.* Nam cùm ſuprà dixerit,non poſſe leges & ſenatuſconſulta ita fieri: vt omnia comprehendant,appoſitè ſubdit,de conſilio principis ſtatuenda eſſe, quæ initio conſtituuntur:quia ſcilicet principis prudentia multùm iuuare poſſit in generibus comprehendendis. Deinde in ſequenti capite,Ea quæ iam conſtituta fuerint,ad ſimilia quoque producenda eſſe,atque ita exercendam iuriſdictionem tradit:quicquid Accurſius & Io.hîc commententur.

### L. XII. Idem Lib. XV. Digestòrvm.

NON POSSVNT OMNES ARTICVLI SIGILLATIM AVT LEgibus. Deinde ſubdit in ſequenti capite. *Nam (vt Pedius ait) Quoties lege aliquid vnum,vel alterum introductum eſt,bona occaſio eſt,& cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem,vel interpretatione,vel certe iuriſdictione ſuppleri.* Interpretatione, inquit,vel iuriſdictione.Et ſuprà dixerat,Is qui iuriſdictioni præeſt.Interpretationem ergo accipe,virorum prudentum. Hi ſi inter ſe conſentiant, expedita res eſt,nec exempla deſunt.l,quæſitum.& l.ſcio.de teſtib.l. ſi vſusfructus. de aqua pluuia arcenda.l. ſi quis id quod. verſicu. quod ſi dum proponitur. de iuriſdictione omnium iudicum. Si, vt plerunque in cauſis accidit, controuertant, tum ſola relinquitur iuriſdictio, quæ idem præſtet. Poteſt igitur iudex ſi ſpecies aliqua, vel dubium apud ſe emerſerit, quod neque lege, neque prudentum interpretatione expreſſim deciſum ſit: exemplo & ſimilitudine alicuius legis, quod opportunum eſſe videatur, conſtituere: id quod omnes fatentur, & exempla ſunt frequentiſſima.l.j.C. de interdi.l.j.C. quæ ſit lon.conſ.l.illud.infrà ad leg.Aquil.l.ex facto.de neg.geſt. quamuis Accurſ.in his exemplis,quæ in iure referuntur,neceſſarium olim fuiſſe exiſtimet, conſuli principem,quod non puto verum. Hodie certè non neceſſe eſt, & ſi exempla non extarent:cùm ſatis eſſe debeat,ſemel eam rem hoc loco conceſſam eſſe. Sed ego iis demum iudicibus de ſimilibus ad ſimilia iudicando progredi per-

miſſum arbitror, qui non vt iudices dati cognoſcunt: nam hi notionem duntaxat habere dicuntur, ſed qui iure proprio magiſtratum & iuriſdictionem acceperunt, vt prætores, proconſules, & præſides prouinciarũ. Nam de his exempla loquuntur. Hi enim propriè iuriſdictionem habere dicuntur. l. j. de iuriſd. omn. iud. vbi dixi. l. j. in princ. iuncto §. hæc verba. quod quiſque iur. Puto etiam legatis proconſulum permitti. Nam & hi quodammodò iudices ordinarij habebantur, quamuis alienam iuriſdictionem gererent: arg. l. hos accuſare. in prin. de accuſ. & l. qui neque. de iudic. nec mirum eſt, hos tales, quę legibus omiſſa ſunt, iuriſdictione ſupplere poſſe. Nam prætorum antiquorum hæc autoritas ſemper fuit, vt actiones legibus accommodatas redderent (quas vtiles dicebant) vbi eadem ratio ſubeſſet, veluti in lege Aquilia. l. quia actionum. de præſcrip. verb. & vtilibus interdictis per in factum actionem dandis. d. l. ſi vſusfructus. quarum eadem omnino vis eſt, atque directarum l. actio. de neg. geſ. Proconſules autem & præſides ad exemplum prætorum agunt. l. de his. de off. pręſid. Quòd ſi quis in aliquo duntaxat articulo, aut cauſa iuriſdictionem acceperit, vel ſpecialis iudex datus fuerit (Nam inter hos aliquid differre arbitramur, vt infrà dicã. l. legatus. de off. proconſ.) non idem huic concedendum puto, vel aduerſus Innocentij opinionem, quam Angel. hoc loco refert. quamuis actiones hodie nec vtiles nec directas impetrari neceſſe ſit, ſiue apud maiores magiſtratus, ſiue apud pedaneos agatur. l. ij. C. de form. & impetr. ſubl. vbi glo. quia ſcilicet non tantam poteſtatem hic habet, nec illi æquè confidere debet lex, vel princeps. Nam neque hic iudex iuriſdictioni præeſſe dicitur, vt ſuo loco oſtendam. l. j. de iuriſd. omn. iud. quicquid pontifex Gregorius in contrarium ſcribat. c. p. & g. de off. deleg. Et ſolent qui eos iudices dederunt, ſi de iure conſulantur, his reſpondere. l. eum quem. §. primo. infrà de iudic. Quare cum ſententia ipſa, quam ad extremum dicunt, ſimul actionem reddere, & ſuper reddita pronunciare videantur, qui olim actiones præſcribere non poterant, nec poſteà eis vt id faciant vllo iure conceſſum apparet, magiſtratus ſuos conſulere debent. Obtinet quod hic dicitur, vbi ſimilitudo legis vndequaque congruens reperitur. Quod ſanè non ſæpè accidit, nec temere eãdem rationem, aut cauſam ſubeſſe credere debemus, argumen. l. ſi verò. §. de viro. ſol. matrimo. Cæterùm ſi omnimoda ſimilitudine deficiamur, conſulendus eſt princeps, vt in his quæ noua emerſerint, noua remedia nobis tradat. l. humanum. C. eod. titu. l. j. infra de vent. inſp. Item hæc dicta ſunt, de quibus rebus expreſſam legem non habemus. Quòd ſi lex ſit & interpretatio quæratur, ea quomodò facienda ſit, ex Pauli ſententia mox docebit. l. ſi de interpretatione, infra eod.

L. XVIII. CELSVS LIB. XXXIIII. DIGESTO.

BENIGNIVS LEGES INTERPRETANDAE SVNT, QVO VOLuntas earum conſeruetur. Sic alibi l. penul. de pœn. *Interpretatione legum pœnas moliendas eſſe, potius quàm exaſperandas* Et l. factum. §. fina. de regu. iur. *In pœnalibus cauſis benignius interpretãdum eſſe*. Benignius ergo accipe, lenius & remiſſius, quàm ſcilicet legis verba ſignificare videantur. Idque in pœnalibus propriè & in iis quæ pœnalium ſimilia ſunt intelligamus, nec exempla deſunt. l. iiij. §. ſiue autem.

tem.infrà de manumiſſ.& ad Senatuſconſul. Trebel.l.j.§.qui operas.vt tamen cum temperamento aliquo ſemper fiat.l.reſpiciendum.in princ. infrà de pœn. hoc enim modo conſeruabitur voluntas legis, cùm intra limites & quaſi lineam puniendis delictis adſcriptam conſiſtemus,non autem ſi tranſgrediamur. Non idem faciendum eſt,ſi quid lex permittat, vt etiam plenius accipiamus, quippe hoc modo ſimiliter & lineã tranſgrederemur, licentiáque magis quàm benignitas hæc eſſet. Quamobrem rectè videtur exiſtimaſſe Guilielmus neſcio quis hoc loco. Si mortuo filio naturali concubinam,ex qua eum ſuſcepi, vxorem duxero,non legitimari nepotem,qui mihi ex eo ſit,neque ad hoc trahendam eſſe Iuſtiniani conſtitutionem.authen.quib.mod.nat.effic.ſui.in prin. quod & Bald. probat. Nam quæ Accurſ. hîc ſcribit, non ferè ad veram huius capitis interpretationem pertinere viſa ſunt.

L. XX. IVLIA. LIB. QVINQVAGESIMOQVINTO DIGES.

NON OMNIVM &c. Deinde ſubdit Neratius. *Et ideò rationes eorum quæ conſtituuntur,inquiri non oportet, alioqui multa ex iis quæ certa ſunt ſubuerterentur.* Hoc ita accipiendum eſt, vt non oporteat inquiri rationes omnino omnium: ſed quorundam tamen inueſtigare expediat. Nam ſupra capite præcedenti ſic ait, *Non omnium &c.* Videtur autem aliud eſſe ratio,aliud mens legis.Ratio eſt quæ legiſlatorem ad legem faciendam impulit.Mens eſt vis ipſa ac poteſtas legis, quæ deſcendit ex ratione,ex eáque cognoſci & perpendi debet.Et mea quidem ſententia omnes omnino iudices ſiue maiores,ſiue minores magiſtratus gerant, ſiue ordinarij, ſiue delegati ſint, de iis quæ ſunt ex mente legis, ſecundum eam conſtituere poſſunt.Non item ſi aliquo caſu lege non comprehenſo,ſubeſſe tamen videatur eius legis ratio:de hoc enim non niſi qui generali iuriſdictioni præſunt conſtituere poterunt,vt modò dixi,in l.non poſſunt.cùm ipſis ſolis de ſimilibus ad ſimilia procedere permiſſum ſit.Quod ait,*Multa hoc modo ſubuerti poſſe.*crebra ſunt exempla,vnum atque alterum propoſuiſſe contentus ero.Ait lex, *Tranſigere vel paciſci de crimine capitali,excepto adulterio non eſſe prohibitum.* l. tranſigere.C. de tranſactio. Si ſpecialem rationem quærimus, cur non & de adulterio tranſigi liceat:idcirco id relatum eſſe poſt diuerſas multorum opiniones,putat Alciat.quia adulteri antiquitus capitali pœna non afficiebantur, ſed deportabantur.l.ſi quis viduam.de quæſt.Bart.in l. Claudius. de iis quibus vt ind. Alc. lib.v.Parad.cap.VIII.Sed cùm poſterioribus legibus, capitalis pœna adulteris irrogata ſit.l.quamuis.C.ad leg.Iul.de adul.conſequenter videretur dicendum, & de adulterio hodie tranſigi poſſe.Tamen ſatius eſt rationem non ſcrutari,ne hoc modo ſubuertamus legem. Quamuis Corraſius lib.II. miſcellan.c.I. alia quadam ratione,quàm Alciatus,vt mihi quidem videtur, rectè confutauerat, conſtitutum id fuiſſe exiſtimet.Expreſſius hoc in eo apparet, quod diuus Antoninus conſtituit:Si ante quàm dies legati cedat, Princeps cui relictum erat, ab humanis deceſſerit,deberi legatum ſucceſſori eius,non item ſi Auguſtæ legaueris.l.quod principi.l.ſeq.de leg.ij. Differentiæ rationem eam eſſe Bart. putat,quòd princeps ſuo iure dignitatem habet,Auguſta alieno.l.fœminæ. de ſenator.atque eo modo nihil ſpeciale in fauorem principis inductum eſſe, cùm

idem & in cæteris dicendum ſit, quibuſcunque aliquid ſub nomine dignitatis relictum eſt. cap. quoniam Abbas. vbi not. ext. de off. deleg. Qua ratione ſi principis, aut Imperatoris verbum legato expreſſum non ſit, ſed proprium duntaxat nomen, vt puta, Antonino Pio, ſucceſſori nihil debitum iri putar. d. c. quoniam. argum. l. annua. de annu. lega. quam reſtrictionem veram non arbitror. Sed id ſpecialiter in principe conſtiturum puto: quia Antonini temporibus, ſi legatarius ante diem legati cedentem, ab humanis deceſſerat, caducum efficiebatur legatum, & propterea fiſco applicabatur. l. j. C. de cadu. tollend. l. item veniunt. §. antè quàm. de pet. hæred. Alcia. lib. III. diſpunct. c. VI. Quamobrem parui retulit ſucceſſori principis applicari, quod fiſco dandum erat. Non idem in Auguſta, nec in aliis dicendum fuit: quia ſcilicet hæc ratio ceſſabat. Cùm ergo hodie caducorum nomen & materia ſublata ſit, ac pto non ſcriptis huiuſmodi legara omnia habeantur, ideóque apud hæredem reſideant. l. j. C. de cad. tollend. vtique conſtitutionis Antonini ratio ceſſat, ſed non ceſſabit diſpoſitio. Nam rationem omittere præſtiterit, quàm ſubuerti legem. Emancipationes liberorum antiquitus per imaginarios ſeruiles modos fiebant, ideò dictum, eos qui emanciparentur, capite minui. l. liberos. de cap. dim. Inſt. quib. mod. patr. pot. ſolu. §. prætereà. nouell. viij. in princ. Hodie emancipationes citra ſeruiles repræſenrationes fieri inductum eſt. l. fin. C. de emanc. lib. Non propterea tamen dicas, eos qui emancipanrur, capire non minui. Nam capitis diminutionem eis etiam nunc accidere expreſſim ipſemet Imperator Iuſtinianus, qui antiquam obſeruationem ſuſtulit, affirmar. Inſt. de cap. dim. §. minima. vbi glo. in verbo, vel contra. Similiter & arrogatio: quia ſolennibus quibuſdam modis fiebat: ideò definitum fuit, abſentem arrogari non poſſe. l. neque abſens. de adopt. At quamuis ea ſolennia hodie ſublata ſint. l. fina. C. de adopt. non ideò tamen magis arrogari abſens poterit. d. l. neque abſens. Sunt huiuſmodi multa in tractatu de nuptiis, quæ inter quoſdam prohibentur, inter quoſdam non. Itemque ſub tractatu de manumiſſionibus, quę non niſi certis ſolennibus modis antiquitus fieri poterant, in quibus omnibus legum mens manifeſta eſt, ratio & cauſa difficiles inuentu. Quòd ſi inuenianrur, atque ex his argumentari liceat, periculoſum erit, ne legum placitis non relinquatur locus. Quædam huc pertinentia ſuperius etiam adnotauimus, in procem. Digeſtorum. §. hæc autem tria.

## L. XXIII. Pavlvs Lib. IIII. Ad Plavtivm.

MINIME SVNT MVTANDA, QVAE INTERPRE*tationem certam ſemper habuerunt.* Hoc ita accipiendum exiſtimo, ſi non euidens antiquæ interpretationis error oſtendatur. arg. l. quod non ratione. infra eod. Nam quod ait, *Certam interpretationem.* Vtique ſic videtur accipiendum eſſe, de qua nunquam fuerit dubitatum. Cæterùm ſi de fide veri hęſitatum ſir, communis tamen ſententia quædam obtinuerit, mutari poſſe arbitror, qualia noſtris temporibus multa in iure contra opiniones antiquorum ſunt declarata. Ita accipiendum arbitror quod vulgò dicimus, à communi opinione iudicando recedendum non eſſe. argumen. etiam. l. j. §. ſed neque. C. de vete. iure enucleando. l. ex.

omni

omnibus,& quod ibi notat Fulgoſius infrà de offic.præſ.

L. XXIIII. Celsvs Lib. VIIII. Digesto.

INcivile est, nisi tota lege perspecta, vna ali- *qua particula eius propoſita iudicare, vel reſpondere.* Legem etiam pro integro quolibet tractatu accipere conuenit. Nam videmus ſæpè ſub eodem titulo quædam poni,quæ ſingula inter ſe aduerſari videntur:cùm tamen re vera ex inferioribus ſuperiora non inſubtili ratione reſtringantur,declarentur,aut extendantur. Exemplum eſt ſub titulo de adopt.cap.xxxii.l.nonnunquam.vbi & hoc notauimus, necnon aliis in locis quæ colligere non vacat.l. doctitij. cum tribus legibus ſequ.C. de decur. libro decimo.glo.finali,in l.vltima.in C.de iur.delibe.l.iiij.iuncta l.ſi quis.C.de fur.& dicam in l.fina.tit.ſequenti.

L. XXXII. Ivlia. Lib. XCIIII. Diges.

De qvibvs &c. qvare rectissime etiam illvd re- *ceptum eſt, vt leges non ſolo ſuffragio legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* At qui Imperatoris Conſtantini conſtitutione.l.j.C.quæ ſit long. conſ.declaratum eſt,nõ poſſe à conſuetudine legem,aut rationẽ vinci:quomodò ergo per deſuetudinem(quæ nihil aliud eſt quàm contraria conſuetudo)lex abrogabitur,& tolletur? Soluitur hic nodus ferè communiter hoc modo:vt Conſtantini conſtitutionem de priuata alicuius regionis, aut municipij conſuetudine intelligamus:vt per illam,generalis lex non tollatur.Hoc autem caput ſcriptum eſſe accipiamus,de conſuetudine vniuerſorum quicunque ſubſunt Romano Imperio:vt per illam, lex tolli poſſit. Docet hoc eſſe verum verbum illud, *Omnium.* Et quòd conſtitutio illa Conſtantini ad quendam priuatum inſcribitur,quem de municipij ſui priuata conſuetudine conſuluiſſe credibile eſt. Sed nec in illo quidem municipio obſeruabitur talis conſuetudo,quæ generali legi obuiar. Nam ſuprà in l.omnes populi.de iuſtitia & iure. oſtendimus non licere ſubditis Imperio populi Romani leges ſibi, vel ſtatuta facere, quibus quid ex publico iure corrumpant, hoc eſt, aliquid inducant, quod iuri publico aduerſetur. Sed de iis duntaxat ſibi legem ferre poſſe, de quibus & pacto tranſigi licet,per legem finalem,infrà de colleg. illic. Idem dicimus & de conſuetudine, vt nihil omnino valeat conſuetudo regionis, aut municipij cuiuſpiam ad iuris publici derogationem. idque vel contra communem opinionem, multis locis in iure expreſſum eſſe non dubitauerim, dicta l.ij.C.quæ ſit long.conſuetudo.l. eos. §.j. de vſur. auth. nauigia. de fur. authen.omnes peregrini.commu.de ſucceſſ.l.ij. §.diuus. Secundum vnum intellectum,infrà de ſepulc.viol. Nec vlla municipij,aut loci cuiuſquam conſuetudo vſquam in iure noſtro relata comprobatáque inuenietur, contra ius quod publicam prohibitionem habeat: Sed de iis duntaxat rebus, de quibus etiam

inter priuatos paciſci licet. Ideóque etiam expreſſa municipum conſtitutione & pacto effici potuiſſent. Hoc ſenſu loquuntur exempla omnia à doctoribus relata.l.ſi ſine. §. huius. de adminiſtratio. tutorum.l. item. in principio. quod cuiuſque vniuerſitatis.l.venditor. §..ſi conſtat.communia prædiorum.iuncta l. quoſdam.vbi gloſſa ſecundum opinionem Py.C.de metall.& metall.libro vndecimo.l. finali. de decretis ab ordine fac. quibus nos ſuis locis omnibus adſcripſimus interpretationem. Quòd ſicubi lex aliqua municipalis refertur: vt l.ſemper. §.legem quoque.de iure immunita.iuncta l.prima.C. de decretis decurio.ſuper immu.libro decimo.quæ de ea re facta eſſe videatur,quæ priuatorum pactione effici non potuerit, talem legem aut à principe ſpecialiter permiſſam, vel poſteà confirmatam eſſe, aut in municipio obſeruatam, antequàm veniret in ditionem populi Romani intelligere, vel præſumere debemus, ſecundum ea quæ ſuperius adnotauimus, in d.l. omnes populi. de iuſtitia & iure. Quod ergo ait, Tacito conſenſu omnium,abrogati leges. Sine dubio accipiendum eſt, de populo, déque legibus Romanis. Nam de iure ciuili Romanorum vſquequaque his libris loquitur. Populus autem Romanus intelliguntur omnes Romano Imperio ſubiecti.l. in orbe.infrà de ſtatu hominum. Nam ad hos omnes pertinet ius ciuile: cui ſententiæ conſequens eſt, vt niſi omnes, aut maior pars ſubditorum conſentiant, lex nulla abrogari poſſit, argumento l. nulli. quod cuiuſque vniuerſitatis nomine.l.quod maior. ad municipal. Alberic. dicta l.omnes populi. poſt principium. Pleriſque autem conſentientibus, nihil aliud requiri arbitror, quàm vt ne princeps expreſsè contradixerit. Nam ſi contradicat, iuſſum eius altera lex eſt: quæ aut conſuetudinem tunc induci non ſinit, aut inductam perimit, vnde nouo populi conſenſu, & noua aliorum vel eiuſdem principis tolerantia ex integro opus eſt, cum longi temporis vſu: vt rurſus eadem inducatur deſuetudo. Hæc de populo Romano. Nam de exteris populis, quomodò apud eos inducantur conſuetudines, quærere ad nos non attinet. Secundum hanc diſtinctionem, Imperatoris noſtri conſtitutio nouella octuogeſimaquinta, qua arma priuatim fabricari, vendi ac teneri vetuit. Nec ſolùm contrafacientibus, verùm etiam magiſtratibus, qui ne id fieret non prouiderunt,certas pœnas infligit, ſine dubio per deſuetudinem ſublatam eſſe dicemus, cùm generaliter in omnibus terris Romani Imperij, arma priuatim vendi ac teneri ſolita ſint, principe id ſciente ac patiente. Item reſcriptum diui Adriani, quo mortuos in ciuitatibus ſepeliri vetuit, dicto §. diuus. contrario vſu abrogatum eſſe dicemus. Sed & Imperatoris noſtri nouellam conſtitutionem, authentica,vt non luxurientur contra naturam &c. quo capite,vltimo ſupplicio affici eos iubet, qui blaſphemauerint, vel per caput, aut per capillum Dei iurauerint, abrogatum eſſe crediderim, cùm talis pœna nuſquam in vſum recepta fuerit.Sed aut nulla, aut mitior irrogari vbique ſoleat. Non tamen erunt blaſphemi prorſus extra pœnam: ſed mitius punientur,quàm lex illa iubeat.quia ſcilicet conſuetudine atque etiam veteribus legibus quadamtenus puniuntur. l. finali.C. de religioſis. Eadem ratione

vſu

vſu quoque abrogata videtur lex illa, vt quod alea victum ſit, reſtituatur. dicta l. fina. nam nuſquàm hodie exerceri ea lex aduerſus luſores ſolet, quicquid contrà dicat Abbas in capi. clerici. de vita & honeſtate clericorum. gloſſa in l. ſi rem. §. finali. vbi Paulus de Caſtro, de præſcriptis verbis. Sed hanc totam rem fuſius ac plenius pontificij proſequuti ſunt, in capi. primo, de treuga & pace. Alexander quoque egregiè tractauit, in conſilio CXXXII. libro primo. ab his petenda, quæ nos conſultò omittimus, ne longiorem diſtinctionem facere neceſſe habeamus. Hæc ſic accipienda ſunt, ſi conſuetudo poſt legem inoleuiſſe proponatur. Cæterùm ſi vigente conſuetudine, lex huic aduerſa feratur, quin conſuetudinem perimat, iure ciuili dubium non eſt, dicto §. diuus. l. prima. §. ſi quæ verò pragmaticæ ſanctiones. C. de Iuſtinia. Codi. confir. Eius rei argumentum, quòd quibuſdam caſibus conſuetudinem ſpecialiter præſeruant legislatores. l. penultima. in fine. C. de conſtituta pecunia. authentica, de fide. in fine. quamuis iure canonico generalis lex generalem duntaxat, non etiam ſpecialem conſuetudinem ſingulorum locorum tollere traditum ſit. capi. primo. de conſtitutio. libro ſexto. Sed nos tam iure canonico, quàm ciuili id accipi debere exiſtimamus, ſi vel conſuetudo priuilegij inſtar habeat. dicto §. ſi quæ verò. vbi Caſtren. vel conſtitutio aliquid non ad publicum ius, ſed ad priuatam cauſam pertinens inducat. Tunc enim ſpecialem cuiuſque loci legem non tollet: alioquin ſi lex generalis ſit, & publicam vtilitatem reſpiciat, non video cur non & loci cuiuſque conſuetudinem perimat, cùm in vniuerſo orbe Romano aliquid prohibet, aut iubet. tunc enim lata lege iam nec poteſt quidem localis illa conſuetudo rationabilis appellari.

## L. XXXIIII. VLPIA. LIB. I. DE OFFIC. PROCONS.

CVM DE CONSVETVDINE CONFIDERE QVIS *videtur, primùm quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio conſuetudo firmata ſit.* Ita legendum eſſe Auguſtinus quoque probat, quicquid Accurſius vacillet, aut impoſturæ faciat. Ego vel aduerſus omnium ſententiam, hoc caput ita accipiendum arbitror: quaſi conſilium nobis det Vlpianus, non quaſi neceſſitatem imponat. Apertè enim id agit, vt illum adiuuet atque inſtruat, qui de conſuetudine confidit. Alioquin probari, aut firmari nunquam poſſet conſuetudo. Si iuſta exceptio illa exiſtimaretur, quòd contradicto iudicio nunquàm obtenta eſſet. Nobiſcum ſentire videtur etiam Albericus hîc in fine, dum dicit, huius capitis hunc ſenſum eſſe, vt qui conſuetudini innititur, diſpicere debeat, an ſecundum intentionem ſuam quandoque iudicatum ſit, & ſententias huiuſmodi profert, alioquin conſuetudinem talem eſſe aliis modis probet. Conſilium aliis etiam locis dare conſueuerunt Iuriſconſulti. l. is qui deſtinauit. de rei vend. l. prima. de inoffic. teſtamen. cum ſimilibus.

L. XXXIX. Celsus Lib. XXIII. Digestorum.

QVOD NON RATIONE INTRODVCTVM, SED *errore primùm, deinde conſuetudine obtentum: in aliis ſimilibus non obtinet.* Exemplum huius rei clariſſimum ſub titulo, de iniur. l. iniuriarum. §. finali.

## DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM.

### Titvlvs IIII.

DVM libera fuit ciuitas, legibus, Senatuſconſultis, magiſtratuum edictis, prudentum interpretationibus, ac reſponſis omnia gubernabantur. Sed poſteaquàm Reſpubli. ſub vnius ditionem Imperiúmque conceſſit, tunc demum in vſu eſſe cœpit hæc iuris pars, quæ conſtitutiones principum appellantur. Et initio quidem Romani principes proprio munere mandatis exercitibus conſulere ſe profitebantur, nihil certè niſi quod vetuſtis legibus & moribus conueniret conſtituebant, ab his autem latæ leges, tanquàm imperatoriam & tribunitiam gerentibus poteſtatem, accipiebantur. Nam tribunitiam poteſtatem perpetuam, principes ſuſcipiebant. Iidemque ex veteris iuris autoritate ius dicebant. Sed paulatim eò res proceſſit, vt citra ſolennium obſeruationem, arbitratu ſuo omnia conſtituere inciperent: adeò quidem, vt non iniuria neque falſò dictum ſit, vetuſtiſſimi iuris autoritatem, & diſciplinam, principum conſtitutionibus, veluti ſecuribus concidiſſe. Mutationes tamen & correctiones meritò in pleriſque factas exiſtimo, cùm antiquiſſimis legibus ac iure quædam nimis rigida & dura, quædam ſupra modum ſuperſtitioſis obſeruationibus plena eſſent, quod Cicero in oratione pro Murena, Aulus Gell. libro vigeſimo noct. attic. cap. primo atteſtantur. Ipſæ quoque principum conſtitutiones etiam nunc oſtendunt. l. fina. C. de adopt. l. j. C. de lat. libert. tollen. l. j. C. de nud. iure Quir. tol. Nihil enim à principibus niſi cum magna ratione conſtitutum, aut decretum inuenias, vtpote qui præſtantiſſimos iuriſconſultos vſquequaque in conſilio habere ſoliti fuerint, ſine quorum interuentu nihil expediebant. Quin ab his reſcripta omnia decreta & conſtitutiones dictabantur, tanto quidem ſæpè ſtudio tantáque ſubtilitate, vt nihil admirabilius ſtatui, aut definiri potuiſſe videatur. Cæterùm in his Digeſtorum libris, iam inde ab Auguſto Cæſare conſtituta quædam referuntur: vt lex Iulia maieſt. repet. pecul. de vi. de annal. de amb. de adulteris, & deinceps vſque ad ſua cuiuſque ſcriptoris tempora, quas Iuriſconſulti veteres interpretati ſunt. Sed in Codice Iuſtiniano, in quem vniuerſa hæc iuris pars collata eſt, non niſi à Seuero, & Antonino, quod inuenerim, ad ipſum vſque Iuſtinianum collectæ ſunt, principum conſtitutiones, nec hæ quidem omnes, nam quis hoc facere potuiſſet? Sed inſigniores rationabilioréſque & vſu magis probatæ. Credo quòd ſuperiorum principum bene conſtituta omnia, vel in libris Digeſtorum relata, vel in has poſteriores conſtitutiones translata erant. Nam ferè hoc vſu venit, vt dum ex aliorũ autoritate quod ſcribimus confirmare atque approbare nitimur: ſuperuacuos reddamus ſuperiorũ ſcriptorum libros, ac

velu

veluti luminibus eorum officiamus. Sanè quamuis quædam ex his quæ ſub titulo ſuperiore tradita ſunt, ad principalium quoque conſtitutionum interpretarionem pertineant,rurſumque ex his quę ſub hoc titulo referuntur,nonnulla,cæteris quoque iuris partibus interpretandis vtilia eſſe poſſint: vt l.ij. & l.finali.infra eodem titu.rectè tamen à Iuſtiniano factum eſt,vt de conſtitutionibus principum ſpecialem tractatum inſcriberet. Nam his maxima iuris noſtri pars continetur:quædam enim inſigniora,niſi ſpecialiter attingantur,quaſi neglecta videri ſolent.l.item apud. §. item ait prætor. de iniur. Cæterùm idem propè ſub hoc titulo agit,quod ſub præcedenti: vt, quid principum conſtitutiones ſint:quot earum genera, quæ vis & poteſtas, quomodò accipiendæ atque interpretandæ ſint,in vniuerſum nos doceat.Bartol.tamen inſcriptam habuiſſe videtur rubricam,non de conſtitutionibus, ſed de *mandatis principum*, quæ inſcriprio vera non eſt.Quid autem inter ſe differant,mandata & conſtitutiones principum,mox docebimus in l.j.infra eod.titu.

## L. I. VLPIANVS LIB. I. INSTITVTIONVM.

QVOD PRINCIPI PLACVIT, LEGIS HABET VIGOREM: *Vtpotè cum lege regia,quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* In vulgatis codicibus legebatur,*Conceßit*. Quod illi verbo, *Lata eſt*, melius reſpondet,ſed,*Conferat*, etiam Alberic. hîc agnoſcit, & ita prorſus Vlpianum ſcripſiſſe puto. Quamuis animaduerterim Iuſtinianum, quotquot aliis locis huiuſce legis mentionē facit,Inſt.de iure natur. §.ſed quod principi.l.j. §.cùm enim.C.de vet.iur. enuclean.l.j. in princ.de offic. præf. præt. Lex imperfecto.C.de teſtam.l.ij.§.nouiſſimè.de origi.iur. Ita ſemper omnia retuliſſe,quaſi initio vna lex lata fuerit,quę futurorum omnium deinceps Imperatorum poteſtatem generaliter firmauerit, & imperium à populo Romano perpetuò in principes tranſtulerit.Quod verum eſſe etiam Corraſius vir alioqui diligētiſſimus & doctiſſimus,aduerſus Marij Salomonij ſententiam(quam ille poſuit in tractatu, de principe. lib.VI. & VII.)exiſtimauit. lib. VI. Miſcell. cap.VIII. Sed hiſtoriæ veritas eſt, conſueuiſſe legem huiuſmodi in ſingulos principes,mox vt ab exercitu conſalutati,& à ſenatu comprobati eſſent, ferri, non quidem antiquo more per tribus, & populi rogationem (quippe ſtudiis tribuum alia fieri pridem deſitum erat, vt paulò antè commemorauimus,in l. non ambigitur. ſupra titu. j. Ideóque poſt Auguſti tempora nihil omnino per tribus (quòd ad reipublicæ adminiſtrationem pertineret) actum eſſe legimus. Sed ferebatur huiuſmodi lex de Imperatore, per ſenatum ipſum, quod eſt ſummum conſilium populi Romani: vt definit Cicero. Quare ſpeciali nomine Senatuſconſultum appellabatur. Tacitus libro decimoſeptimo: Adcurrunt patres, decernitur Othoni Tribunitia poteſtas, & nomen Auguſti, & omnes principum honores. Idem libro decimooctauo,de Vitellio. in ſenatu cuncta, longis alioum principatibus compoſita ,ſtatim decernuntur. Idem libro vigeſimo: At Romæ ſenatus cuncta principibus ſolita Veſpaſiano

decernit. Idem lib. xII. in fine. Illatusq́ue caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donatiuo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur, ſententiam militum ſequuta patrum conſulta. Plena denique horum hiſtoria eſt teſtimoniorum, præſertim libri illi variorum autorum, qui de vita Rom. Imperatorum inſcribuntur. Quinetiam Senatuſconſulti de Imperio Veſpaſiani facti, pars maxima hodie in Laterani Baſilica legitur, ærea tabula inciſa, quæ prope altare maximum adſeruatur, idq́ue etiam Salomonius putat. Eius tabulæ exemplum ſubſcribi curauimus, quod quidem eſt in hæc verba.

## *EXEMPLVM TABVLAE.*

FOEDVS VE CVM QVIBVS VOLET FACERE LICEAT, ITA VTI LICVIT DIVO AVG. TI. FILIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO. VTIQVE EI SENATVM HABERE, RELATIONEM FACERE, REMITTERE, SENATVSCONSVLTA PER RELATIONEM, DISCESSIONEMQVE FACERE LICEAT, ITA VTI LICVIT DIVO AVG. TI. IVLIO CAESARI AVG. TI. CLAVDIO CAESARI AVGVSTO GERMANICO. VTIQVE CVM EX VOLVNTATE AVTORITATEVE IVSSV MANDATVVE EIVS PRAESENTE VE EO SENATVS HABEBITVR, OMNIVM RERVM IVS PERINDE HABEATVR, SERVETVR AC SI E LEGE SENATVS EDICTVS ESSET HABERETVRQVE. VTIQVE QVOS MAGISTRATVM, POTESTATEM, IMPERIVM, CVRATIONEM VE. CVIVS REI PETENTES SENATVI POPVLOQVE ROMANO COMMENDAVERIT, QVIBVSVE SVFFRAGATIONEM SVAM DEDERIT, PROMISERIT, EORVM COMITIS QVIBVSQVE EXTRA ORDINEM RATIO HABEATVR. VTIQVE EI FINES POMERII PROFERRE PROMOVERE, CVM EX REPVBLICA CENSEBIT ESSE LICEAT, ITA VTI LICVIT TI. CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO. VTIQVE QVECVNQVE EX VSV REIPVBLICAE MAIESTATE DIVINARVM, HVMANARVM, PVBLICARVM, PRIVATARVMQVE RERVM ESSE CENSEBIT, EI AGERE, FACERE, IVS POTESTASQVE SIT ITA VTI DIVO AVG. TIBERIOQVE IVLIO CAESARI AVG. TIBERIOQVE CLAVDIO CAESARI AVG. GERMANICO FVIT. VTIQVE QVIBVS LEGIBVS PLEBEIVESCITIS SCRIPTVM FVIT, NE DIVVS AVG. TIBERIVSVE IVLIVS CAESAR AVG. TIBERIVSQVE CLAVDIVS CAESAR AVG. GERMANICVS TENERENTVR IIS LEGIBVS PLEBISQVESCITIS IMP. CAESAR VESPASIANVS SOLVTVS SIT, QVAEQVE EX QVAQVE LEGE ROGATIONE DIVVM AVG. TIBERIVMVE IVLIVM CAESAREM AVG. TIBERIVM VE CLAVDIVM CAESAREM AVG. GERMANICVM FACERE OPORTVIT: EA OMNIA IMP. CAESARI VESPASIANO AVG. FACERE LICEAT. VTIQVE QVAE ANTE HANC LEGEM ROGATAM ACTA, GESTA, DECRETA, IMPE-

RATA

RATA AB IMPERATORE CAESARE VESPASIANO AVG. IVSSV MANDATVVE EIVS A QVOQVE SVNT: EA PERINDE IVSTA RATAQVE SINT, AC SI POPVLI PLEBISVE IVSSV ACTA ESSENT. *Sanctio.* SI QVIS HVIVSCE LEGIS ERGO ADVERSVS LEGES, ROGATIONES, PLEBISVESCITA, SENATVSVE CONSVLTA FECIT, FECERIT, SIVE QVOD EVM EX LEGE ROGATIONE PLEBISVESCITO S. VE. C. FACERE OPORTEBIT, NON FECERIT, HVIVS LEGIS ERGO ID EI NE FRAVDI ESTO, NEVE QVID OB EAM REM POPVLO DARE DEBETO, NEVE DE EA RE CVI ACTIO, NEVE IVDICATIO ESTO, NEVE QVIS DE EA RE APVD SE AGI SINITO.

Ex his ſatis conſtare arbitror, de ſingulis Imperatoribus legem ferri ſolitam, ſine qua nulli iuſtum imperium eſſe exiſtimaretur. Quamobrem quod ex Vlpiano relatum eſt, dicta lege prima, infrà de offic.præfect.præto.Reipub. regimenta ad Imperatores perpetuò translata eſſe, ex ſententia ipſius Vlpiani(ſi modò Vlpianus ita ſcripſit) ſic accipiendum videtur: inſtitutum fuiſſe, vt Imperatores perpetuò crearentur, atque hi totius Reipubli.curam gererent: quod & Pomponij verba ſignificant, quæ ſuperius retulimus, ex lege ſecunda. §.Nouiſſime.de origi.iur. Illud quoque ſciendum eſt, lata lege de Imperio cuiuſpiam, ſiquidem ipſe iure agere videri vellet, non continuò per ſeſe omnia adminiſtraſſe: ſed de Senatus ſententia pleraque conſtituiſſe, vt ex Plinij Cecilij Panegyrico, quem Traiano dixit, cognoſci poteſt. In eo enim bonum principem & qualem omnibus eſſe decet exprimit. Indicant hoc paſſim Hiſtoriæ, Apparétque etiam Imperatoris Iuſtiniani relatu, in lege ſecunda. §.ſed quia.C.de vete.iure enucle. Nam Imperatorem Adrianum, cùm edictum perpetuum opera Saluij Iuliani compoſuiſſet, edidiſſétque, Senatuſconſulto illud approbari iuraſſe teſtatur, quò firmior autoritas eſſet. Quibus conſequens eſt vt dicamus, Senatum Populúmque Romanum non in totum, ne pro tempore quidem quo quiſque Imperator viueret, à ſe abdicaſſe imperium: cùm videamus ſub bonis principibus ita haberi ſolitum fuiſſe, vt non minus rata eſſent, quæ Senatus, quàm quæ Princeps conſtituiſſet. Quinimo auſim dicere nihilo plus iuris datum Principi, quàm retentum eſſe: quoad ſcilicet Princeps aliquid fieri non prohiberet. Nam ex tabula apparet non id agi, vt Senatus, aut Populus priuentur poteſtate ſua: ſed vt principem quaſi ſupremum aliquem magiſtratum ac velut dictatorem conſtituant. Veram eſſe hanc ſententiam indicat etiam id ipſum, quod ex Vlpiano refertur, *Senatum ius facere poſſe.* Quod etiam Valent.& Theodo. Imperatorum conſtitutione agnitum & comprobatum eſt.d.l.non ambigitur.l.j.C.de Senatuſconſul. Extántque hodie complura Senatuſconſulta temporibus Imperatorum facta, quæ pro generalibus legibus obſeruata ſunt. Enimuerò quia ſummum ius etiam magiſtratuum creandorũ coëgendiq; & habendi Senatum, ac poteſtas etiam Tribunitia penes Principem erat, vt tabula oſtẽdit: cùm quidem quarto

capite cautum ſit, vt quos magiſtratus petentes commendauerit, quibúſque ſuffragationem ſuam dederit, aut promiſerit, eorum comitijs quibuſque extra ordinẽ ratio habeatur: idcirco nec alij ferè quàm quos Princeps iuſſiſſet magiſtratus creabantur. l. j. ad legem Iuliam. de ambi. Et perraró eueniebat, vt quicquam, niſi arbitratu Principis, conſtitueretur. Quid enim auderent, vel conſules, vel prætores, qui tum eſſent, aut omnino Senatus totus: quibus ille ſtatim, ſi collibitum eſſet, magiſtratum abrogare, atque etiam ordine eoſdem mouere poſſet. Quemadmodùm Populum per tribus, quibuſdam olim magiſtratum abrogaſſe legimus. Igitur tunc demum neque plebs neque Senatus ſine principe quicquam poterant: cùm ille impedire voluiſſet, aut diuerſum quippiam iuſſiſſet: cùm lege imperij cuiuſque Principis ad id quod illi placuiſſet accipiendum ferendúmque ſe obſtrinxiſſent, vt abundè ſuprà expoſuimus, in l. non ambigitur. de legibus. Si quid tamen eiuſmodi incidiſſet, quamobrem à gubernaculis Reipub. Principem amouere voluiſſent (ſiquidem iuſta eſſet cauſa, vt quia imperio abuti cœpiſſet) iure amoueri potuiſſe exiſtimo: ſi vel vniuerſus Populus conueniſſet, quod iam penè impoſſibile erat, propter immenſam eorum multitudinem qui ciues facti erant, præſertim cùm Tribuum & centuriarum ordines iam aboliti eſſent, vel (quæ altera poteſtas remanſerat) coactus Senatus ſolenniter omnia decreuiſſent. argumento not. in l. quod ſemel. infrà de decret. ab ord. fac. vt de Nerone, de Iuliano & de Maximino olim factum legimus. Nec licuiſſe principi hoc caſu Tribunitiæ poteſtatis vigore intercedere, vel contrarium quicquam pro ſe iubere, cùm de ſuis ipſius delictis ageretur. Huius rei argumentum eſt, quòd Tribuno quandoque pertinacius intercedente, ne lex ferretur, coactas tribus magiſtratum illi abrogaſſe legimus, neque interceſſionem, quominus id fieret, obſtitiſſe, vt Aſconius Pedian. ſcribit, in expoſitione orationis Ciceronis pro Cornelio. Non aliter quam ſi quis apud iudices accuſatus, ſuo ipſius teſtimonio defendere ſe, aut ſententia ſua ſe abſoluere conaretur. Nemo enim idoneus in ſua cauſa teſtis, aut iudex eſt. l. omnibus. C. de teſtibus. Accedit quod, vt Tribunitia, ſic Imperialis poteſtas, non ad ſuam cuiuſque, ſed ad cæterorum defenſionem ac tuitionem inuenta erat. Nec ad rem pertinet, quòd Tribuni & alij magiſtratus neque accuſari, neque in ius vocari poterant. lege prima, & ſecunda, infrà de in ius vocan. illi enim ad tempus creabantur, & ob id facilis expectatio: quoad magiſtratus abirent. At Imperatores perpetuò quoad viuerent, conſtituebantur. Quamobrem periculoſa expectandi mora: ne interim omnia peſſum irent. Hæc dum Romæ Senatus ac principum ſedes, & veluti domicilium imperij fuit. Poſteà verò quàm opibus imperij comminutis, quæ reliquæ erant Bizantium translatæ ſunt, cùm multa alia ex ſolennibus interiore, tum abſque huiuſmodi, ſeu lege, ſeu Senatuſconſulto, iuſti Imperatores haberi cœpti ſunt, quos aut milites appellaſſent, aut defuncto Imperatores ſucceſſores ſibi conſtituiſſent, id ſignificare voluit Iuſtinianus. Itaq; eius verba accipienda ſunt, vbicunque de hac lege, deq; Imperatoris poteſtate loquutus eſt, aut aliorũ verba retulit, ea ſcilicet ratione, quòd nihil referre videretur, tacitiſne an expreſſis Senat

natus ſuffragijs ea lex ferretur; quippe obediendi aſſuetudine,voluntas declarabatur.Quanquàm non ignoro eſſe qui affirment,paucis admodùm,aut nullis ex ijs qui Bizantij ſedem imperij habuerunt,paruiſſe Senatum atque vrbem Romam. Sed procerum conuentus,qui Conſtantinopoli cum Imperatoribus erant,pro Senatoribus ac Senatu gerebant. Quamobrem nonnunquam & ipſi Imperatorem expulere atque alium ſufficere, vt Conſtantem,eiecto Conſtantini priuilegio,Herachonæ vxoris eius filio,cum quo illa,marito extincto, imperium adminiſtrare cœperat. Nam Senatus vrbis per illa tempora quibus Imperatores Conſtantinopoli fieri cœperunt, & deinceps in longum æuum,velut captiuus in poteſtate ac manu hoſtium, Gotthorum, Vandalorum, Longobardorum & huiuſce generis colluuionum, poſtremò etiam domeſticorum tyrannorum detinebatur, qui Italiam totam atque vrbem Romam occupatam tenebant. Igitur cùm vrbis Romæ poſſeſſio ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis,veluti pro derelicto habita eſſet,quæ reliquiæ Senatus in ea remanſerant, cumprimùm per captiuitatis iugum reſpirare potuerunt, ac veluti qui hoſtium ſerui fuerant, poſtliminio reuerſi ſunt, autoritate Roma.Pontificis: aut quem ille appellaſſet Imperatorem eum acciperent, ſe commiſerunt. Is Carolum magnum Francorum Regem Imperatorem creauit. Nec dubitandum puto quin reliquiæ illæ veteris & veri Senatus, quantulæcunque fuerint, quæ creandi Imperatoris munus ad arbitrium Pontificis detulerunt(Nam cùm vniuerſus populus qui Romæ tunc erat ita fieri voluerit,Senatum quoque conſenſiſſe credendum eſt)plus autoritatis & iuris habuerint, quàm Conſtantinopolitanus Græcanicorum Senatorum conuentus. Si quidem vrbs ipſa Roma caput Imperij eſt,nec Senatum inde vnquam perpetuò translatum eſſe accepimus,nec iure à quoquam Imperatorum,niſi Senatu ipſo conſentiente transferri potuiſſe arbitror. Idq; vt credam,rationibus adducor ijs, quas Furius Camillus olim nobiliſſima illa Concione ſua ad populum recenſuit,cùm ne Veios migraretur diſſuaſit, actionémque à Tribunis ſuſceptam de transferenda vrbe atque Imperij ſedibus prorſum fregit, vt etiam nunc apud T. Liuium legimus. Quamobrem Imperatores omnes Conſtantinopolitanos, qui poſt Carolum Magnum fuerunt, non iuſtos Romanorum Imperatores fuiſſe exiſtimo. Docent hoc eorum quoque facta & mores, cùm plerique hoſtiliter contra Italiam atque vrbem Romam certauerint, & Chriſtianam religionem,Romæ receptam multifariam turbauerint,atque oppugnarint. Quare nec de illo dubitandum puto, quin eadem Senatus voluntate & velut tacito conſenſu ſuffragante, Romani Pontifices non ſolùm diuino iure,quo illi maximè freti omnia geſſerũt,vt Bartolus quoq; refert in l.j.§.præſides.de requi.& annot.reis, ſed humano quoq; vrbis Romæ dationẽ delatam ſibi acquirere,& eligẽdi Imperatoris ius ad Germanos transferre potuerint:nã Senatus, hoc totum munus eligendi principem perpetua cõſenſione,cũ ipſius vrbis dominatu ad Pontifices detuliſſe videtur: & hæc omnia facere potuiſſe, quãuis imminutus eſſet,cùm ius Collegij,vel in vno retineri cõſtet.l.ſicut.§.j. quod cuiuſque vniuerſ.quanquam plebis ipſa vrbana per ſe non idem forſan

efficere potuiſſent. Iam enim tunc populi Romani pars magis, quàm populus Romanus erant omnibus ſubditis imperio, & ciuitate donatis, vt ſuprà diximus. Approbaſſe multò ante agnouiſſéque hoc ius non ſolùm vrbis Romæ, ſed totius planè imperij in Rom. Pontifice videntur etiam Imperatores ipſi Conſtantinopolitani. Nam & Phocas qui quartus à Iuſtiniano fuit Romanum Pontificem iure omnium Principem declaraſſe fertur, & Heraclius, qui ei ſucceſſit, à Sergio Pontifice diadema accepiſſe, vt Iygnatius ſcribit. Sed & qua ratione Romanus Pontifex imperij ius transferre potuit, eadem quoque ſi iuſta cauſa intercedat, auferre poſſe dicendum eſt, quod pontificij rectè tradiderunt. glo. in c. ad apoſtolicæ. de re iud. lib. v i. Abb. in c. venerabilem. de elect. nõ enim ſic dedit, vt ab ſe ex toto alienum faceret: id ex eo quoque planum fit, quòd electi Imperatoris confirmationem ſibiipſi Pontifex reſeruauit. Verius eſt enim quaſi vicarium poteſtatem ſeptem illis Germanis principibus eſſe voluiſſe: vt Imperatorem pontificio magis nomine, quàm iure proprio crearent. quare & creatum iam ab ijs, & ab ſeipſo ſolenniter confirmatum, ex cauſa ab imperio remouere poterit. interdum feciſſe legimus, non ſolùm diuino, quod propè receptum eſt, verùm etiã humano & ciuili iure, quemadmodùm & Senatus olim poterat, ſecundum ea quæ ſuprà diximus. Sanè ex illis verbis, *vti quæcunque ex vſu Reip. &c.* exiſtimat Marius Salomonius in tractatu, quod de principe elegãter ſcripſit, non licuiſſe Imperatori regna & ditiones aliáque ad Rom. imperium pertinentia alienare: quoniam ex vſu reip. id non eſſet. Sed hâc de re nos alio dicemus loco. l. fina. de offi. præſ. Illud quæſitum eſt, an collegium Cardinalium hodie eam poteſtatem idémque ius habeat, quod ſenatus olim. Sed habere non videtur. non enim à cardinalium ſuffragio pendet Imperatoris poteſtas, vt à ſenatu olim pendebat. Quanuis ex pontificis autoritate ac facultate pendeat, vt theologi & iuriſconſulti conſentiunt. Barto. d. §. præſides. Ergo neq; ius in vniuerſum eos facere poſſe quiſquam dixerit, vt ſenatus olim, nec Imperatorem ex cauſa remouere: magis enim hæc omnia Pontifici conuenirent quàm Cardinalibus. Quod quanquàm ita ſit, ſimilitudine tamen quadam, & relatione facta, ſic illos erga pontificem ſe habere non ineptè dixeris, vt ſenatores olim erga Imperatorem, non tamen in omnibus. Non enim pontificis poteſtas à Cardinalibus ſic pendet, vt à Pontificatu illum vnquam amouere poſſint. Ita accipienda arbitror, quæ hac de re ſcribit Innoc. in c. cum te. de re iud. per c. Conſtantinus. x c v i. diſtinctio. Illud neſcire fateor, quare Alciatus præceptor meus hanc legem nõ Regiam, ſed Rhenniam, ſeu Rhennium appellarit (nam nec ſcriptura apud ipſum ſatis conſtat) & Auguſti temporibus latam dixerit in l. bona ciuitatis. de verborum ſignifica. cùm & Florentinorum codicum fides repugnet, & Theophilus vnus ex compilatoribus, qui inſtitutiones Græcas fecit, nõ Rhenniam, neq; Rhenniam, ſed Regiam planè nominauerit. d. §. quod principi. nec in Auguſti temporũ hiſtorijs, vlla huius rei mentio inueniatur. Legem autem Rhenniam omnino aliam fuiſſe conſtat, ante Auguſti imperium latam: cuius & Cicero mentionem facit, quamuis excuſſi typis codices corrupti ſint, & pro Rhennia legatur, Memmia: quod Auguſtinus rectè

ctè animaduertit. Eiuſdem legis Rhemmiæ meminerunt & iuriſconſulti noſtri ſub titu.de teſtibus.l.quæſitum.& ad S.c.Tur.l.j.legis Regiæ mentio eſt etiam titu.de mortuo infe.l.ij. *Negat*, inquit, *Marcellus, lex Regia mulierem quæ prægnans mortua ſit, humari antè quàm partus ei excidatur.* Sed hæc videtur fuiſſe alia ab aliquo ex ſeptem Regibus lata. Cõſtat enim multas ab his latas,& quarundam etiam hodie memoriam extare. Sanè hæc de qua agimus,non idcirco quòd à Rege aliquo lata ſit ( ſi modò vllo vnquam tempore lata eſt ) nec quòd Imperatorem Regem faceret,Regia appellatur. ( Regum enim nomen Romæ perpetuò inuiſum,vt ſuprà diximus)ſed quòd maxima quædam & admirabilia ac ſplendida contineret, idcirco Regia dicta eſſe videtur. Sic & Regiam Romam aliquando legimus.l.ſed & reprobari. §.fina.infrà de excuſa.tutorum.& Regias epulas,& ſi qua ſimilia. Hæc de lege Regia. Poſtremò quia dicitur hîc, *Quod principi placuit, legis habet vigorem*, prolixè tractant Doctores noſtri de principis poteſtate,an contra ius diuinum,an contra ius naturæ, vel gentiũ conſtituere poſſit,qua de re magni longíque tractatus extant. Horum quem Marius Salomonius ſcripſit omnino non negligendus. Ego tyrannidem à principatu diſtinguendam arbitror, volentibus princeps, inuitis Tyrannus imperat. De Tyranno diſputare inutile eſt: cùm ab eo omnia per ſolidam vim non per leges gerantur.Iuſti principis poteſtatem in diſputationem reuocare ſacrilegij inſtar eſt.l.ſacrilegij.de diuer.reſ.lege,ſecunda.C.de crimine ſacril.& omnino ſuperuacuum, cùm nihil ab eo ſine ratione conſtituatur, alioquin nec leges appellandæ ſunt quæ ab eo feruntur,ſi non ſanctæ & iuſtæ ſint.lege,ſecunda.ſupra titulo primo. Quin ipſe quoque qui hactenus bonus princeps fuit, ſi nunc malas leges ferre inſtituit, iam Tyrannus eſſe incipiet. Quales autem leges Princeps ferre debeat,& vel ex re nata,vel vtilitate aliqua ſuadente, quatenus vel ex ciuili, vel ex gentium, aut naturali iure mutare liceat,ipſius principis iudicium eſſe debet,qui omnia facilè explicabit,ſi vel prudentium virorum conſilium,vel rationem ſequi volet,vel certè obtinet, principum vitam exempláque imitari. Illud prætereundum non eſt, quod dicitur principem legibus ſolutum eſſe,quomodò quoque iure id ita ſit, à paucis intelligi.lege,princeps ſupra titulo primo. Videntur enim exiſtimare, à ſeipſo ſolutum eſſe. Sed tabula indicat, lege ipſa Regia hoc quoque contineri conſueuiſſe,vt legibus ne teneretur. De Auguſta nihil cautum, ideò eam teneri dictum eſt præterquàm intuitu mariti.dicta lege,princeps. Hæc à nobis dicta ſint, cætera ex alijs libris cognoſci poterunt.

QVODCVNQVE *igitur Imperator per epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decreuit, vel de plano interloquutus eſt, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat. Hæ ſunt quas conſtitutiones vulgò appellamus.* Principalium conſtitutionum tria genera ſunt,Epiſtolæ,Decreta,Edicta. Epiſtolæ ſunt reſcripta ad magiſtratuum,vel priuatorum relationem conſultationémve, quæ reſcripta ad libellos dicuntur, nam libellos multi aſſiduè porrigebant, ad quos non grauatè reſcribebat princeps,& quaſi de iure reſponſitabat. Huiuſmodi

fere ſunt vetuſtiſſimæ quæque conſtitutiones in Iuſtiniani Codice relatæ. Harum Papirius Iuſtus olim xx. libros cōpoſuit, vt in indice refertur. Decretum, eſt ſententia principis in alicuius cauſæ cognitione lata, ſiue ea diffinitiua ſit, ſiue interloquutoria. l. metum. §. quod ait. infrà quod met. cau. Decretorum Paulus olim libros ſex collegit. Edictum eſt quod Princeps iubet, & ſolenni more (vt omnibus innoteſcat) obſeruandum proponit. Edicti appellatione orationes quoque in Senatu haberi ſolitas, cōtineri exiſtimauerim. Atque horum trium exempla plenius proſequitur Theophil. in Inſtitu. d. §. ſed & quod principi. Quædam etiám hîc ab Accur. referuntur. Sed Principum ſententiæ olim quidem ſic indiſtinctè pro legibus accipiebantur. Nec repugnat huic ſententiæ, quod Antonini decretum de confundendis partibus in computatione legis Falcid. non videatur pro lege quandoque obſeruatum eſſe. l. j. §. ſi cohæredis. infrà ad leg. Falc. Nam rationem in interpretatione eiuſdem decreti aſſignauimus. Veruntamen poſteriores principes Theodoſius & Valent. editis conſtitutionibus. l. ij. & iij. C. de legib. ita demum accipi decreta principis pro legibus voluerunt, ſi ſpecialiter illud quoque additum ſit, vt pro legibus in vniuerſum obſeruentur: nimia ſanè modeſtia (ne dicam diffidentia) credo ſatis iam legum eſſe ad cauſarum deciſionem exiſtimantes, néve obiecto principis exemplo, ſcrupulus quotidie iudicibus inijceretur, vel cauſæ deciſio per calumniā differretur, dum principalis ſententiæ exemplum expectatur. Sed Iuſtinianus poſteà l. fin. C. eo. ti. de legib. hactenus hoc quod Theodoſius & Valentianus iuſſerāt, correxit, & ad priſtinam obſeruantiam redegit: Vt ſi principis ſententia vtriſq; partibus præſentibus lata ſit, pro lege habeatur, & eodem modo in ſimilibus cauſis deinceps ab omnibus iudicetur, licet ſpecialiter additū hoc non ſit, quæ res eam habet rationem, quòd exemplum & præiudicium principalis ſētētiæ non leue haberi debet, nec temere à iudicibus negligi, ſi per obreptionem extortum eſſe, dici non poſſit, quæ ſuſpitio tunc ſubeſſe poteſt, cùm abſente altera parte quidpiam ſtatutū eſt. Ita accipiendas arbitror has conſtitutiones, quæ inter ſe videntur pugnare. arg. l. fi. infrà hoc tit. & quod dixi in l. inciuile. ſuprà ti. j. quāuis Doctores aliter interpretentur. Poteſt addi etiam quarta ſpecies conſtitutionum, Mandata principum, quæ ſcilicet Præſidibus prouinciarū dabantur, quorum in iure frequens mentio. In Codice autem conſtitutionū etiam ſpecialis tractatus, qui inſcribitur, *De mandatis principum*. Nam mandata hæc pro legibus recepta ſunt. l. annonam. infrà, de extraor. cri. l. diui. de pœn. Multa ex his referuntur ſub tit. de off. proconſ. & leg. & de offi. præſ. Eſt etiam nouella conſtit. Iuſtiniani xvii. de mand. princ. vel (vt Haloander vertit) *Præcepta præſidum*. ex qua horum principaliū mandatorum natura plenè cognoſci poteſt.

L. IIII. Modestinvs. Lib. II. Excvsationvm.

Aἱ ΜΕΤΑΓΕΝΕΣΤΕΡΑΙ ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν. id eſt, *conſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his, quæ ipſas præceſſerunt.* Interierat ob Græcæ linguæ ignorationem poſtremum hoc caput, omnium maximè neceſſariū, quod nobis ex Pandectis Florent. reſtitutū eſt.

Quo

Quotidie enim ac paſſim incidimus in conſtitutiones, quæ alijs aduerſari videantur.exemplum in his tribus quarum proximè mentionem feci. Vbicunq; igitur hoc euenerit,primùm quidem id quod edixit Iuſtinianus,in l.ij.§.contrarium.C.de vet.iu.enucl.ſequendum erit,vt videlicet ſubtili animo diuerſitatis rationem excutiamus.Si nouum fortaſſe aliquod inuentum,vel occulrè poſitum ſit,quod pugnantiam excludat,vel aliam naturam inducat.Si hæc ratio non profecerit,tum an aliquo modo poſterior cōſtitutio ad priorem trahi poſſit,videndum erit,quod ſupra tit.proximo præceptum eſt.l.ſed & poſteriores. Poſtremò vbi nihil horum ſatis profecerit,inſpectione hac vtendum cenſeo,vt poſterior quoque præualeat.Neceſſariò autem dicendum eſt, Imperatorē hoc reſpōſum nobis propoſuiſſe,quòd huiuſmodi aliquid in ſuis libris inueniri poſſe cogitauerit,& ſanè nō raro accidit,cùm & ſibi ipſemet Iuſtin.in vno eodēq; libro interdum ſic aduerſari videatur:vt nulla alia quàm hac vna temporū ratione conciliari,aut defendi poſſit. Budæus in annotat.ad l.iij.tit.ad legem Iul. maieſt.exempla aliqua aſſignat,quibus in Codice auguſtali non vetuſtiores ſolùm,verùm ipſius quoq; Iuſtiniani cōſtitutiones ab recētioribus ipſius Imperatoris ſanctionibus correctas putat.l.quiſquis.C.ad leg.Iul.maieſ.per l.ſancimus. de pœnis.l.ij de præd.min.(ſed vult dicere legem vij.)per l.fin.ſi ma.fac.al.rat. hab.l.iiij.de furt.per l.antepen.eod.tit.& alias quaſdam, ſed earum quæ ſub eodem tit.poſitæ ſunt facilè admittas correctionem,vt notauimus ſupra tit.j.l.inciuile.quia ſcilicet titulus & tractatus quilibet pro vno capite accipitur aliarū autem difficilè.Nam ſi aliter diceremus,haud ſatis ſibi cōſtaret Imperatoris diligentia. Hoc intuitu conſtitutum olim fuerat,non valere conſtitutiones,quæ ſine die & conſule proferuntur.Prima cōſtit.Cod.Theod.tit.de leg.Sed hoc Iuſtinianus poſteà in priuilegijs duntaxat locū habere voluit.l.ſi qua.C.de diuerſ. reſcri.Nos ex ordine Imperatorum & alijs cōiecturis argumentari debebimus.

## *DE STATV HOMINVM*

## TITVLVS V.

Exequitur ſub hoc tit.materiam eorum omnium,quorum quaſi primordia & notiones traditæ ſunt ſub tribus titulis Inſtitutionum. *De iure perſonarum. De ingenuis.*& *De libertinis*. Nec de his ſolùm tractarur,ſeruis ſcilicet & liberis, Ingenuis & libertinis.Sed aliæ quoq; inter liberos homines differentiæ oſtenduntur:vt inter maſculos & fœminas.l.in multis inter mōſtroſos & perfectos. l.non ſunt.Item alios eſſe qui iuſtis nuptijs procreantur,qui vulgò nunc legitimi,olim iuſti liberi appellabantur:alios qui ſpurij & nothi.l.Paulus.li.ſeq.Alios prætereà ciues Romanos cenſeri ,alios externos & peregrinos.l.in orbe.l.ſeq. Alios ſanos,alios furioſos.l.qui furere.Alios iam editos,alios adhuc tātùm conceptos eſſe.l.qui in vtero.l.pen.de quibus omnibus generaliter diſſerit, ac ferè id agit,vt demonſtret qua ratione ſinguli aliquem ex ſupradictis ſtatum & conditionē capiant. Quòd ſi omnium huiuſmodi differentiarum effectus omnes explicare voluiſſet,ſine dubio nimis longum facturus erat.Explicantur hi,per omnes ferè iuris partes:quare nuſquā non proderunt elemētares hæ notiones.

L. II. HERMOGENIANVS. LIB. I. IVRIS EPITOMARVM.

CVM IGITVR HOMINVM CAVSA OMNE IVS CONSTITVtum *ſit, primò de ſtatu hominum, ac pòſt de cæteris ordinẽ edicti perpetui ſequuti, & his proximos atq; cõiunctos applicãtes titulos vt res patitur, dicemus.* Quod Hermogenianus libris ſex iuris epithomati, (nam totidẽ ſcripſiſſe commemoratur) facere inſtituit, vt edicti perpetui ordinẽ ſequeretur, id propemodùm Iuſtinianus quoq; his Digeſtorũ libris, fieri mãdauit. l.j. §. quia autem. C. de vet. iu. enuc. (vt ſuprà diximus in Rubrica de iuſt. & iure.) Ideò accipiẽda ſunt hæc verba, vt cætera omnia, ex perſona Imperatoris.

EDICTI *perpetui.* Edictum perpetuum quod & quando compoſitum fuerit, tam copioſè ſcribunt Budæus, Alciatus, Auguſtin. & nouiſſimè Duarenus, vt repetere nõ ſit neceſſarium. Bud. hic. Alcia. lib. II. diſpunct. XXVII. & lib. III. *παρέργων.* c. iij. & in Rub. de edẽ. Aug. lib. I. emẽda. c. v. Duaren. c. lv. anniuer. diſput. Illud meminiſſe haud ab re fuerit, quod Pompo. ſcribit, in l. ij. §. Seruius. ſuprà de orig. iur. Aulum Offiliũ edictũ prætoris primum diligẽter cõpoſuiſſe. Nam ante eũ, inquit, Seruius duos libros ad Brutũ quàm breuiſſimos ad edictũ ſubſcriptos, reliquit. Quibus verbis apparet, nõ primùm Iulianũ (vt omnes exiſtimãt) edictũ cõpoſuiſſe, ſed alios quoq; ante eũ id negotij aggreſſos eſſe, adeò nõ in vno eodẽq; ſcriptore ad ſummã perfectionẽq; cuiuſq; inuenti ſtatim peruenitur. Appellat Iulianũ Imper. in l. ij. §. ſed quia. C. de vet. iur. enuc. legũ & edicti perpetui ſubtiliſſimũ conditorẽ. Quò fit vt exiſtimem Offiliũ quidẽ in edictis colligendis ac certo ordine componendis & cõſtituendis duntaxat elaboraſſe. Iulianum verò etiam detractis, aut additis quibuſdã, curaſſe, vt edicta ipſa cùm inter ſe, tum verò etiã cum veteribus legibus ac principalibus conſtitutionibus conuenirent. Eius rei argu. eſt, quòd edicta quædã ex cõpoſitione Iuliani ſine dubio translata hodie, aliter atq; ante Iuliani tẽpora erãt, habẽtur: vt interdictũ, vnde vi. quod Alc. annotauit. Propter id caput edicti (inquit) Marcellus l. qui duos. de cõiung. cum emanc. lib. quod à Iuliano introductum eſt, id eſt, ex noua clauſula. Nam hoc facere potuit Iulianus: vt aliquid detraheret, vel mutaret, vt pote, cuius operi nõ ab Imperatore ſolũ, ſed etiã ab Senatuſcõſulto autoritas acceſſura erat, d. §. ſed quia. Offilius verò nõ potuit, à quo nõ tanquã à legiſlatore, ſed tanquã à iuriſcõſulto liber accipiebatur. Fuit cũ exiſtimarẽt Iuliani cõpoſitionẽ inſcriptã fuiſſe tit. Digeſ. Nam Iuliani Digeſt. libri XCIX. cõmemorãtur, in indice ante Digeſta. De edicto, vel ad edictum pertinẽs, nihil aliud ei adſcribitur. Adhæc quia Imperator in d. l. ij. §. hoc autẽ. antiquos edicti perpetui cõmentatores poſteà extitiſſe ſcribit, qui opus moderatè confectũ huc atq; illuc in diuerſas ſentẽtias producẽtes, in infinitũ detraxerint, ex eóq; maximè Romã ſanctionẽ confuſam fuiſſe tradit, exiſtimabã Iuriſconſultorũ eorũ, qui poſt Iulianũ ſcripſerunt Digeſtorum libros, vt Alpheni, Celſi, Scæuolæ & aliorũ, ad edictum perpetuum omnes pertinuiſſe, & ob id, non Vlpiani, nec Pauli Digeſtorum libros commemorari, quòd ſcilicet ſuos ipſi ſimpliciter, ad edictum inſcripſerãt. nam Paulus octoginta, Vlpianus octoginta tres ad edictum reliquit, Digeſtorum nullos, vt eadem propè diſpoſitio ac materies vtrorumque iſtorum eſſet. Sed Auguſtino hoc non placet. Ideò amplius quærendum cenſeo.

L. V.

L. V. MARCIA. LIB. I. INSTIT.

ET SERVORVM &c. SERVI AVTEM IN DOMINIVM NOſtrum rediguntur, aut iure ciuili, aut gentium. Iure ciuili, ſi ſe maior xx. annis ad pretium participandum venire paſſus eſt. Sed nonne hoc eſt contra Diocletiani & Maximiani cõſtitutionem. C. de lib. ca. l. liberos. qua liberos priuatis pactis ſeruos fieri non poſſe reſcripſerunt? quæ ita accepta eſt, vt in illius interpretatione Bal. ait, quaſi nemo ſui ipſius dominus ſit. Nonne item contra id quod vulgo dicimus, Neminem videri dominum eſſe membrorum ſuorum. l. liber homo. infrà ad leg. Aquil. Sed ſciendũ eſt vtilitatis cauſa hoc ius receptum eſſe, ad excludẽdas fraudes quæ in venditionibus ſeruorũ fierent, dum paſſim pro ſeruis liberi venum irent, ac paulò pòſt liberali cauſa manu aſſererẽtur. Ea propter quod hîc dicitur non habebit locum, ſi emptor ſciens liberũ emerit. l. liberis. §. ſiquis ſciens. infrà de lib. cau. l. fi. quib. ad liber. proclam. non lic. quæ maxima eſt declaratio ad hũc locum: vera eſt enim cõcluſio, nõ poſſe liberum hominẽ libertatem ſuam quacunque pactione, vel contractu amittere, niſi hoc vno caſu, cũ ſeſe liberũ ſciens, quaſi ſeruum ad pretiũ participandũ ignoranti emptori vendi, aut alio quouis modo diſtrahi patitur. l. ſi vſusfr. §. in ſumma. de libe. cau. idque ſpecialibus ſenatuſconſultis contra ſubtilẽ iuris rationem inductũ eſt, vt cõmercia ſuſtinerẽtur. l. iij. quib. ad lib. procl. nõ lic. Nã cætera quæ Accur. requiri admonet, vt & verè pretij partẽ capiat, & ea gratia vendi ſe patiatur, & ſtatũ ſuũ non ignoret, etiã vt xx. an. vtiq; maior ſit, ex ipſo cõtextu ferè intelligũtur. Quòd ſi horũ quippiam deficiat, quia tũc ſeruus nõ fit q vendi ſe patitur, ad obuiandũ caliditati, actionẽ in eũ dedit prętor in factũ, per quã emptori damnũ reſarciri iubet. l. rectiſſimè. vbi not. de lib. cau. Illud dubitari poteſt, ſi in patris poteſtate fuerit, q ſe vẽdi paſſus eſt, an nihilominus ſeruus fiat, cũ patriã poteſtatẽ inſcio atq; inuito patre effugere poſſe nõ videatur. Inſt. qb. mo. ius pa. po. ſol. §. fi. Sed nihiloſecius ſeruum fieri reſpõdendũ eſt, ex mente legis: nã illud tantũ inſpicitur, an liber ſit, & maior xx. an. Prętereà quẽadmodũ capitale aliqd cõmittẽdo, pœna eũ patri ſubducere poteſt, ſic & fraus poſſe debuit. Sanè hoc caſu iniuriarũ actio ſuo, non filij nomine patri competit aduerſus venditorem. l. j. §. & vſquam. infrà de iniur.

L. VI. GAIVS. LIB. I. INSTIT.

LIBERTINI SVNT, QVI EX IVSTA SERVITVTE MANVmiſſi ſunt. & ſupra capi. ꝓximo, *Ingenui ſunt, qui ex matre libera nati ſunt.* Notũ eſt libertinorũ appellationẽ, antiqoribus tẽporibus ſic acceptã fuiſſe, vt libertini dicerẽtur, qcũq; in infinitũ deſcẽdiſſent ex iis, q olim manumiſſi eſſent. Ingenui quorũ maiorũ nemo ſeruitutẽ ſeruiſſet. Sed poſterior ętas aliter accepit, vt hîc refertur. Sue. in Claud. Ignarus tẽporibus Appij & deinceps aliquãdiu libertinos dictos, nõ ipſos qui manumitterẽtur, ſed ingenuos ex his procreatos, quod Budæus quoq; poſt Vallam adnotauit, in l. fi. infrà de Senat. Sanè quod Accur. hîc in fin. glo. Iuſtam ſeruitutẽ interpretatur, quæ domino grata atq; accepta fuerit: ſine dubio delirum eſt, & ſi fieri poſſit, ex libro aboleri debet. Iuſtam ſeruitutem vulgò, nunc legitimam & rectam, hoc eſt, veram & iure cognitam ſeruitutem appellant. Nam niſi

talis ſeruitus ſit,libertinũ manumiſſio non facit:& hoc eſt quod ſæpe reſcriptũ eſſe relatum eſt.Inſt.de ingen.in fi.Natalibus non officere manumiſſionem.

QVI *in vtero &c.* Refertur hæc eadem diſtinctio,ex eodem Paulo,ſub titu.de verb.& rer.ſigni.quo loco Alciati interpretatio,& ad huius & ad pen. capitis huius tit.interpretationem ſufficiet,quæ nobis in totum probatur.

L. XI. PAVLVS. LIB. XVIII. RESPONSORVM.

PAVLVS RESPONDIT EVM,QVI VIVENTE PATRE ET *ignorante de conditione filia conceptus eſt,licet poſt aui mortem natus ſit,iuſtum filium ei ex quo conceptus eſt non videri.* Conditionem pro matrimonio & coniunctione ſcribendum putauit Hal.quo ſenſu in iure ſæpè accipitur.l.fin.de ſponſal.l.qui liberos.de ritu.nupt.Sed Florentiæ eſſe, *De coniunctione filia.* Admonet Auguſt. qua in re non multùm laborauerim.Meminiſſe autem oportet,iure ciuili nuptias non conſiſtere,niſi conſentiant etiam hi, quorum in poteſtate coëuntes ſunt.l.ij.infrà de ritu.nupt. Veruntamen ſecundum Iuliani ſententiam videri patrem,qui filiæ coniunctionem ſciat, conſentire, niſi expreſſè diſſentiat.l.in ſponſalibus.de ſponſ.arg.in l.ſi furioſi.C.de nupt.Nos idem etiam in matrimonio filij exiſtimamus,ex conſtiturione Antonini.l.ſi vt proponis.l.j.C.eod.titu. de nupt.Quamobrem quod ait hîc,ignorante patre,ideò dictum interpretamur,quia ſi ſciuiſſet pater,nec reclamaſſet,nulla quæſtio fuiſſet,ergo quod de filià hoc loco dicitur,idem in filio quoque dicendum erit.argu.d.l.ſi vt proponis.Illud quoque ſciendum eundem Paulum lib.ſentent. recept.II.titu.XX. ita ſcribere. *Eorum qui in poteſtate patris ſunt:ſine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur,ſed contracta non ſoluuntur. Contemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur.* Hæc ſententia nouiſſimo iuri Pontificio, quo nunc vtimur,ſatis congruit, quo vel inuitis patribus filiisfamil.ſuo ſibi modo matrimonia copulare permittitur.cap. cùm cauſam.extrà,de rapto. cap.ſufficit.XXVII.quęſt.ſecunda.quamuis Corraſius libro primo Miſcell.cap. XVII.etiam iure canonico conſenſum eorum,quorum ſunt in poteſtate,requiri putet:Sed lapſus videtur quòd Lucij Pontificis conſtitutionem non viderit. d.c.cùm cauſam.A Iuſtin.certè non niſi magna cùm ratione talis licentia excluſa eſſe videri poteſt,quòd ea res maximam nonnunquam turbarum & domeſticorum diſſidiorum cauſam præbeat,vt frequentibus exemplis admonemur.Quamobrem veram puto Angeli ſententiam exiſtimãtis nec cogendum auum huiuſmodi nepotes agnoſcere, nec quod ad hæreditatis quidem ſuæ ſucceſſionem eis relinquendam attinent,ſed nec quod attinet ad alimenta præſtanda agnoſcere cogetur,vt ego ſentio, per l.ſi vt proponis.C. de nupt. Sanè generaliter hîc docemur vbicunque impedimento aliquo matrimonium initio non conſtitit, ſublato impedimento (quamuis voluntate eadem perſeuerante,iuſtum matrimonium eſſe incipiat.l.etſi contra.Cod.de nupt.l. eos. infrà de ritu nupt.) non proptereà tamen liberos anteà conceptos iuſtos fieri, ſed eos duntaxat, qui poſteà procreati fuerint,quod ego indiſtinctè in omnibus dicendum arbitror, etiam ſi principali beneficio poſteà legibus ſoluti fuerint, qui antè non iure copulati erant, niſi vt & liberi ante quæſiti, pro

legitimis habeantur, adiectum ſit. l. qui in prouincia. §. diuus. infrà de ritu nupt. Nec mouet me Iuſtiniani conſtitutio. l. cùm quis. C. de nat. lib. qua etiam ſuſceptos ex concubina legitimos fieri noluit, ſi nuptialibus inſtrumẽtis poſteà confectis, vxoris loco concubinam habere cœperis, differentia quippe magna eſt, non enim retro concubinam habuiſſe videri poteſt, qui matrimonium contrahere voluit. Nam animi deſtinatione concubina æſtimatur. l. pen. infrà de concubi. eáque animi deſtinatio iam inde ab initio eſſe debet, vt velit quis illam habere concubinam. glo. in l. in concubinatu. in verbo, teſtatione, eod. tit. de concub. In hoc autem noſtro ea fuit animi deſtinatio, vt vxorem habere vellet, nõ concubinam. Planè ſi nuptias contraxiſſe proponas (exemplum enim reperitur in l. fin. de concub.) poſteà cognito impedimento, vel pœnitentia ductum, eàndem emiſiſſe, deinde in concubinatum reduxiſſe, mox ſublato impedimento, nuptias rurſus cum ea contraxiſſe, concubinatus tempore quæſita, filios iuſtos effici ex eadem conſtitutione dicendum erit.

## L. XII. Item. Lib. XIX. Respons.

SEPTIMO MENSE NASCI PERFECTVM PARTVM IAM *receptum eſt, propter autoritatem doctiſsimi viri Hypocratis. Et ideò credendum eſt eum qui ex iuſtis nuptijs ſeptimo menſe natus eſt, iuſtum filium eſſe.* De tempore humani partus multæ veterum medicorum, philoſophorum & iuriſconſultorum quæſtiones, eorum variaſque opiniones retulerunt Plin. lib. VII. cap. V. Gell. lib. III. c. XVI. Plutarchus. lib. V. de pla. phil. c. XVII. Macrob. lib. j. in ſomnium Scipionis. c. VI. Cenſorinus in lib. de natali die. Scripſerat Paulus eadem quæ hîc refert lib. IIII. Sent. recept. titu. VIII. in hæc verba. *Septimo menſe natus matri prodeſt*, ratio enim Pytagorei numeri hoc videtur admittere, vt aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturius videatur. Sed Iuſti. ſeptimum totum menſem expectari noluit, ſed ſatis eſſe, ſi vel vnum, aut alterum eius menſis diem attigerit, quæ ſententia Vlpiani fuit ex reſcripto diui Pij centeſimo & octogeſimo ſecundo die natum, iſto tempore natum videri. infrà de ſuis & legit. l. inteſtato. §. fin. Ideò ſublatum hinc à compilatoribus illud verbum. *Pleno*. Sed & Mediolani ætate noſtra magnum quendam virum etiam centeſimo ſeptuageſimo ſexto die natam ſibi filiam agnouiſſe accepimus, Medicorum & Philoſophorum requiſitis autoritatibus blanditum ſibi, quod nobis nullò modo probari poteſt, ſupra hoc tempus vſque ad decimum menſem impletum, quicunque natus ſit, videtur Iuſtin. tanquàm iuſtum agnouiſſe, quamuis multæ veterum controuerſiæ, an octauo menſe, vel gigni poſſit, vel natus vitalis ſit, & proficere debeat. Gell. loco ſupraſcri. Sed poſt X. menſes natum, iuſtũ nõ haberi, ideoque ad legitimam hæreditatem non admitti comprobauit. d. l. in teſtato. §. fina. l. Gallus. in princip. de liber. & poſthum. quamuis & quod ad hunc attinet, antiqui nunquàm decimo menſe, niſi exacto edi partum exiſtimaſſent, vt oſtendit idem Gellius & Maſſurium Sabinum ſcripſiſſe conſtaret, Prætorem olim L. Papyriũ ſecundo hærede lege agente bo. poſ. cõtra eũ dediſſe, cùm mater partũ ſe XIII. menſibus tuliſſe diceret, quoniã nullũ certũ tempus pariendi ſtatutum

ei videretur:ita enim quidam exiſtimarent,& hoc eſt quod Gentilis ille medicus neſcio quis conſultus à Cy.reſpondit ei,etiam XII.vel XIII. menſe gigni poſſe,quod Barto.penè fabuloſum eſſe viſum,eſt in l.Gallus.in princ.de libe.& poſth.Sed vtilius fuit legibus hoc definiri,quibus hac in re omiſſis aliorũ placitis,ſtandum erit.Nec quòd Hypocratis autoritas hîc recepta eſt,idcirco etiam aliorum recipienda erit,niſi ex integro conſultus Princeps,aliud ſpecialiter approbauerit.Illud quæſtionis eſt,ſi vno fortè,aut altero die poſt completum decimum menſem natus ſit,an nihilominus iuſtus haberi debeat. Accur.hîc iuſtum habendum non exiſtimauit.per text.in d. §.fin.argu.etiam d.l. Gallus. in princ.quam ſententiam ego quoque probo , quamuis idem alibi contrarium ſcripſerit.d.l.Gallus.in princ.& in auth.de reſt.& ea quæ par. §.fin.ita enim ſcripta lex eſt,poſt decimum menſem natum,non admitti ad hęreditatem,à qua ſi ſemel digreſſi erimus,nihil iam certi ſupererit,quin autoritatibus impulſi, vel tertio etiam, vel quarto die ac deinceps poſt ſtatutum tempus aditum recipiamus,veteri equinæ caudæ paulatim conuellendæ exemplo , quod Horat. refert.Prætereà ſi mulier ſecundò ſtatim menſe poſt viri mortem alteri nupſerit,exinde ſeptimo menſe pepererit:verius hunc iuſtum filium cenſeri oportet.,quæritur,hunc enim tam nono quàm ſeptimo menſe natum videri poſſe. Sed ego poſteriorem virum hunc agnoſcere compellendum arbitror,quod & Imol.exiſtimauit,in d.l. Gallus.in princ.ſibi enim imputet, qui talem intra luctus tempus vxorem duxit.arg.l.ſi quis domum.loca.Quin hoc ipſum à Paulo hîc,& à Celſo alibi reſponſum eſſe.l.cùm legitimæ.infrà eod.titu.niſi poſterior hîc maritus contrarium manifeſtiſſimè oſtendere poſſit:ſecundum Vlpiani ſententiam,in l.filium.infrà titu.j.ſi tamen filius ab hoc agnitus, ex priore ſe procreatum dicat,idque oſtendere paratus ſit,audiendum puto,ſed præſumptioni iuris interim locum fore.Ad hanc rem pertinentia quædã tractat etiam nouella Imperatoris conſtitutio XXIX.de reſt.rer. dot.& ea quæ parturit in vndecimo menſe.

L. XIIII. PAVLVS. LIB. IIII. SENTEN.

NON SVNT LIBERI, QVI CONTRA FORMAM HVMANI *generis,conuerſo more procreantur.Veluti ſi mulier monſtroſum aliquid,aut prodigioſum enixa ſit. Partus autem qui humanorum membrorum officia ampliauit,alicuius videtur effectus, & ideò inter liberos connumerabitur.* Germana Pauli verba vnde hoc caput deſcriptum eſt,hodieque lib.eius ſenten.IIII.leguntur hæc,ſub titu. De inteſtatorum ſucceſſione. Mulier ſi monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit,nihil proficit.non ſunt enim liberi,qui contra formam humani generis conuerſo more procreantur.partum qui membrorum humanorum officia duplicauit,quia hac ratione aliquatenus videtur effectum, matri prodeſſe placuit.Rectè enim Auguſt.l.j.emen.c.VIII. animaduertit,hæc à Paulo ad interpretationem S. C. Tertulliani ſcripta eſſe,quo ingenua ter enixa, libertina quater,vel quæ ius liberorum à Principe impetraſſet(id quod tum frequentiſſimum erat)ad filij bona admittebatur. Sed tamen contra Paulum cenſuerat Vlpianus,cuius & ſententia relata eſt.l.quæret aliquis.de verb.ſignifi. Portentorum

toſum quoque, vel monſtroſum partum prodeſſe matri, nec enim eſſe quod ei imputaretur, quæ qualiter potuiſſet edidiſſet, nec quod fataliter accidit, parenti obeſſe oportere. Poſſunt hæc non inter ſe pugnare? Sed ſciendum eſt ius liberorum pridem à Theodoſio, deinde etiam à Iuſtin. ſublatum eſſe. l. j. & ij. C. de iure lib. Ideoq́ue vt mater admittatur, quoties pepererit, hodie non requiri. Quare non ad s. c. interpretationem, ſed aliorum accipi hæc voluiſſe Iuſtinianum neceſſariò dicendum eſt. Igitur quod ait, *Non eſſe liberos &c.* probanda videtur Accurſij interpretatio, ſi videlicet de ipſorum liberis & eorum commodo agatur. Ideoq́ue nec pater eos inſtituere, vel exheredare tenebitur, nec præteriti rumpent teſtamentum, quod & Iuſtiniani conſtitutione expreſſum eſt. l. quod certarum. C. de poſthu. hæred. glo. fin. in l. quod dicitur. C. de lib. & poſthu. Sed nec ſacro baptiſmi lauacro abluendi ſunt. Arch. v. diſt. c. baptizari. nec eos pater alere agnoſceréve ex s. c. de liber. agnoſcen. compelletur. Quin huiuſmodi monſtra alere antiquitus nefas erat, & primo quoque tempore magiſtratibus denunciari oportebat, qui procul in ignotas terras auehi ſtatim curabant, quòd exiſtimarent huiuſmodi portenta deorum iras comminus & peſtem ſequi, vt ex Liuio apparet. hinc prouerbium, *Monſtrum alere*; in illos quos nefas aliquod tegere ſuſpicarentur. Quare etiam hodie quæri poteſt, an ſiquis monſtrum aliquod huiuſmodi educauerit, pœna legis Corneliæ teneatur, qui id occiderit. Et Franciſcus Petrarcha lib. memorab. IIII. tractatu. VI. c. XX. ex facto id Veronæ tractatum refert: abſolutúmque eum, qui quaſi Centautum, humano capite quadrupedem, equo ſimilem, occurſu ipſo perturbatus commotuſq́ue occiderat, neque id clam haberi conatus erat: vt omnino dolum malum, qui imprimis requiritur, vt legi Corneliæ locus ſit, abfuiſſe conſtaret. Quòd ſi dolo malo factum proponeretur, tunc hominis ne, an beſtiæ ſimilius fuiſſet, quærendum exiſtimarem. arg. l. quæritur. hoc tit. Nam lex Cornelia hominem occiſum requirit. Quòd ſi de parentum commodo tractari proponatur, fueritq́ue in conſideratione, vel matrimonij, vel generandi affectus, qui vt in pleriſque apud antiquos, ſic fuerat & in s. c. Tertulliano, tunc probabiliorem videri voluiſſe Vlpiani ſententiam, vt hi quoque proficerent. Cui rei conſequens eſt, vt ſi quid relictum ſit ſub conditione hac, *Si pepererit*, per hunc extitiſſe conditio videatur. Non idem in conditione, *Si liberos ſuſceperit*, vel, *Si ex ſe natos habuerit*, plerunque enim ſic conceptis verbis, filiorum ipſorum cauſa relictum videtur. l. Lucius. in fin. cum concor. infrà de hæred. inſt. Nam filios habere hæc dici non poteſt, & ita ego ſentio, quamuis Accur. aliter in hoc loquatur. Qua ratione nec à muneribus ciuilibus vacationem præſtabunt, non magis quàm nati & defuncti. Nam vacatio intuitu filiorum datur. l. fin. infrà de iure immun. Sanè quòd humanorum membrorum officia hîc cõmemorãtur, eáque Accu. videtur interpretari, vt in manu digitos, quæſitum eſt, ſi lex ſit, vt qui alteri membrum abſcinderit, eodem membro retalietur: an ſi digitum abſciderit, digito multari debeat, & quamuis plerique exiſtiment non debere, ea moti ratione, quòd digitus non membrũ eſſe (quod ſic propemodùm definitur, pars corporis, vt crura, manus, pedes) ſed membri officium videatur. Ego tamen alium fuiſſe Iuriſconſulti ſenſum. Ideoq́ue con-

trariam ſententiam veriorem puto.Cùm enim lex in eo quod maius eſt, talionem eſſe voluit,quantò magis & in hoc,quod eſt minus?nec legem XII. tabularum huic quoque parti parùm cauiſſe vnquam dixerim,qua ſcriptum fuit, ſi membrum ruperit meum,è pacto talio eſto.Adde quòd nec omnino impropriè videtur digitus,membrum appellari,cùm propriè quidem,articulus dicatur : artus verò nihil aliud niſi membrũm latinè ſignificet.Neq; enim tam verba quàm legis mentem & rationem inſpicere nos oportet.l.ſcire leges.l. contra. & ſeq.ſuprà de legibus.

L. XV. Triphonius. Lib. X. Dispvtationvm.

ARethvsa. &c. Areſcuſam maluit Haloander, ſed hac de re Aug. lib.III.c.XI. Arethuſa notiſſimi nominis fons , vnde hoc nomen,ductum.Cæterùm quod in ſequẽti capite affirmat Accur.ſi quo ordine nati ſunt,apparere non poſſit,tam quartum quàm tertium futurum liberum.arg.l.cùm inter.C.de fideic.liber.rectè à Barto.aliiſque compluribus reprehenſum arbitror. Sed eorundem ſententia nimis dura eſt,exiſtimantium neutri libertatem competere.arg.l.duo ſunt Titij.de teſt.tut. Benignius & humanius videtur quod Baldo & Angelo eius conſanguineo placuit,cogendũ hoc caſu hæredẽ alterũ eligere,vt is liber ſit.argu.l.ſi quis ſeruũ. §.ſi inter.de leg.II.Qua humanitatis ratione,& duobus liberis vno vtero genitis,ſi incertum ſit vter prius editus fuerit,primogenituræ, quam vocant,ius eum eſſe conſequuturum,quem pater iuſſerit:idque Bald.& Alexan.probant.Alex.hîc,in addit.ad Barto.Bald.in l.in quibus.C.de ſec. nupt. Illum tamen ego non ingenuum,ſed hæredis libertum fore credo.& hactenus Barto.ſententiam ſequor,proprius enim ſtricto iuri erat,vt cùm re vera ingenuus apparere non poſſet,pro ſeruo haberetur.Vnde ſatis gratiæ videtur conſequi,ſi quoquo modo ad libertatem peruenit.Idem dicendum & ſi hæres alterum poſterius natum eſſe,cùm ſcilicet Arethuſa iam libera facta ſit , confiteri velit,vt alterum in ſeruitute retineat,alterum arbitratu ſuo ingenuum faciat. Ingenuitas enim non priuati,ſed publici iuris eſt.Ideò non debet à voluntate cuiuſquam dependere.Quæ ratio efficit,vt in propoſito nec à ſorte quidem iudicari debeat,ne ciuitatis ordines temere ac veluti per ludum inquinentur.l.j.infrà de colluſ.deteg.Nam nec libertum ſuum adoptando patronus,quod ad cæteros attinet,ingenuum facere poteſt.l.fin.infrà eod.titu.quamuis quod ad ſe & familiam ſuam ſpectat,ingenuum faciat.l.ſciendum.de ritu nupt. Quærunt etiam Doctores,quoniam hîc dicitur,ſatis eſſe vel eo momento quo pariat,implere conditionẽ:vt libera parere videatur.quomodò intelligi hoc poſſit,cùm prius impletam conditionem perſpicuè oſtendendum eſſe videatur.l.qui hæredi. §.fin.infrà de cond.Soluitur,quia nec ſeruam peperiſſe dici poteſt, cùm vtique ante partum editum impleta fuerit conditio.Idcirco liberum peperiſſe à prudentibus probatum videri.Nam & Thales Mileſius velociſſimum rerum omnium intellectum eſſe , ideoque quamquã tempus in motu diſtinctum non inueniatur,in intellectu tamen diſtingui poſſe exiſtimauit,vt Baldus refert.Sed & philoſophorum magiſter Plato,cùm Sophiſtę quærerent,quando moriens moreretur,cùm iam in morte eſſet,an tum etiam cùm in vita foret?

idemque

idemque de cæteris ſimilibus,aliique viuentem adhuc mori putarent,alij nihil in eo tempore vitæ relinquerent.Ipſe neque vitæ id tempus, neque morti dedit:quippe vtrunque inter ſe pugnare,nec ex duobus contrariis altero manente, alterum conſtitui poſſe vidit, cùm quæſtio fieret per diuerſorum inter ſe finium, mortis & vitæ cohærentiam,ea propter expreſſit ipſe medium quoddam tempus in confinio poſitum,quod repentinam naturam appellauit, quo repente id fieret,quod in alterum tranſiret,vt refert Gell.lib.vi.cap.xiii. Noct. Atticarum.Quamobrem non neceſſariũ fuiſſe videtur,cùm lex Cornelia eorum qui apud hoſtes deceſſerint,teſtamenta quæ antequàm caperentur fecerant,perinde confirmet ac ſi in ciuitate deceſſerint,nec aliis verbis eius legis ſententia vſque relata ſit,quotquot locis eius in iure mẽtio eſt,vt l.lege Cornelia.cũ concord.ibi in glo.infrà de teſt.neceſſe inquam fuit excogitari ab Accur.quem omnes poſteà ſequuti ſunt,in glo.mag.Inſtin.quib.non eſt perm.fac. teſt.l.fi.nouam cautionem,vt præambulat(ſic enim ipſe dixit)captiuitatis hora fingi eos deceſſiſſe dicerent,qui apud hoſtes ſic deceſſerunt.Proderit hæc Platonis ſententia ad aliarũ quoque quæſtionum explicationẽ.Poſtremò quæritur,ſi execto ventre,tres educti ſint,an hæc libera deceſſiſſe videatur,& probant omnes non fuiſſe liberam quæ non pepererit.Cæterùm ſi ita ſcriptũ ſit, *Si filios tres habuerit*, deceſſiſſe liberam.Sed in hoc ego ſubſiſto:libertas enim ante exiſtentem conditionem competere non poteſt,exiſtente verò conditione,nulla iam eſt,quæ libera fiat,non magis quàm cùm poſt mortem legatarij conditio exiſtit.Quod ſi mihi ita legatum proponas, *Si Arethuſa tres pepererit*, vel, *tres liberos ſuſtulerit,habuerit,genuerit*, eaque defuncta tres ex vtero extracti ſunt: deberi mihi legatũ verius eſſe,quicquid hac in re doctores controuertant,cùm & partus dicatur,qui hoc modo editus eſt.l.quod dicitur.de liber. & poſthu.l. etiam mulier.de verb.ſig.& veriſimilius ſit,teſtatorem effectum magis, quam modum reſpexiſſe,vt cùm ſub conditione emancipationis relinquitur,& ante decedit pater quàm filios emãcipauerit. Sufficit quoquomodò ab eius poteſtate filios liberatos eſſe.l.iij.C.de cond.inſer.

## L. XVII. Vlpianvs. Lib. XII. Ad Edictvm.

IN orbe romano qvi ſvnt ex conſtitvtione *diui Antonini,ciues Romani effecti ſunt.In orbe*,legendũ eſſe,non, *In vrbe*, pridem declarauerat Alciatus, oſtenderatque id per multis & rationibus & autoritatibus.lib.11.diſpun.c.xxi.Sed vt nihil omnino dubij superſit,fecit nuper autoritas & diligentia Auguſtini,qui nõ ſola codicum fide,ſed & Iuſtiniani teſtimonio manifeſtè id comprobari animaduertit.auth.vt lib.de cæt.in fin. Comprobatur etiam Ælij Spartiani autoritate,qui in vita Seueri Imper. principio ita ſcribit. Seuerus Africa oriundus imperium tenuit,cui ciuitas Leptis pater Geta,Maiores equites Romani ante ciuitatem omnibus datam.Ab illis igitur tota huius capitis interpretatio accipienda eſt.Nos quoque quædam huc pertinentia ſuprà diximus,in l. omnes populi.& in l.non ambigitur.de legib.& in l.prima.de conſt.princ.Illud ſcien-

dum eſt,Diuum Chriſoſtomum,ſeu quis alius interpres eſt illi annexus, dum in actis Apoſtolorum quæritur,qua ratione Paulus ciuem Romanum, etiam natum ſe eſſe dixerit,cùm è Tharſo Ciliciæ oppido ortum eſſe constaret,conſtitutionem hanc non Antonino,ſed Adriano adſcripſiſſe.qua in re tam deceptum eum apparet,quàm in temporum ratione, cùm ante Adrianum fuerit Paulus,veriq́ue ſimilius ſit,vel Tharſum à Gn.Pompeio bello Pyratico,vel quo alio ab Imperatore ius municipij accepiſſe:cuius iuris ea poteſtas erat,vt ciues Rom.municipes haberentur,quod & infrà dicemus,in l. j.ad municip.vel Pauli patrem ob inſigne aliquod de Rep.meritum, ciuitate Romana quandoque donatum fuiſſe. Sanè inter cætera,huius conſtitutionis hanc quoque vim & effectum exiſtimant,vt omnes ſubiecti Rom.Imperio,Romæ(vtpote in communi patria) conueniri poſſint.gl.in l. Roma.infrà ad municip.& in l.ij.de iudic.vbi doctor quod illa ratione verum eſt, quia & magiſtratibus illis apud quos ciuis ſum,& his apud quos domicilium habeo,parere debeo.l.incola,& his magiſtratibus. infrà ad municip. Nobis autem ſic hoc probatur, dum ſciamus,non propterea tamen Romæ etiam defendi debere hunc,qui tantummodò ciuis Romanus ſit, vt ſcilicet bona eius ex primo & ſecundo decreto (quod vocant) poſſideri, vel diſtrahi poſſint:ſi Romæ iudicium accipere non ſit paratus, etiam tunc temporis cùm in prouincia agit: non enim ad hoc obſtringitur.l.ad cognitionem.ex quibus cau.in poſſ.eat.l.j.& ij. eum qui appellauerit in prouin.defen.præterquàm ſi,vel Romæ contraxerit, vel arbitraria actione agi proponas:aliud eſt enim aliquo in loco cōueniri poſſe,aliud defendi debere:hoc enim ad præſentem,illud ad abſentem refertur, & defendi quidem debet vnuſquiſq; vbi contraxit,vbi domicilium habet,& quo in loco vt ſolueret ſe obligauit,ex vi arbitrariæ actionis:quibus locis ſi inuenitur, vtique & conueniri poteſt.Sed hoc amplius in patria vnuſquiſque conueniri poteſt, licet neque ibi contraxerit,nec domicilium habeat, nec omnino vt ſolueret ſe obligauerit. Verùm hoc caſu defendere ſe non tenebitur, vt ego ſentio,quod & infrà dicam,in rubr.de iudic. & in l.hæres abſens.eodem titu. Adnotat prætereà Accur. hîc,ſeruos omnes, ſi Romæ maneant, liberos & ciues Romanos fieri. Quandam etiam portam eſſe Romæ, quæ idcirco libera appellata ſit,quòd per eam ingreſſi ſerui, liberi illico fiant, quod ſplendidè falſum eſt: nec niſi ex anilibus deliramentis proceſſiſſe poteſt. Hodie certè Romæ vulgò ita fertur, ſeruos qui in vrbem venerint, vbi vel in Capitolium aſcenderint, vel Diui Petri Baſilicæ limina attigerint, ſi ſe Chriſtianos eſſe approbare poſſint,continuò liberos fieri, quod tam nulla lege, quàm nulla ratione dictum eſt, per iniuriam tamen quandoque(vt audiuimus)etiam dicta ſecundum ſeruos ſententia, vſurpatum.

### L. XVIII. Idem Lib. XXII. Ad sabinvm.

IMperator Adrianvs Pvblio Marcello *reſcripſit, liberam quæ prægnans vltimo ſupplicio damnata ſit, liberum parere, & ſolutum eſſe ſeruari eam dum partum ederet. Sed ſi ei quæ ex iuſtis nuptiis concepit, aqua & igni interdictum eſt, ciuem Romanum parit, & in poteſtate patris eſſe.* Qui vltimo ſupplicio damnantur, tam viri quàm mulieres ſtatim & libertatem & ciuitatem perdunt: præocupatque hic caſus mortem, vt Paulus ait. l. qui vltimo. infrà de pœn. Et quamuis vltimum ſupplicium ſolam mortem interpretemur. l. vltimum. eod. ti. tamen idem olim erat, & ſi in metallũ damnatus quis, vel in opus metalli datus eſſet. l. quidam. eod. tit. cui rei conſequens erat, vt & matrimonium ſolueretur, quod non niſi inter liberos & ciues Romanos eſſe poterit. Inſt. de nupt. in prin. Sed cùm hodie nouella Iuſtiniani conſtitutione, auth. de nupt. §. illud etiam. & ſeq. & auth. ſed hodie. C. de don. inter vir. nemo ingenuus natus, ex damnatione qualibet ſeruus fiat, niſi cum vltimo ſupplicio ſtatim cõſumitur, vt Accur. putauit. glo. d. auth. ſed hodie. conſequens ſanè eſt, vt hoc ſolo caſu matrimonium dirimi intelligamus, non tam per ſeruitutem, quàm per mortem. Efficiebantur autem hi ſic damnati ſerui pœnæ, non principis, vel fiſci. l. quidam. eo. tit. Quare quia ſerui & ancillæ vtique efficiebantur, dubitatum eſt, an ex hac liber naſceretur? Et reſponſum naſci liberum, notiſſima illa ratione: quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in vtero eſt. Inſt. de ingen. §. j. Idem ab Antonino quoque reſcriptum eſt. l. ſi ante. C. de pœn. Quòd ſi poſt ſententiã mulier concepiſſet, non pœnæ, ſed fiſci ſeruum pariebat. glo. in d. l. ſi ante. l. generaliter. §. ex damnata. iuncto §. præcedente. de fideicom. liber. Sed ſi aqua & igni interdictum ei ſit, hoc eſt, ſi deportata fuerit, vt hodie interpretamur. l. iij. ad leg. Iul. pecu. non idem nec nunc erit, nec olim erat, cùm libertatem hęc ſententia non ademerit, ſed ciuitatem tantùm. d. l. quidam. Ideò de illo qui ex hac antè conceptus erat, non illud quæſitum eſt, an liber, ſed an ciuis Romanus, & an iuſtus patri filius naſceretur, & reſpondet liberũ & iuſtum naſci. Nam matrimonium hoc caſu, manente affectione maritali, etiam iure veteri durabat, argu. l. j. C. de rep. Quare etiam poſteà concepti ac nati, ſi affectio vtique remanſit, liberi & iuſti filij erunt. Hodie cùm matrimonium ab initio cum ſeruis quoque vel ancillis inter ſcientes contrahi poſſit, extrà de coniug. ſeru. cap. ſecundo, & fina. quæri poteſt, an contracto matrimonio inter liberos, ſuperueniente ſeruitute, matrimonium dútet, & filij poſteà concepti liberi nihilominus, an ſerui naſcantur. Sed ſolui matrimonium per ſuperuenientem ſeruitutem, excepto captiuitatis caſu, & propterea liberos non naſci, expeditum eſt, d. authent. de nupt. §. ſed & captiuitas. & §. quod ſi indici. Nam & iure canonico matrimonium cum ancillis non niſi his viris eſſe poteſt, qui earum conditioni non ignari, ſcienter cum his contraxerunt. Et quanquam inter tales matrimonium contrahatur, ancillæ tamen nihilominus ſeruos pariunt. Hoſt. in ſum. eod. tit. de coniug. ſer. De cæteris iuris ciuilis effectibus, an inter hunc patrem & filium ex ancilla vxore ſuſceptum exiſtant, maior dubitatio. Sed ego excepto eo, quòd filios ex tali vxore genitos non habebit in poteſtate, quia ſerui ſunt illis, cuius ex ancilla

ſuſcepti ſunt. dicto capi. ſecundo & fina. Reliquos omnes effectus iuris ciuilis locum habere arbitror. Quare & teneri patrem hos inſtituere, vel exhæredare, & inteſtato hæredes futuros, & agnoſci ab eo, aliq́ue oportere arbitror. Nam cùm Romanæ leges, quod ad matrimonia attinet, in iuris pontificij ſententiam concedant: conſequens eſt, vt hi filij non ſolùm iuris canonici, ſed & iuris ciuilis omnia actiuè & paſſiuè habere debeant: quamuis alioqui dicamus, ſeruos quod attinet ad ius ciuile, pro nihilo haberi. l. quod attinet. de regulis iuris. Imputet autem ſibi, qui ſciens cum aliena ancilla contraxit, ſi poſteà etiam alienos ſeruos hæredes inſtituere, alere, atque agnoſcere cogetur: dum tamen dicamus, non ideò minus & dominum teneri, vt his præſtet, quæ aliis ſeruis à dominis præſtari debent: aliàs vel cogi vt vendat, aut manumittat, vel pro derelicto eos habere intelligatur. Inſtitut. de his qui ſui vel alie. iur. §. ſed & maior. l. fin. pro derelic.

## L. XIX. Celsvs Lib. XXXI. Digestorvm.

CVm legitimae nvptiae factae svnt, *Patrem liberi ſequuntur &c.* Subauditur, quantùm ad familiam & patriam poteſtatem, honores etiam: vt Accurſius rectè interpretatur: liberi tamen dicuntur & matri & auo materno, quamuis in eorum poteſtate non ſint. l. prima. C. de conditio. inſer. l. cognoſcere. §. liberorum. de verbo. ſignificatione. nonnulla enim iura & materno generi in his reſeruata ſunt. l. quique. cum ſequentibus legibus. de in ius voca. Cicero quoque Philip. ſecunda. in principio eodem ſenſu.
„ Cùm recordarentur omnes libertinum generum & liberos tuos nepotes
„ Q. Fabij libertini homines fuiſſe.

## L. XXI. Modestinvs Lib. VII. Regvlarivm.

HOmo liber qvi se vendiderit &c. Vendiderit, hoc eſt, vendi paſſus fuerit. Sic damnaſſe aliquem, pro accuſando damnari feciſſe, Latinè dicimus. Nam & lex ait, Qui vendi ſe paſſus eſt, & ignarum eſſe emptorem oportet, vt ſeruus fiat, qui liber venditur. Cæterùm ſi ſeipſum quis venalem faciat, ſiue ſe liberum emptori dicat, ſeruus non efficitur, ſiue ſeruum eſſe ſe affirmet, ac ſeipſum vendere velit, nihil agit, cùm ſuiipſius venditor idoneus ſeruus non habeatur.

## *DE HIS QVI SVNT SVI, VEL ALIE. IVRIS.*

### TITVLVS VI.

SVB proximo titulo id propemodùm egiſſe videtur, vt quemadmodùm nobis iure gentium, vel ciuili ſerui, quemadmodùm natura iuſti filij efficerentur oſtenderet. Sub hoc id potiſſimùm agit, vt dominorum patrúmque in ſeruos ac liberos poteſtas quanta ſit, declaret. Quomodò ea patribus, vel poſt aliquod

quod demum tempus eſſe incipiat, veluti ſublato auo, vel vbi eſſe cœperit retineatur, veluti furore ſuperueniente, vel interdum etiam quibuſdam in cauſis ceſſet, ac veluti conquieſcat, vel ex toto amittatur, nec ſemel amiſſa inuitis filiis recipiatur. Quædam præterea ad cognoſcendum quis ſit iuſtus filius, quaſi ſuperius omiſſa inſeruntur. Eſtque hic titulus perinde quaſi tu dicas, De his qui ſunt in dominorum patrúmve poteſtate. Non tamen patriæ quidem poteſtatis effectus & conſequentiæ hîc explicantur. Permulti enim magníque ſunt, atque etiam maiores vetuſtiſſimis temporibus fuere, cùm perinde in liberos atque in ſeruos vitæ necíſque poteſtas patribus eſſet. l. finali. C. eodem titulo. l. in ſuis. in fine. de liberis & poſthumis. vt exemplis apud Val. docemur, libro quinto, capi. octauo. quoniam ſcilicet effectus huiuſmodi in Codice iam relati erant, ſub titulo, *De patria poteſtate*, qui titulus maximè ad hunc tractatum velut cognatum pertinet. Adnumerauit etiam Accurſius diligenter in Inſtitut. ſub eodem titulo, de patria poteſtate. §. j. Sed & de dominicæ poteſtatis effectu, ſi quid omiſſum eſt, multis aliis locis per aliorum tractatuum connexitatem relatum inuenietur. Inſtit. per quas perſonas nob. acq. infrà de acquirendo rerum dominio. l. acquiruntur. cum ſequen. & de ſtipulatione ſer. toto titulo.

## L. I. Gaivs Libro I. Instit.

DE IVRE &c. NAM APVD OMNES PERAEQVE GENTES *animaduertere poſſumus dominis in ſeruos vitæ necíſque poteſtatem fuiſſe, & quodcunque per ſeruum acquiritur, id domino acquiritur*. Cautè non dixit, *acquiri*, nec verbum illud, *iuregentium*, repetiit, vt ſcilicet hoc in medio relinqueret cogitandum: an acquiſitio per ſeruos, à iuregentium ſit, an à iure ciuili. Verius enim id videtur eſſe quod Zaſius admonuit, ſuprà de origi. iur. in præfatione, non omnino omnes gentes hoc iure vſos eſſe, vt quodcunque ſerui quærerent, id dominis acquirerent. Ponit Accurſius hoc loco plenam huius rei declarationem, vt ſciamus interdum ſpeciali aliqua ratione, domino per ſeruum non acquiri. Eius gloſſam videre ac memoria tenere, iuuenibus operæpretium exiſtimamus, in verbo domino.

## L. III. Gaivs Lib. I. Inſtitvt.

ITEM IN POTESTATE NOSTRA ſVNT LIBERI *noſtri, quos ex iuſtis nuptiis procreauimus, quod ius proprium ciuium Romanorum eſt*. Conſtituiſſe id Romulus fertur, vt patri per omne tempus vitæ omnis poteſtas in filium eſſet, ſiue coërcere, ſiue verberare, ſiue vinctum ruſtico operi detinere mallet, ſiue etiam occidere, aut vendere, vt autor eſt Dioniſ. Halicarna. lib. 11. quod ita obſeruatum fuiſſe etiam Conſtantini conſtitutione, & Pauli reſponſo docemur. l. fina. C. de patr. pot. l. in ſuis, in fine, de lib. & poſthu. Illud tamen Conſtantini conſtitutio

negat licuiſſe patri filium vendere, quod ſanè rationabilius eſt. Cæterùm hac in re veriſimilius eſt, deceptum eſſe Dyoniſium Græcum hominem, quàm Romanum Imperatorem. Alioquin inter ſeruos & liberos noſtros quam differentiam reliquiſſet Romulus, ſi vtroque æquè vendere permiſiſſet. Quanquàm autem Cicero in oratione pro domo ſua, de arrogatione P. Clodij loquens, paſſim dicat, eum qui per atrogationem in alterius poteſtatem tranſit, libertatem amittere. tamen id ſic intelligi debet, non vt ſeruus fiat, qui filius eſſe incipit, ſed vt alterius iuri, hoc eſt, patriæ poteſtati per omnia ſuperius dicta ſubiiciatur. Exempla quibus patres olim iure ſuo filios aut damnauerunt, aut occiderunt, apud Valerium legere eſt, libro octauo, ſub titulo, De parentum ſeueritate aduerſus liberos. Hodie vt dominorum in ſeruos (quod præcedenti capite dictum eſt) ſic & parentum in filios, hactenus coarctata poteſtas eſt: vt ſine præſidis prouinciæ permiſtu, patri aduerſus filium nihil grauius conſtituere liceat. l. inauditum. infrà ad legem Corneliam. de ſicar. l. iij. & l. ſequen. C. de patria poteſtate. Exiſtimauit tamen Accurſius in gloſſa, in d. l. inauditum. non audiendum eſſe patrem, qui de magno & capitali crimine non in ſe commiſſo, filium ſuum apud præſidem prouinciæ, vel prætorem accuſare velit, quemadmodùm nec auditur frater: quinimò exilij pœna plectitur. l. ſi magnum. C. qui accuſ. non poſſ. Nam nec matri id licet, niſi ob inſidias ſibi factas. l. propter. C. eodem titulo. de his qui accuſ. nòn poſſ. Sed ego Accurſij ſententiam veram non exiſtimo, cùm id tantùm prohibeatur pater, indemnatum filium necare, ſed accuſare eum apud rectorem prouinciæ ſimpliciter iubeatur. dicta l. inauditum. Nam exempla veterum declarant, ſæuiſſe patres magis ſæpe in filios ob peccata quæ in alios, quàm quæ in ſeipſos commiſiſſent. Nec hodie quicquam mutatum eſt, niſi vt præſidis interuentu filius coërceatur, dictis legibus. Quamobrem pater nec ſe inſcribere, nec cætera accuſationum ſolennia implere neceſſe habebit: quippe in eo ceſſat ſuſpitio calumniæ. Idcirco extra ordinem à præſide audiendum, & nocentem filium extra ordinem damnandum ac puniendum puto: niſi patrem domeſtico odio magis, quàm fortis & boni ciuis animo id facere conſtaret. Tunc enim nullatenus audiendum eſſe. Nam hæc ratio in cauſa fuit, vt neque matri, neque fratri accuſatio permitteretur. Fratres enim ſæpiſſimè inter ſe oderunt. Et (vt ait ille) fratrum quoque gratia rara eſt. Matres autem quamquàm filios natura intentius ament. Vnde & ille lepidiſſimus verſus eſt in Tiberium, Diſpeream ſi te mater amare poteſt. Interdum tamen muliebri leuitate vehementibus ac magnis odiis exardeſcunt: vt in tragediis Medea in filios. Id legislatori cauendum eſſe viſum eſt. Illud hoc loco admonere non alienum fuerit liberos antiquitus appellatos, tam filios, quàm nepotes & deinceps, qui in poteſtate eſſent, ad differentiam ſeruorum: vt cùm idem propè ius in vtroſque haberent: filios à ſeruis hac ipſa liberorum & ſeruorum appellatione diſtinguerent: quod Grammaticorum diligentia non ſatis declarat. Ob id multitudinis numero, & ſi vnicus duntaxat filius ſit, interdum vtimur, vt apud Gellium, libro ſecundo, capitulo quinquageſimotertio. Hæc autem appellatio poſteà etiam ad nepotes ex filia producta eſt: vulgari vſu quandoque ita vſurpante: quamquam hi non ſint in poteſtate. l. cognoſcere.

ſcere. §.liberorum.de verborum ſignificatione.l.prima.C. de conditione.inſer. vt & ſuprà diximus. Poſtremò Hæbreos quoque qui apud nos ſunt, cùm Romano communi iure viuant.l.Iudæi Romano iure.C.de iud.liberos in poteſtate habere rectè dictum exiſtimo,vt & Baldus hoc loco probat.

### L. VII. Vlpianvs Lib. XXV. Ad Sabinvm.

SI QVA POENA PATERFAMILIAS FVERIT *affectus, vt vel ciuitatem amittat, vel ſeruus pœna efficiatur: ſine dubio nepos filij loco ſuccedit.* Rectè quidem ſuppleuit Haloander caput quartum huius tituli, in quo deerant nonnulla verba. Sed non & hoc emendauit, cuius initio ſine dubio legendum eſt, non, *Paterfamilias*, ſed, *pater.* Cùm enim ſuprà ex ipſomet Vlpiano, ſic definierit paterfamilias illos eſſe, qui ſuæ poteſtatis ſunt.l. nam ciuium, ſupra eodem, non credibile eſt, ſtatim impropriè loquutum eſſe, quam improprietatem etiam Accurſius notauit. id ego cenſeo, & ſi Florentiæ non aliter ſcriptum dicas. Erroris cauſam præbuiſſe ſuſpicor, antiquum ſcribendi morem: paterfamilias illud enim F. ſequens à quo incipit verbum,fuerit, ſic acceptum eſt, quaſi ad præcedens verbum, pertineret, inde & alterum F. illi additum. Nam in Pandectis, continua literarum ſerie omnia ſcripta accepimus. Quærunt doctores, ſi filius non deportatus, ſed bannitus, hoc eſt, capitali crimine abſens damnatus fuerit, ex forma iuris municipalis, an & hîc ſuccedat nepos, an verò ille ſuum locum teneat, & per illum fiſcus: vt ſcilicet inſtitui fiſcus debeat, vel exhæredari, vel ſi ab inteſtato pater, aut mater, vel agnatorum quilibet deceſſerit, hæreditatem pro illo ſic damnato fiſcus capiat. Et concludunt omnes, eos qui ex forma iuris municipalis capitali crimine abſentes damnantur, hoc eſt (vt vulgo vocant) banniuntur, non amittere ea quæ ſunt iuris communis, hoc eſt Romani, ſed ea duntaxat quæ ſunt priuati iuris municipij illius, in quo abſentes damnati ſunt. Quòd ſi quis ſpeciali iuſſu principis abſens, capitali ſententia damnatus fuerit (id quod poni dicunt in banno imperiali) hunc ea quoque, quæ iuris communis ſunt amittere. Quaſi ſententia capitalis contra abſentem lata,non alio quàm hoc caſu principis autoritate fulciatur. Bartolus hîc & in l. amiſſione. §. qui deficiunt. capit. diminutio. Sed cùm ſuprà in l.omnes populi. oſtenderim, non aliter valere ſtatuta municipalia, quæ aduerſus ius publicum quid diſponunnt, quàm ſi ſpeciali principis decreto comprobata ſint: conſequens videtur, vt qui ex his damnati ſunt, etiam autoritate principis damnati intelligantur:ac proptereà etiam quæ iuris communis ſunt ea amittant.Reſpondeo,quia princeps id ius priuatum in municipio non publicum in vniuerſo Romano orbe eſſe voluit:ideò non mirum ſi ea quæ publici iuris ſunt,hic talis non amittit,ſed quæ illius priuati municipij duntaxat. Nam capitali ſententriæ damnatus,ciuitatem amittere debet non aliam, atque illam,cuius ex iure damnatus eſt.

## L. XI. MODESTINVS LIB. I. PANDECTARVM.

INVITI FILII NATVRALES, VEL EMANCIPATI *non rediguntur in patriam poteſtatem*. Naturales accipe ex concubina, vel quauis alia non iuſta vxore genitos, quicquid Accurſius controuertat, qui verbi illius, rediguntur, ſignificationem, non ſatis perſpectam habuit. Naturalium ſanè triplex appellatio: nam interdum iuſti filij quique in poteſtate noſtra ſunt, naturales dicuntur, ad differentiam adoptiuorum. l. nepotes. in fine. ſupra eodem titulo, de quibus hoc loco non agitur: frequentius verò naturales dicuntur, ex concubina, vel quauis alia non iuſta vxore geniti, qui nec in poteſtate noſtra ſunt, ſed ſui iuris habentur: vt hoc, & aliis ſæpe locis. l. ex facto. §. ex facto. infrà ad Trebellia. Hi rurſus in multos ſpecies diſtinguuntur, variíſque appellationibus recenſentur, quas diligentiſſimè exequitur Aleiatus libro quarto παρέργων cap. v. Tertio modò naturales dicuntur, qui nati illico in poteſtate noſtra ſunt, non vt patrum, ſed vt dominorum, veluti qui nobis ex ancillis noſtris ſuſcipiuntur. Nam hi & ſerui & naturales filij noſtri ſunt. l. naturalis. de præſcrip. verb. l. fina. C. communia. de manumiſ. l. de ancilla. C. de liber. cau. l. denique. de pignor. l. omnes. §. Lucius. quæ in fraud. cred. Quamobrem Martialis de equite Rom. qui ancillis ſuis commiſceretur, domum repetere cum equitibus vernis dixit. Hodie hi liberantur à ſeruitute, ſimul ac pater actis publicis interuenientibus filios eos ſuos eſſe profeſſus fuerit, aut filiorum nomine appellauerit. Non tamen hoc eis ſufficit, vt & iuſtorum filiorum iura conſequantur. l. vnica. §. ſimilique modo. C. de latin. liber. toll. Inſt. de adopt. §. fina. Sed etſi pater moriens nemini hos legauerit, vel tradi iuſſerit, cum eorum matre, ſi & ipſa viuat, liberi efficiuntur. d. l. fin. C. comm. de manum. Quod ait, Inuitos non redigi in poteſtatem: quęri poteſt, ſi conſentiant, quomodò redigantur. Ego per arrogationem id fieri intelligo. l. qui liberatus. infra tit. 1. quam rem plenius infrà explicaturus ſum. l. fin. ſeq. tit.

## DE ADOPTIONI. ET EMANCIPAT. ET ALIIS MODIS QVIBVS PAT. POTE. SOLVITVR. TIT. VII.

ADOPTIONVM antiquitus frequens vſus, dum earum iura religioſè habita ſunt, & incorrupta manſere. Adoptabant ferme hi, quibus vel natura filios non dediſſet, vel datos, fors ademiſſet, vt familiarum nomina & ſacra priuata, quæ pontificum legibus perpetua eſſe iubebantur, naturalibus deficientibus, per adoptiuos conſeruarentur. Id & ad memoriam ſibi in poſterum gloriosum, & ad præſentis ſtatus ſolatium ac decus conducibile exiſtimabant: orbitatis miſeriis, ac inſidiatum occaſionibus ſublatis, quę aduerſus orbos non raro intenderentur. Denique Rom. Imperium à C. Cæſare in Auguſtum, ab Auguſto in Tiberium à Tiberio in Caligulam Germanici filium (quem & ipſum olim Imperatorem deſtinatum, iuſſu Auguſti Tiberius adoptauerat. Inſtit. eod. tit. in princ.) à Claudio mox in Neronem adoptionis iure, translatis opibus, & continuata potentia deſcendit. Nec liberis adoptiuis patres deſerere, aut ad naturales mox redire liberum erat. Retinebantur quippe etiam inuiti coërcebantúrque

túrque iure patriæ poteſtatis.l.non poteſt.infra eodem titulo. Sed nec filij ipſi ab adoptiuis patribus expelli, aut inuiti emancipari poterat, niſi ex cauſa, quod & Bartolus credidit,in l.quidam cum filium. de verborum obligationibus.& Viglius probat.Inſtitut.de exhæred. liber. in rubrica. Nec Græco more abdicari eos licebat,ne iterum alterentur, aut etiam vt ex toto à paterna familia abalienarentur, cùm abdicationum mos Romanis legibus improbatus fuerit,lege abdicatio.C. de patria poteſtate. Alciatus libro ſecundo diſpunct. capi.vigeſimooctauo. Viglius loco ſupradicto. Enimuerò ſequutis temporibus, vt bene conſtituta omnia paulatim ferè ad vitium labuntur. Adoptionum incommoda quædam exiſtere cœpere, dum vel ab adoptiuis patribus parùm conſtanti animo habiti filij exhæredarentur:quod facere ſemper licuit, etiam aduerſus filios naturales, querelæ inofficioſi teſtamenti periculo imminente.Inſtit.de inofficio.teſtamen.in princip.d.l.quidam cùm filium. vel comminutis patrimoniis atque attritis opeibus (quod luxu temporum non raro eueniebat) fruſtra hæredes ſcribebantur. Quamobrem tam naturalium, quàm adoptiuorum parentum hæreditatibus excluſi illuſique ſæpenumerò reperiebantur. Hac de cauſa Iuſtinianus Imperator, credo etiam ex eo quòd Chriſtiana religione introducta,veterum familiarum inania ſacra intetierant: & propagandi nominis ratio inanem quandam gloriam, pietati noſtræ non admodùm probatam continere videbatur,edita conſtitutione.l.penultima. C. de adopt.Quod primum ac præcipuum in adoptionibus fuerat, vt adoptiui in familiam tranſirent, id ſuſtulit, aliáque induxit, quibus omnia ferè adoptionum iura perturbata ſunt. Eam tamen adoptionis ſpeciem, quæ arrogatio dicitur, in ſuo ſtatu ac iure reliquit. Idcirco adoptio hodie perrarò fit: arrogatio ſæpius. Nam ſi naturalem patrem habeat, quem adoptare cupimus, eum ante omnia emancipari curamus,vel certè ſpeciali principis indulgentia,vt in poteſtatem noſtram tranſeat, impetrari ſolet. Nec ferè aliter hodie ad adoptandum procedere ſolemus eos,qui in alterius poteſtate ſunt. Quamobrem nouæ huius conſtitutionis abrogatione, non multum iacturæ fieret, nec nullo negorio princeps ſubleuaretur, ſpecialibus reſcriptis id tribuendi, quod veteribus legibus ex æquo omnibus concedebatur.Cæterùm cùm ſit adoptio poſt naturam alter modus,quo iuſti filij nobis effici poſſunt. Ideò cùm ſub præcedenti titulo dictum ſit, quomodò natura iuſti filij nobis fiant, bona ratione ſubtexitur tractatus adoptionum. Quotuplex adoptio ſit, quomodò, & apud quos fiat factáque diſſoluatur:quæ illius vis & affectus ſit,quos & à quibus adoptari liceat:omnia ſecundum veteris iuris autoritatem declarantur,atque explicantùr.Sunt huius Rubricæ duæ partes: vna, *de adoptionibus.* altera, *de emancipationibus.* Quæ duæ res ideò coniunctim tractantur,quòd maximè inter ſe adgnatæ atque affines ſunt.Nam hoc iure tum maximè ſoluitur poteſtas patris naturalis,cùm filius alteri in adoptionem datur.Sanè quod ſubiungitur:*Et de aliis modis,quibus patria poteſtas ſoluitur.*Id non vltra exequitur Imperator,quàm vt morte ſolui cōmemoret,vel patris,vel liberorū.l. ſi quis.l.ſeq.infra eo.ti.ciuitatis quoq; amiſſionē recenſet.l.ſi paterfa.eo.Sed id quoq; obiter,& velut aliud agens,quia ſcilicet de his modis,quibus patria poteſtas ſoluitur,ple-

nius diſſeruerat, Inſtitutionibus. Adoptionum iura, Pontificum & Augurum libris conſcripta fuiſſe appatet, ex oratione Ciceronis ad Pontifices, pro domo ſua. Certè non duodecim tabularum lex, non edictum prętoris vllum de adoptionibus relatum extat, ſed moribus ciuitatis paulatim hoc ius introductum eſt, deinde ſcripto etiam comprehenſum. Inſtit. de acquiſ. quæ fit per arrog. in ptinc. vbi dixi contra glo. & ibi etiam Theoph. notat. Poſterioribus temporibus Senatuſconſulta quędam de his facta commemorantur Cornelio Tacito, Suetonio, & principum conſtitutionibus. l. penult. C. eod. tit. Inſt. de acquiſ. per arrog. in princ. iuſiurandum quod in arrogando iuraretur, à quinto Mutio pontifice maximo compoſitum fuiſſe, & Maſſurium Sabinum, qui Tiberij temporibus fuit, de adoptionibus quædam ſcripſiſſe, & comitia arrogationibus faciendis arbitris pontificibus haberi ſolita eſſe, Aul. Gellius ſcribit, libro v. capi. xix. Ad Maſſurij libros commentationes poſteà ſcripſere Vlpianus & Paulus. Ideò frequentia ex vtriuſque horum libris, qui *ad Sabinum* inſcripti erant, capita ſub hoc titulo referuntur.

### L. II. GAIVS LIB. I. INSTIT.

GENERALIS &C. QVAE SPECIES ADOPTIONIS DICITVR *arrogatio: quia & is qui adoptat, rogatur, id eſt, interrogatur an velit eum quem adoptaturus ſit, iuſtum ſibi filium eſſe, & is qui adoptatur rogatur, an id fieri patiatur.* Atqui arrogationem dictam eſſe, Aul. Gellius ſcribit, quia tranſitus hic in alienam familiam per populi rogationem fieret, lib. v. noct. att. cap. xix. Quin etiam eius rogationis verba refert hæc, *Velitis iubeatis, vti* l. Valerius. l. Titio, tam iure legéque filius ſibi ſiet, quàm ſi ex eo patre matréque fami. eius natus eſſet, vtique ei necis vitęque poteſtas ſiet, vt pariendo filio eſt. hoc ita, vt dixi, ita vos quirites rogo. Propterea impulſos quoſdam, deceptum hoc loco Caium noſtrum exiſtimaſſe, Alciatus ſcribit, libro nono παρέργων, capi. quinto. Exiſtimat ipſe ethymologiam à Caio excogitatam, quæ tempori ſuo magis conueniret: quia vetus mos rogationum iam inde à Tiberij temporibus exoleuerat. Ego vt rogationum morem abolitum fuiſſe non negauerim, quod etiam ſuprà oſtendi, in l. non ambigitur. de legib. & in l. j. de conſt. princ. ita rogari eos quoque ſolitos fuiſſe, qui adoptarentur, affirmare poſſum, ex his Ciceronis verbis, in oratione ad Pontif. pro domo ſua, contra Clodium. Sed cùm hoc ius à maioribus proditum ſit, vt nemo ciuis Romanus, aut libertatem, aut ciuitatem poſſit amittere: niſi ipſe autor factus ſit, quod tuipſe potuiſti in hac cauſa diſcere (credo enim quanquàm in illa adoptione legitimè factum eſt, nihil tamen te eſſe interrogatum, autor ne eſſes, vt in te P. Fonteius vitæ necisque poteſtatem haberet, vt in filio) quæro ſi aut negaſſes, aut tacuiſſes, ſi tamen id triginta curiæ iuſſiſſent, num id ratum eſſet? certè non, quia ius &c. Ex his verbis adducor, vt à duplici mutuáque rogatione, tam populi, quàm eorum qui inter ſe adoptarent, arrogationem dictam exiſtimem, quod maiorem rationem habet, nec Grammatico magis in hoc quàm Iuriſconſulto credendum eſſe. Nam & eorum quæ arrogatorem arrogato, ſi pupillus ſit, viciſſim promittere oportet, ipſius penè ſtipulationis formula, paulò pòſt refertur. l. non enim. infra eodem.

ILLVD *vtriuſque adoptionis cõmune eſt, quod ij qui generare non poſſunt, quales ſunt ſpadones, adoptare poſſunt, caſtrati autẽ non poſſunt.* Rectè animaduertit Aug. lib. IIII. emen. c. v. quatuor hæc poſtrema verba, *Caſtrati autem non poſſunt,* non reperiri, neç in Florẽtinis Pand. nec in lib. Inſti. Caij primo, vnde hoc caput deſcriptum eſt. Vera tamen horũ verborum ſententia, quę etiam in inſtitutionibus Imperatoris aſcripta ſunt. §. ſed & illud. Inſt. eo. tit. aſſentiorque in omnibus Auguſtino, Theophili interpretationem probanti. d. §. ſed & illud. Hoc videlicet iccirco conſtitutum eſſe, quòd ſpadones quidem aliqua in ſpe generandi eſſe poſſunt, ſi fortè naturale impedimentum remoueatur, quo interim coire prohibentur, at caſtrati nullam omnino ſpem habere poſſunt. Caſtratos autem propriè eos dici, quibus genitalia obſciſſa ſunt. Thillibias, quibus à matribus, aut à nutricibus, vel quo alio caſu attrita ſint. Spadones verò qui ob morbum aut corporis frigiditatem generare non poſſunt. At Eunuchorum appellationem de his omnibus generalem eſſe ego quoque conſentio, quamuis & ſpadonum appellatione, ex ſententia loquentis, interdum etiam hi omnes contineantur. l. ſi ſerua. in fine, de iure dot. l. ſpadonum. de verb. ſignifi. Qua in re longiſſimè omnium erraſſe Alciatum apparet, in d. l. ſpadonum. Nobis autorem indicaſſe, ſat eſt. Illud hoc loco adſcribi non intempeſtiuum: fuiſſe antiquitus etiam tertium adoptandi modum, ex teſtamento ſcilicet, vt ex Cicerone, Tranquillo, aliiſque Latinis ſcriptoribus cognoſci poteſt. Cicero de claris. orat. Liciniæ filius Craſſi teſtamento qui fuit adoptatus. Tranq. in Cæſ. Sed nouiſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororũ nepotes: C. Octauium ex dodrante, & L. Pinariũ & Q. Pedium ex quadrante: reliquos in ima cera; C. Octauium etiam in familiam nomenque adoptauit. Obſeruari etiam hodie hunc morem apparet, cùm ea lege hæredes aliquos inſtituimus, vt nomen noſtrum & gentilitia inſignia gerant. Qua de re alio loco dicam.

L. IIII. MODESTINVS. LIB. II. REGVLARVM.

MAGISTRATVM APVD QVEM LEGIS ACTIO EST, ET *emancipare filios ſuos & in adoptionem dare apud ſe poſſe, Neratij ſententia eſt.* Hæc aliis quoque locis repetita ſunt. l. ij. de offi. præt. l. ij. de off. præſ. Cæterùm adoptiones apud magiſtratus fieri, ideò receptum videtur, vt teſtatiores eſſent, magiſque omnibus innoteſcerent, non autem quia cauſæ cognitio à magiſtratu adhibenda eſſet, quod Bar. & Bal. hoc loco & plerique alij falsò videntur exiſtimaſſe. Satis quippe habebatur, ſi inter ſe conſentirent hi, inter quos adoptio contraheretur, quique adoptandos darent. Sic arrogationem quoque quæ ex indulgentia principali fit, apud Præſidem, vel Prætorem intimari oportere traditum eſt. l. ij. C. eod. titu. eadem ratione profeſſiones quoque eorum qui naſcerentur, apud Præfectos ærarij Saturni fieri conſtituit diuus Marcus. l. cũ de ætate. de prob. Donationes quoq; non alia de cauſa actis publicis inſinuari debent. l. donatio. & l. data. C. de don. Sed & manumiſſiones ſeruorum & emancipationes liberorum eodem intuitu apud magiſtratus facere iubemur. l. j. & l. fin. C. de emancip. liber. & de manumiſſ. vind. per totum titu. Quare Paulus libro II. Senten. recept. apud magiſtratus municipales, inquit, ſi habent legis actionem, emancipari & manumitti poteſt.

Pertinebat ea res ad excludendas fraudes,præſertim eas, quæ falſa interdum opinatione atque errore circa ſtatum & conditionem alicuius committi poſſent. Quia verò tam adoptio,quàm manumiſſio & emancipatio etiam ſpecie quadam imperij explicabuntur(quod vel illud indicat,cùm imperio magiſtratus adoptionem fieri traditur.l.ij.ſupra eod.arg.l.manumiſſio per lectores.ff.de manumiſſ. vind.) Imperium autem non niſi iis competebat,qui maiores magiſtratus eſſent. Ideò illud quoque additum eſt,non poſſe adoptionem apud alium,quàm apud quem plena legis actio eſt,celebrari.l.noſtra.& l.j.C. eo.tit. Nam legis actionem apud eum eſſe dici,qui iuriſdictioni præſit,& maiorē aliquem magiſtratum gerat,copioſè hoc loco Budæus oſtendit.Addit Alcia.lib. III. παρέργων c.II.hunc illum eſſe,qui & merum & miſtum imperium habere dicitur,quales ſunt Romæ Prætores,in prouinciis proconſules, & earum præſides,quod & verum apparet,excepto quòd merum imperium Prætoribus Romæ non omnibus competeb[illegible],nec illi quidem qui vrbanam peregrinámue iuriſdictionem ſortitus eſſet:ſed his duntaxat,quibus iudiciorum publicorum capitales quæſtiones legesque exercendæ obtigiſſent,vt ſuprà oſtendimus,in l.ij. §.deinde.de orig.iur.Verùm & ſi alij merum imperium non habebant,non ideò tamen minus apud eos legis actio erat. Cicero de lege repetundarum in Verrem.Quis igitur eſt,inquit,qui neget,oportere eorum arbitratu lege agi, quorum cauſa ſit lex conſtituta? Vlpianus de offi.præt.l.Barbarius.de prætore loquens.Quid dicemus?an quæ dixit,quæ decreuit,nullius fore momenti, an fore propter vtilitatem eorum,qui apud eum egerunt,vel lege,vel quo alio iure?ex his quoque exemplis clarè apparet,quid ſit lege agere.clarius autem id oſtendit Aſcon.Pœdanus in tertia Verrina,quum verba illa Ciceronis, *lege ageret in hæreditatem*, ita interpretatur.experiretur iure,quemadmodum probaret ſe hæredem ſcriptum eſſe,& poſſeſſionem à Prætore peteret.Fuit igitur hęc dubitandi ratio in his reſponſis,quòd nemo videretur in ſe ſe atque in ſua cauſa ſuo ipſius imperio vti poſſe.l.ille à quo. §.tempeſtiuum.ad Trebel.l.pen.de arb. nec actorum fides in ſua cauſa cuiquam temere committenda. Sed vtilitatis cauſa receptum eſt,quod hîc dicitur,quoniam & ſpecies illa imperij,in talibus negotiis adhiberi ſoliti,paulatim obſoleuerat.arg.d.l.manumiſſio.& d.l.pen. & fi.C.de emancip.liber.& quod potiſſimam vtilitatem ac rationem horum continebat,vt ſcilicet quod geſtum eſſet,omnibus innoteſceret:id nō minus apud acta ipſiuſmet Prætoris,aut conſulis,quàm alterius cuiuslibet præſtari poſſe viſum eſt,nec de fide dubitandum eſſe, cùm per tabularios & ſcribas publicos acta apud tales magiſtratus conficiantur. Quare verum id quoque arbitror, quod hoc loco Baldus adnotauit, poſſe hodie comitem Palatinum & ſuos ipſius filios apud ſe legitimos facere, dumtamen cætera rite expediantur: hoc eſt,inſtrumenta,vt moris eſt,per notarium conſcribantur.nam dubitari poſſe arbitror,an talis actus ſine publica ſcriptura geſtus valeat. Amplius & illud probauerim,Prætorem,aut Conſulem filios alienos apud ſeipſum ſibi adoptare poſſe.nam Auguſtum id feciſſe Suetonius ſignificat,cùm Caium & Lucium domi adoptaſſe,per aſſem & librā emptos à patre,Agrippa ſcribit. Domi enim intelligendum apud ſe,cùm ſcilicet ſupremam poteſtatem obtineret.nam pri-

uatus

uatus id facere non potuiſſet. Quæ Accur. hoc loco ſcribit, leuiora ſunt, quàm vt à quoquam confutari neceſſe ſit. Nos ad inſtitutum pergamus.

### L. VII. Celsvs. Lib. XXXVIII. Digestorvm.

CVM ADOPTIO FIT, NON EST NECESSARIA IN EAM *rem autoritas eorum, inter quos iura adoptionis conſequuntur.* Certi iuris eſt adoptatum à me, fieri adgnatum non ſolùm liberis, quos in poteſtate habeo, ſed & fratribus & patruis meis cæteriſque qui modò ab eodem auo, vel proauo deſcenderunt. Inſti. de legit. agnat. ſucceſſ. §. per adoptionem. vbi Theophil. l. ij. §. hæreditas, de ſuis & legit. cùm hoc ita ſit, æquum videbatur, vt hi ſaltē adhiberentur, qui poteſtati meæ ſubiecti non ſunt, ne ignorantibus, vel inuitis in facultate mea eſſet, hæredem eis quandoque futurum parare. Sed quia nominis & ſacrorum cuiuſque familiæ conſeruandorum ratio ſic poſcebat (nam adoptio, vt diximus, his duabus de cauſis maximè in vſu eſſe cœpit.) Idcirco omiſſa horum autoritas, ne ſi recuſarent, in poteſtate eorum aliquando foret, extingui familiaria ſacra, & gentis nomen. quod ne accideret legib. XII. tabu. proſpectum fuiſſe ſignificat Cicero de legib. his verbis: *Sacra priuata perpetua manento.* præſertim cum teſtamento ſibi proſpicere illi poſſint, ſi hæreditatem ſuam ad adoptiuum meum peruenire nolint. Si tamen euidens fraus oſtenderetur, vt puta, ſi quis agenti alicui agnatò meo, dato pretio, ea ſpe adoptandum ſe dederit, vt legitimam hæreditatem meam quandoque nanciſcatur: ſine dubio nō profuturam huic adoptionem, ſed illo excluſo aliis proximioribus locum fore exiſtimo. Quin etiam ſpeciali S. C. Neronis temporibus facto appoſitè id cautum fuit, ne ſimulata adoptio, in vlla parte muneris publici iuuaret, néve vſurpandis quidem hæreditatibus prodeſſet, autor Cor. Tacitus lib. ann. XV. Hodie generali iuris conſtitutione talis adoptio eleuabitur, qua plus valere quod agitur, quàm quod agi ſimulatur, declaratum eſt. C. plus val. quod agit. per totum titu.

### L. VIII. Modestinvs. Lib. II. Regvlarvm.

QVOD NE CVRATORIS AVTORITAS INTERCEDERET, *in arrogatione antè tenuerat, ſub Diuo Claudio rectè mutatum eſt.* Oportet & tutoris autoritatem interuenire, ſi impubes ſit qui arrogatur, vt noua Iuſtiniani conſtitutione declaratum eſt. l. fin. C. de auto. preſt. cuius rei rationem illam aſſignat, quòd iniquum eſſe videatur, tutelam ſolui, non admonito tutore, cuius ea res intereſſe poteſt. Eadē ergo ratio, vt & curatoris autoritas requiratur, efficit. Enimuerò ſi tutor, aut curator arrogationi conſentire nolint, nihilominus tamen eam perfici poſſe exiſtimo, ſi pupillo, vel adulto expedire conſtet, & cætera conueniant. Apparet enim non ideò horum autoritatem requiri, quòd eorum poteſtas ad ſubiiciendum alteri pupillum valeat, ſed priuato dumtaxat ipſorum intuitu Gell. libro quinto cap. XIX. Neque pupillus autem neque mulier quæ in parentis poteſtate non eſt, arrogari poteſt; quoniam & cum fœminis nulla comitiorum communio eſt, & tutoribus in pupillos tantam eſſe

autoritatem poteſtatémque fas non eſt,vt caput liberum, fidei ſuæ commiſſum,alienæ dictioni ſubiiciant.Ex his apparet impuberum & adultorum arrogationem,à principis voluntate & gratia totam dependere,non à tutorum,aut curatorum autoritate. Nam quod ad fœminas attinet, arrogari eas quoque poſſe ex reſcripto ac ſpeciali principis indulgentia,aduerſus veterem atque obſoletam comitiorum ratioñe,poſteà receptum eſt.l.nam & fœminæ.infrà eod. l.in adoptionem.11.C.eod.tit.

### L. IX. Vlpianvs. Lib. I. Ad Sabinvm.

ETIAM CAECVS ADOPTARE, VEL ADOPTARI POTEST. Sed an mutus & ſurdus poſſint, quæritur. Ego iure antiquo non potuiſſe exiſtimo:nam multa faciendis adoptionibus ſolennia interuenire neceſſe erat, inter quæ etiam ſtipulationes fuiſſe,credibile eſt. Hodie cùm Iuſtiniani cõſtitutione ſolennia omnia adoptionum ſublata ſint.l.fin.C.eod.titu.& ſatis ſit, patrem naturalem apud acta profiteri,velle ſe dare filium ſuum in adoptionem,præſente ipſo filio & illo quicùm adoptaturus eſt,videtur adoptio quodammodò eſſe cœpiſſe vnus ex his contractibus,qui conſenſu perficiuntur. Hos contractus cùm & mutus & ſurdus quoquomodò intelligentes inire poſſint.l.ſeruo inuito.§.pen. ad Trebell.Bart.in l.j.§.j.& §.ſiquis ita,de verbo.obliga.conſequens eſt, vt & adoptare & adoptari,& in adoptionem dari poſſint,idque etiam Calliſtrati reſponſo manifeſtè apparet.l.ſi pater naturalis. vbi Barto.infrà eod. Qua ratione etiam arrogare & arrogari poſſe eoſdem crediderim. Quamuis enim arrogationem ab interrogationibus,quas inter ſe faciunt,dictam eſſe, traditum ſit,in l.ij.ſupra eo.non propterea tamen huiuſmodi interrogationes hodie neceſſarias eſſe exiſtimamus.glo.in d.l.ij.arg.l.ij.C.eod.tit.

### L. X. Pavlvs. Lib. II Ad Sabinvm.

SI QVIS NEPOTEM. &c. cum l.ſequen. Videntur hæc duo reſponſa per arg.à contrario ſenſu manifeſtè præſupponere,ſi filius adoptioni non conſenſerit,adgnaſci nepotem auo ſuum hæredem,quaſi ex alio quolibet filio adoptatum.Cuius rei quàm magnus effectus ſit,nemo non videt. Nam & inſtitui,vel exhæredari hunc quoque oportebit,& ab inteſtato ſuccedet pariter cum filio.Inſt.de ſucceſſ.ab inte. §.cùm filius.& de exhær. lib. §.ſi filius.ego etiam Vlpiani reſponſo.l.iiij.§.j.de bo.poſſ.contratab.hoc ipſum probari puto,ſi rectè modò Vlpiani ſententia intelligatur.Nam Accur.peruertere eam conatus eſt,Bar.aliquatenus reſtituit.in d.§.j.vbi dixi.Pertinẽt huc & quæ inferius dicemus,in interpretatione reſponſi Proculiani.l.ſi is qui nepotem.eod.titu.

### L. XIII. Papinia. Lib. XXXVI. Qvaestionvm.

IN. OMNI,&c.Eadem ratione deſinit quoque eius ciuitatis ciuis eſſe,cuius per adoptionẽ ciuis eſſe cœperat.l.ſed etſi.infrà ad muni.& de incol.

### L. XV. Vlpia. Lib. XXVI. Ad Sabinvm.

SI PATER PA.&c.§.IN ARROGATIONIBVS *cognitio vertitur,num forte minor ſexaginta annis ſit is qui arrogat,&c.* Cũ is adoptatur,q in patris naturalis poteſtate eſt,nulla cauſæ cognitione opus eſſe viſum eſt.Sed ſufficere

volunta

voluntatem patris,qui conſentientem filium in alterius poteſtatem tradit,adeò quidem vt nec neceſſe ſit,autorem in eam rem fieri magiſtratum,apud quem adoptatur. Sed ſatis eſt,coram eo fieri,cum ſolenni teſtatione apud acta.l.fina. C.eodem tit.omnia tamen ſedente ipſo pro tribunali fieri oportere Angel.interpretatur.l.ſi conſul. §.eo.ſed in arrogationibus ſecus eſt,vt hîc vides. Et quidem circa eas triplex inſpectio. Nam ſi maior x x v. annis ſit, qui arrogatur, quoniam ſatis ipſe ſibi conſulere,& prouidere poteſt,nihil aliud inſpicere, vel inſpici mandare ſolet Princeps,niſi ea quæ publicam & veluti cenſoriam curam atque animaduerſionẽ poſtulant. Talia enim ſunt,quæ hoc loco referuntur. Quòd ſi pupillo maior ſit qui arrogatur, minor tamen x x v. annis,hoc amplius in eo conſideratur,num tutelæ fortè aut curæ adminiſtratæ ſuſpicio ſubſit,vt ex ſequentibus docemur.in l.nec ei.Ego idem exiſtimo,& ſi alia qualibet ex cauſa, vel negotiatione arrogator implicatus ſit adulti rationibus: quamobrem videri poſſit hoc veluti ſuffugium æris alieni captare. In pupillis autem præter hæc omnia,illa quoque inſpiciuntur, quæ paulò pòſt commemorat.d.l.nec ei. §.iis duntaxat.Quamquàm autem credi poſſit, in prima illa ſpecie,cùm maior ſcilicet x x v.annis arrogatur,per libellum(hoc eſt ſupplicationem Principi oblatam & ab eo ſubſcriptam)rem expediri poſſe,ſi Princeps fortè fidem iis habuerit,quæ precibus comprehenſa ſunt,obreptionis ſcilicet periculo ac pœna imminente,ſi aliter rem ſe habere quandoque appareat. Poſterioribus tamen duobus caſibus,hoc eſt,ſi impubes,vel ſi adultus ſit qui arrogatur,conſultius factũ iri exiſtimo,vt cognitio mandetur,& decretum cauſa cognita ſolenniter interponatur. Nam Principi hodie cognitionibus operam dare mos non eſt,vt antiquitus fuit.Ideò rem totam mandare neceſſe eſt.

Sed nec libertvm alienvm, &c. Subaudiendum eſt, patrono non conſentiente, quod ego præter Accurſij & cæterorũ opinionem dicendum arbitror,etiam aliis locis vbicunque hoc pronunciatũ legimus.l.ſed etſi. §.patronum.infrà de in ius voc.l.j. §.ij.ſi quis à par.fuer.man. Cur enim cæteris conuenientibus,non & huic Princeps annuat,cũ volenti patrono nulla fiat iniuria,& libertinorũ adoptiones etiã ingenuis permiſſas ex eo intelligere poſſimus,quòd libertos noſtros adoptare indiſtinctè permittimus. Illud prætereà crediderim,ſiue meũ,ſiue alienũ libertum arrogare velim,facilè me à Principe illud quoq; impetraturũ,vt & natalibus reſtituatur,cũ aſſentiente patrono non inſolitũ ſit hanc ipſam nataliũ reſtitutionẽ indulgeri.l.j.& toto tit.de natal.reſt. Quòd ſi nataliũ reſtitutio ſpecialiter impetrata nõ ſit,quãuis ingenuus ſit qui arrogat,libertinũ tamen manere arrogatũ conſtat.l.fi.ſuprà tit.ij. præterquàm quod attinet ad familiã illius q arrogauit.l.ſciẽdũ.de ri.nu.Ego etiã reſpectu eius q arrogari eũ cõſenſit,ingenuũ habendũ arbitror.Planè vno caſu ex ſentẽtia Vlp. in l.fi.infrà eo.tit.videtur alienũ libertũ,nec expectato patroni cõſenſu arrogari permitti,filiũ videlicet in ſeruitute noſtra nobis genitũ & à domino poſteà manumiſſum,quod Principis beneficio fieri pleriq; interpretãtur.Ego ne tũ quidẽ iuris patronatus dãnũ patrono irrogari puto,niſi tacitè vel expreſsè conſentiat. Secũdũ hãc ſentẽtiã ſi alienus libertus arrogatus,poſteà emãcipatus fuerit,an ſub ius patroni iterũ redigatur,dubitari poteſt:qua in re diſtinguẽdũ puto,vt ſiqui-

dem natalium quoque reſtitutio ei conceſſa fuerit, non redigatur, ſi conceſſa non ſit, redigatur. hoc enim caſu, magis interquieſcere ius patronatus arrogationis vinculo atque autoramento impeditum, quàm extigui, aut tolli apparet. Igitur ſublato impedimento, rurſum excitari dicendum eſt. Non idem, ſi arrogatoris morte, vel ciuili, vel naturali exierit de poteſtate, quippe tunc conſummata magis arrogatio, quàm finita eſſe dici debet, cùm in ſacris & nomine adoptiuæ familiæ remaneat. Meritò ſub ius patronatus non redigetur. Nec mouet me in ſuperiore, quòd filius à patre in adoptionem datus, deinde emancipatus, remanet ſui iuris, nec in patris naturalis recidit poteſtatem. Idcirco enim illud euenit, quia dato filio in adoptionem, patria poteſtas ex toto ſoluitur. At libertus conditionem ſuam, nihiloſecius retinet, eliſo magis quàm ſublato iure patronatus. Amplius ſciendum eſt, in hanc ſententiam Maſſurium Sabinum apud Gellium lib. v. cap. xix. ſcripſiſſe, libertinos quidem ab ingenuis iure adoptari poſſe, ſed id neque permitti neque permittendum eſſe, vt homines libertinæ conditionis in iura ingenuorum inuadant, alioquin ſi iuris, inquit, iſta antiquitas ſeruetur, etiam ſeruus à domino per prætorem dari in adoptionem poteſt, idque pleroſque veteris iuris autores ſcripſiſſe. Hæc ille. Sed Iuſtinianus poſcente temporum ratione, inter libertinos & ingenuos non multum differentiæ reliquit, vtpote qui etiam ius aureorum annulorum libertinis omnibus in vniuerſum conceſſit. auth. ne liber. de cæt. in fine. ſed & veterum ſententiam de ſeruo adoptando comprobaſſe videtur Inſtitut. eodem titu. §. fina. addito tamen temperamento, vt per adoptionem ante omnia liberi fieri intelligantur. Scribit enim apud Catonem bene relatum eſſe, ſeruos ſi à dominis adoptati ſint, hoc ipſo liberari poſſe, ego enim ſic accipiendum putaui, vt nihilominus adoptio perficiatur. Quid enim impedire debet, præſertim manente eadem voluntate? Idem credidi etſi aliis in adoptionem dentur. Sed magnopere Aldobrandinus diſſentit, in d. §. fi. Ideò amplius quærendum cenſeo. Poſtremò hoc loco admonendi ſumus, permitti interdum, & fratrem ſuum alicui arrogare, vt Papiniani reſponſum oſtendit. l. ſi filius. in princ. de bon. liber.

## L. XXII. Vlpia. Lib. XXVI. Ad Sabinvm.

SI ARROGATOR &c. Quærit Accurſius, quarta ex arrogatoris bonis ei qui impubes arrogatus eſt, ex conſtitutione diui Pii debita, cuius in iure frequens mentio eſt. l. noſtra. Inſti. eodem titu. §. cùm autem, infrà de inoffi. teſt. l. Papinianus. §. ſi quis impubes. & de collat. bon. l. j. §. ſi impuberem, an intelligi debeat, vniuerſi patrimonij, an portionis illius duntaxat, quam arrogatus ab inteſtato habiturus eſſet? Eſt hoc magis probat, cũ huius ipſius portionis quarta ſufficiat ad naturalem filiũ ab inofficioſi querela excludendum. d. l. Pap. §. quoniã autem quarta. l. cùm parẽtibus. C. de inoff. te. cùm enim adoptio naturã imitetur, nihil amplius huic arrogato, quã cuilibet ex naturalibus liberis indulgendũ videri. Nam & vt nihil amplius arrogato, quã naturali tributũ dicamus,

exiſtimat

exiſtimat Bar. ex Cy. ſententia, non minus naturali filio, quàm arrogato competere ius reuocandi, ſi quid in fraudem legitimæ portionis, iure naturæ debitæ, à patre alienatum ſit. l. fi. infrà, ſi quid in frau. pat. Cyn. in l. j. C. ſi in frau. patr. quæ ſententia non omnino ſine dubio eſt. arg. l. non vſqueadeò. ſi à par. quis ſue. man. Addit Bald. rationem ſuperioris pronunciati, ne ſi aliter dicamus, & plures quis arrogauerit, quod ex cauſa aliquando permitti putat: arg. l. ſi pater. in fin. hoc titu. explicari res nõ poſſit, dum impoſſibile erit, bonorum omnium ſolidam partem ſingulis concedi. Sed ego hanc ſententiam veram non arbitror, cùm ſemper ita ſcriptum animaduerterim, arrogato quartam bonorum arrogatoris, ex conſtitutione deberi. ll. ſuprà citatis. Nec turbat me ratio Baldi, cùm ſiue vno contextu plures arrogati proponentur, non ineptè vnam omnibus quartam ſuffecturam poſſis diceret, ſiue plures ſucceſſiuè arrogati ſint: & hoc caſu præcipuam illius cauſam fore, qui primus arrogatus fuerit, cæteri deinceps ſuo ordine ex diminuto patrimonio partes ferant, poſterior quique exiguiores quaſi ære alieno gradatim detracta & hæreditariis creditoribus perſoluto. Nam quarta hæc portio tanquam æs alienum conſiderari ſolet. dicto §: ſi quis impubes. Sed & verius illud exiſtimauerim, non permittendum eſſe cuiquam, vt plures arroget. argu. l. nec ei. §. prætereà, ſuprà eodem: quod ſi accipimus, iam ſententia Baldi tota corruit. Nam quod legimus in l. ſi pater. §. fin. ſupra eodem. non permitti plures arrogari, niſi ex iuſta cauſa: & iuſtam cauſam interpretatur Accurſius, ſi fuerit quis multùm diues: ego tali caſu neceſſariam eſſe autoritatẽ Principis exiſtimo, etiam ſpecialiter in hoc, vt de portione qua de agimus nominatim conſtituat. Aliquin ſic ineundam eſſe rationem, vt ſuprà dixi. Nec inuidia illa onerari arrogatus debet, quòd hoc modo plus quandoque conſequuturus ſit, quàm filius naturalis: reſpondeo enim quia ſatis erga illos natura propenſi ſumus, meritò arbitrio patris aliquid relinquendum fuiſſe. At erga arrogatos, quia natura non adſtringit, legibus prouidendum fuit. Placuit hæc ſententia & Guidoni de Sul. quem non ſat firmis rationibus confutat Albericus, in hac l. Illud tenendum, portionem hanc, non omni quicunque arrogatus ſit deberi, verùm ei duntaxat, qui cùm arrogaretur, impubes fuit: ſed nec bonorum quarta pars computatur eorum, quæ quis cùm arrogaret habuit, verùm eorum, quæ mortis eius tempore fuerunt. Quòd ſi aliquid viuens in fraudem alienauerit, ad eandem rationem id reuocari debet. d. l. fin. ſi quid in frau. patron.

### L. XXIIII. Vlpiã. Lib. I, Opinionvm.

POST MORTEM, &c. §. NEQVE ADOPTARE, NEQVE *arrogare quis abſens, nec per alium huiuſmodi ſolennitatem peragere poteſt.* Et alibi, *nec mulierem, nec alium quemquam per procuratorem vindicta manumittere ſeruos ſuos poſſe.* l. nec mulierem. C. de manumiſſis vindicta. Sed nec abſens emancipare, vel emancipari poteſt, niſi à Principe ſubuentum ſit. l.

pen.C.de emancip.lib. ſimiliter traditum eſt mulierem abſentem nubere non poſſe, quia neceſſe ſit deduci eam in domum viri, vt abſenti nupſiſſe intelligatur, quæ deductio per procuratorem explicari nequit.l.mulierem.de ritu nupt.quamuis Canoniſtæ aliter cenſuerint. Hoſt.tit.de ſponſ.§.qualiter contrahantur.In ſumma, horum omnium præcipua illa ratio traditur, quòd procuratorum vſus ad ea duntaxat pertinet, at in iis valet, quæ in adminiſtratione patrimonij conſiſtunt. glo.in d.l.nec mulierem. Qua ratione reſponſum eſt, non poſſe curatorem furioſi ſeruum manumittere: quia manumiſſio non eſt in adminiſtratione facultatum furioſi, quæ ſolæ curatori commiſſæ ſunt. Quare debere eum alteri ſeruum tradere, à quo poſteà manumittatur: ſi libertatem fortè debeat furioſus, puta, ex fideicommiſſi cauſa.l.ſeruus furioſi.de manumiſſ. nam ſi non debeat, nihil eſt quòd manumittere ſtudeat. His conſequenter dubitatum eſt, an comes Palatinus ſpurium per procuratorem id fieri petentem legitimare poſſit. Videtur autem diſtinguendum, an porrectis ab aliquo precibus non vt à procuratore ſed vt à nuncio, abſentem ſpurium conſulto legitimauerit, & hoc caſu rectè factum dicamus: valituràmque legitimationem, tanquam nudo comitis miniſterio, ex autoritate Principis perfectam. Nam Principem etiam abſentes legitimare poſſe dubium non eſt, vt & natalibus vel famæ aut ciuitati reſtituere. & in priuilegiis Comitum Palatinorum eſſe ſolet, vt etiam abſentes legitimare poſſint. An verò quaſi præſentia ſpurij neceſſaria eſſet, officium & ſolennia verba in perſonam procuratoris direxerit, & tunc non valituram legitimationem, nec procuratorem ad eam rem idoneum habendum fore, dicamus, quamuis nuncius idoneus haberetur, ſtante huiuſmodi priuilegio. Nam præter id quòd geſta per nuncium, intelliguntur geſta ab ipſomet domino non ab nuncio, ſed per organum nuncij, ſubtilem illam differentiam vſquequaque agnoſci oportet, quòd procuratorum vſus propriè in adminiſtratione rerum patrimonialium verſatur, vt etiam ipſius verbi ſignificatio indicat. Et Martialis epigrammate quodam mitè exprimit, cùm ait, Procuratorem vultu qui præferat ipſo. & paulò pòſt, Res non vxoris, res agit iſte tuas. Plautus quoque, Condus promus procurator peni. At nuncij etiam aliis rebus adhibentur, quæ in bonis noſtris non ſunt, nec ad bona pertinent, non tamen omnibus. Nam ſi ſolennitas peragenda ſit, per nuncium expediri non poteſt, vt hoc loco docemur. Hac ratione nec compaternitatem, quam vocant, per procuratorem, qui filium tuum meo nomine de ſacro baptiſmi fonte leuauerit, contrahi poſſe, cùm ea res ad patrimonij adminiſtrationem non pertineat, idque etiam Pontificios doctores probare, Bart. ſcribit, in l.Gallus. § forſitan.in fin. de liber.& poſthu. Ego nec per nuncium quidem contrahi poſſe arbitror, quia ſolennibus quibuſdam opus eſt, & quidem ad ſacrorum rationem pertinentibus, quæ per alium peragi poſſe non videntur, tametſi contrarium obſeruari ſciam. Illud notandum eſt, adoptionum & emancipationum ſolennia, quæ antiquitus obſeruabantur, Iuſtiniani conſtitutionibus ſublata eſſe.l.fin. C.eod.titu.& l.fi.de emanc.liber.ea qualia eſſent, etiam nunc cognoſci poteſt ex Inſtitutio.Caij lib.1.titu.quibus modis filij exeunt de pat.pot. Non tamen

etſi ſo

etſi ſolennia ſublata ſunt, ideò minus opus eſt præſentia partium. Nec ceſſan te ratione hoc caſu ceſſabit lex: ſecundum ea quæ ſuprà diximus, in lege non omnium. de legib. Nam præſentia quidem non ſolùm hoc loco, ſed ipſis etiam Iuſtiniani conſtitutionibus requiritur.

L. XXXII. Papinia. Lib. XXXI. Qvaestionvm.

NOnnvnqvam &c. Legendum eſt, & ſequens caput coniunctim, cùm vnicam ſententiam hæc duo efficiant. Enimuerò cùm ſupra eodem titu. l. nec ei. dixerit, non permittendum tutori, arrogare pupillum ſuum: mirum omnibus viſum eſt, cur vitrico eidémque tutori, hoc loco dicat permitti. Accur. ex Ioannis ſententia diuum Antoninum ſpeciali beneficio, quod ad exemplum trahi non debeat, hoc indulſiſſe. Bartol. finita demum tutela hoc permitti, alij aliter, ſuo quiſque modo cenſuerunt ac tradiderunt. Ego nouum non eſſe in his libris animaduerti, vt generali definitione præmiſſa, etiam longius progreſſo ſermone, ſpecialis caſus interdum ſubijciatur, quo regula locus non ſit. Admonuit hoc Tribonianus ſuprà ex Celſi ſententia. l. inciuile. de legibus. Cùm inciuile eſſe dixit, niſi tota lege perſpecta, vna aliqua eius particula propoſita iudicare, vel reſpondere, non ignarus nec diſſimulans, vt apparet, aliquid in his libris ita ſcriptum & collocatum fore, vt imprudentibus obrepere talis error poſſit. Neque enim legem appellauit Celſus minutum aliquod caput, aut ſectionem, qualem hodie legem appellamus, non ſat latinè, ſed integram & plenam de vniuerſa aliqua re legem ac tractatum intellexit: vt lex Iulia, lex Cornelia, quæ etiam de diuerſis negotijs ac rebus interdum cauebant. Tutori autem idcirco priuignum ſuum arrogare permiſſum puto, quòd reſtituendæ tutelæ periculum propiore cura & complexu matris rependi exiſtimatum eſt. Nonnulla tamen ſuſpitio fraudis fuit, ne mariti amore mulier in cauſa filij præuaricaretur. Sed ſatis huic arrogato conſuli viſum, quòd pubes factus vendicare ſe in priſtinum ſtatum poteſt, quod & alij cuilibet arrogato per in integrum reſtitutionis auxilium permittitur. l. iij. §. ſi quis minor. infrà de in integrum reſti. Sed huius qui à vitrico eodémque tutore arrogatus fuerit, meliorem cauſam vſquequaq; præſumi, & facilius expediri arbitror. Cæterùm an hodie quoque Vitricus tutor eſſe poſſit, ſi vel matrimonium tutelæ ſuperuenerit, vel poſt matrimonium tutela delata ſit, copioſè diſputant hîc Doctores. nos alio fortaſſè dicemus loco. pertinent enim hæc ad interpretationem nouellarum conſtitutionum, quarum ſenſus haud omnino obſcurus eſt.

L. XXXV. Pavlvs Lib. I. Respons.

PEr adoptionem dignitas non minvitvr, sed *augetur, vnde Senator, etſi à plebeio adoptatus eſt, manet tamen Senator, ſimiliter manet & Senatoris filius.* Traditur hoc idem ſub titu. de Senatoribus. Senatoris filius. ſecundo reponſo. Scriptum eſt enim non amitti ſenatoriam dignitatem adoptione inferioris dignitatis. Omnes autem, qui hoc loco ſcripſerunt, idem intelligere

videntur & de arrogato, vt non minuatur eius dignitas, ſed augeatur eodem modo. In quo quidem maior dubitatio videri poterat. Nam cùm & capite diminuatur, & qui anteà ſui iuris fuerat, per arrogationem alieno iuri ſubiectus eſſe incipiat, quomodò augeri dignitatem eius dicemus, ac non potius ſi qua fuerat minui? Præſertim cùm & naturalis agnationis ius, & paternorum libertorum obſequia, ſine dubio intereant. Inſtitu. de acquiſ. per arrog. §. 1. Denique non alio intuitu P. Clodius, Senator cùm eſſet & patritius, Fonteio homini plebeio ſe ad arrogandum dedit, quàm vt Tribunus plebis per leges creari poſſet. Quòd non niſi plebeij homines Tribuni plebis fieri poſſent. Patritij autem perpetuò prohiberi viderentur. Propterea quandoque dubitaui, an verum ſit, quod Zaſius hoc loco ſcribit, Patritium nihiloſecius, atque antè fuerat remanſiſſe Clodium. Nam differentiæ nonnihil deprehendere videbar, vt arrogatus quidem planè amitteret dignitatem, adoptatus verò non item: quia ſcilicet hic de poteſtate in poteſtatem transfertur. Ille autem velut de libertate eripitur in ſeruitutem. Quia tamen adoptio per emancipationes & manumiſſiones antiquitus fiebat. l. fi. C. eodem titu. & ſeruilibus quibuſdam modis filius à naturalis patris in adoptiui manum transferebatur, propter quod eum quoque capite minui conſtabat. l. liberos. ff. de cap. dimin. nouella LXXXI. in princ. Inſtit. de cap. dimin. §. minima. Idcirco de hoc maximè dubitatum exiſtimabam. De arrogato non item. ſed verius eſt ad vtroſque hoc caput pertinere, quod illa verba indicant. *Senator & Senatoris filius.* Nam ſenatorem intelligi vult eum, qui ſui iuris eſt, & arrogatur. Senatoris filium, qui à patre in adoptionem datur. Nec verum eſt patritios Romæ prohibitos fuiſſe Tribunos plebis fieri, ſed vt plebeij crearentur ſimpliciter cautum fuiſſe. Quare illud tantùm inquirebatur, an plebeius eſſet: non vt ne eſſet patritius. Pro ſolutione autem & conciliatione eorum quæ aduerſari videntur, ſciendum eſt, nihil commune habere dignitatem, cum ſtatu hominis. Inſtitu. de cap. dimin. §. quibus autem. Ideò & ſi ſtatum quis mutat, non continuo tamen conſequens eſt, vt & dignitatem perdat, cùm ex diuerſis non rectè inferatur. l. Papinianus exuli. de minor. Vel certè vtilitatis cauſa contra ſtrictam iuris rationem hoc ius receptum eſt: vt in multis alijs iuris articulis videmus. l. ita vulneratus. §. penul. ad leg. Aquil. Nam hæc ſententia imprimis ad molliendas pœnas pertinet: cùm maioris dignitatis homines mitius puniantur. argu. l. pen. infrà de pœn. & ad libertinarum coniugia, ab ampliſſimis familijs remouenda proficit. Ne ſi aliter diceremus, legi Papiæ de maritandis ordinibus, per adoptionem fraus quandoque fieret. arg. infrà de ritu nup. l. lege Papia. Quare idem in omnibus dignitatum gradibus ac titulis dicendum erit, vt Bal. ſcribit hîc. Nam & ciuem fieri eius ciuitatis, cuius pater adoptiuus eſt, & nihilominus ſuæ quoque ciuitatis ciuem manere conſtat. l. ordine. in fine. l. ſeq. infrà ad Municip. l. aſſumptio. eodem titu.

L. XLI. Modesti. Lib. II. Regvlarvm.

SI PATER FILIVM. Videtur hoc reſponſum oppoſita ratione pugnare, cum reſponſo Papiniani ſub titu. de liber. & poſthu. l. filio quem parte. nam in omni ferè iure ſic obſeruari ſcribit, vt veri patris adoptiuus filius nunquam intelligatur, & propterea non tranſ

tranſlatum,ſed redditum videri,qui anteà emancipatus à patre ſuo, poſteà arrogatus eſt. Quare ergo non & hic nepos in patris iterum arrogati poteſtatem reuertitur? Soluit Albericus:quia nepoti interim ius quæſitum erat,ne recideret in poteſtatem patris,ideò ei inuito tale ius auferri non debuiſſe,quam rationem & nos probamus, idémque in omnibus ſimilibus incidentibus dicendum arbitror:vt quæ commoda per emancipationem alijs quæſita fuerint, reddito paternæ poteſtati filio, nihilominus firma maneant. In ijs verò, quæ ad filium ipſum attinent,perinde prorſus habeatur,ac ſi non tranſlatus ſed redditus eſſet,ſempérque in eiuſdem patris ſui poteſtate manſiſſet.

L. XLIII. Pomp. Lib. XX. Ad Qvintvm Mvcivm.

ADoptiones, &c. Ad rationem huius & ſequentis capitis,pertinent complura capita,quæ mutuo ſe declarant,ſuperius relata.l.nepotes.ſuprà titulo primo.l.cùm nepos.l.ſi quis nepotem.cum l.ſeq.& l.ſi pater filium.ſuprà eodem titu. *Adoptiones, ait Iuriſconſultus, non ſolùm filiorum, ſed & quaſi nepotum fiunt, vt aliquis noſter nepos eſſe videatur,perinde quaſi ex vero filio, vel incertè natus ſit*: ita enim edidit Haloander. Sed in vulgatis libris erat,*vel deinceps natus ſit*, quod verbum cum ſuperioribus non conuenit,niſi pronepotum mentionem addas. Quòd ſi ex vero emendatus eſt codex, iam dubitari non poteſt, quin & tanquam ex mortuo filio, aut etiam nunquàm nato, vel ex pluribus naris incerto,hoc eſt,nemine ſpecialiter deſignato, nepotem nobis adoptare liceat. Quod Bart.& Gne.contra Accurſium & antiquorum omnium, etiam Baldo probatam opinionem,rectè exiſtimarunt,in hac lege. Nam ſuprà in l.adoptare.eodem titu.diſertè traditum eſt,adoptare quem loco nepotis poſſe,tametſi filium non habeat.Tam autem non habet,qui non ſuſtulit:quàm qui,cùm ſuſtuliſſet,amiſit.ſecundum hanc Sententiam reuocari poſſunt in dubium deciſiones quædam, non ſat firma ratione ab Angelo & Baldo hoc loco traditę, Si mulier ex duorum conſuetudine filium pepererit, quamuis iure Canonico naturales & ſpurij à parentibus ali debeant, neutrum tamen horum neceſſariò hunc alere cogendum eſſe.Si poſt mortem filij,quem ſuſceperim ex concubina,matrimonium cum ea contraxero,illum qui ex eo filio natus erat, iuſtum mihi nepotem non fieri,nec in poteſtatem meam redigi beneficio conſtitutionis. Nihil enim horum hoc capite concludenter probatur. Alijs fortaſſe rationibus vera eſſe poſſunt,ſed ſequens reſponſum, in quo maior difficultas eſt,inſpiciamus.

L. XLIIII. Procvlvs Lib. VIII. Epistolarvm.

SI is qvi nepotem ex filio habet, in nepotis locum *aliquē adoptauit,nō puto mortuo auo iura conſanguinitatis inter nepotes futura eſſe: ſed ſi ſic adoptauit,vt etiam iure legis,nepos ſuus eſſet,quaſi ex Lucio,puta,filio ſuo,& ex matrefamilias eius natus eſſet,contrà puto.* Ita habent antiqui omnes codices,ita edidit & Haloan. Sed equidem magnopere quæſiiſſe me fateor, qua de lege loqueretur Proculus,ex qua

demum adoptato, tribui ius conſanguinitatis ſignificaret, quaſi non & ſimpliciter adoptatus id conſequatur. nam Accurſiana interpretatio non placebat, ad naturæ differentiam trahentis, cùm ea res nihil ad hunc locum pertineat. Nunc non dubito corrupta eſſe. Pro verba, eúmq; ita ſcripſiſſe, *Sed ſi ſic adoptauit, vt ei tam iure, lege nepos ſuus eßet, quàm ſi ex Lucio &c.* Erat quippe ea formula rogarionis in adoptando, quam etiam ſuperius ex Gellio retulimus, *velitis iubeatis vti. L. Valerius. L. Titio tam iure legeque filius ſibi eßet quàm ſi ex hoc patre matreq́ familias eius natus eßet &c.* Eam formulã Pomponius hîc retulit ex frequenti Iuriſconſultorum vſu. Apparet autem ob ſimilitudinem ſcribendi, quàm facilis lapſus in errorem fuerit. Nec ſi opus ſit dubitauerim, vel Triboniano adſcribere huius loci deprecationem: cùm nullam ſpecialem legem fuiſſe vnquam acceperint, qua conſanguinitatis ius adoptatis ſpecialiter tribueretur. Verba autem illa, *iure lege*, frequentia ſunt apud veteres. Cicero pro domo ſua, Fueris ſanè Tribunus, tam iure lege, quàm fuit, hic ipſe Rullus. Cæterùm vt Proculi ſententia aperiatur, ſciendum eſt, conſanguinitatis ius, propriè inter fratres eodem patre ex iuſtis nuptijs procreatos, vel adoptatos eſſe dici. Hi propriè quidem conſanguinei, ſed magis generali nomine, etiam agnati dicuntur. Cæterùm agnati vltra fratres, non propriè conſanguinei dicuntur, ſed impropriè. Denique nec vterini fratres quanuis ex legitimis nuptijs, nec vulgo quæſitus, etiam ſi eundem patrem certa opinione demonſtrare poſſint, conſanguinei dicuntur. atque hi ne agnati quidem, ſed cognati propriè appellantur. Inſt. de ſucceſſ. cogn. §. vulgò. l. vulgò. ſuprà de ſtatu hominum. Huius differentiæ ea vis eſt, quòd in ſucceſſione ab inteſtato, prima quidem cauſa ſuorum hæredum eſt. Poſt illos verò, conſanguineorum, hoc eſt, fratrum eorum, qui ab eodem patre ſunt, gradatim deinde adgnatorum, hoc eſt, eorum qui eiuſdem gentis vltra fratres ſunt, demum cognati admittuntur: vt in Inſtitut. docemur. titu. de legit. adgn. ſucceſ. quod & alibi cognoſci poteſt. l. j. § penul. & fin. infrà de ſuis & legit. Erátque iure ciuili conſanguinitatis etiam effectus ille, quòd poſt conſanguineos, non admittebantur adgnati ad legitimam ſucceſſionem, ſed cognati proximi, ſi modò conſanguinei defuncto ſuperfuiſſent, híque non adijſſent hæreditatem. Inſtitu. de legit. adgna. ſucceſſ. §. placebat. l. j. in princip. de ſuis & legit. quod ipſum & in agnatis obſeruabatur, vt recuſante agnato, ad quem ſucceſſio delata erat, ad proximum cognatum hæreditas ſtatim deferretur, ſiue idem agnatus eſſet, ſiue non. Nam ſolus propinquitatis gradus obſeruabatur. d. §. placebat. Erant & alij effectus, quos colligere non vacat. Nam matrimonium inter conſanguineos, ſi proprio ſenſu acciperes, contrahi non poterat, inter adgnatos poterat, duorum puta fratrum filios, & deinceps. Inſtitu. de nup. §. duorum. Eodem ſenſu accepit & Virgilius cùm dixit, conſanguineus læti ſopor. Ex Græco (vt opinor) Poeta. Quamuis Petrarcha noſter haud ſatis intellexiſſe videatur, cùm locum illum ita reddidit.

*Il ſonno è veramente, qual huom dice, Parente della morte &c.* Fratrẽ enim potius vertere debuit, quàm cognatum. His cognitis plana eſt Proculi ſententia. Conſanguinitatis ius non includit, vt fratres iſti inter ſe eodem patre geniti videantur, niſi ſpecialiter adoptatus hic tanquàm ex lucto naturalis nepotis patte

tre proponatur, idq́; & ſi vnum tantùm filium habere, vel habuiſſe dicas hunc auum, qui adoptauit. quia ſcilicet ſupra lege proxima, definitum erat, poſſe eum quaſi ex quolibet, etiam mortuo, vel nunquàm nato adoptare. Neque enim in ambiguo præſumi debuit, tanquàm ex Lucio adoptaſſe, qui incerta deſtinatione adoptauerit: cũ res facti, iure ciuili nõ præſumatur, niſi quatenus ab eo qui dicit, probetur. Ergo hi inter ſe nõ cõſanguinei propriè, ſed agnati, quaſi ex duobus fratribus nati dicentur. Quare & matrimonio ſimul iungi poterũt hoc quidem iure, ſi fortè fœminam adoptatam proponas, & ſuccedent inter ſe, non tanquàm conſanguinei, ſed tanquàm agnati. Propter quod ab alijs conſanguineis excludentur, ſi qui fortè erunt, vt puta, ſi ex Lucio alij filij ſuperſtites fuerint. Hæc noſtra ſententia eſt in hoc capite (vt Bart. ait) difficili, & ſemper malè intellecta, quam & antiquus interpres ſub nube, ac velut diuinans attigerat. in glo. ij. in princip. dum agnatos tamen hos inter ſe fore ſcripſit, argumen. l. qui in adoptionem. ſupra eodem, ſed voluit citare l. cùm adoptio. quæ melius facit. Albericus tamen eiuſdem interpretis veſtigia ſequutus, plenè percepiſſe videtur, quod ſcilicet ad conſanguinitatis ius ac nomen attinet, vt poſteaquàm hæc ſcripſeram, comperi monente ac præeunte Auguſtino.

## L. XLVI. Vlpianvs Lib. IIII. Ad Legem Ivliam et Pap.

IN SERVITVTE MEA QVAESITVS MIHI FILIVS, IN POteſtatem meam redigi principis beneficio poteſt. Libertinum tamen eum manere non dubitatur. Et ſuprà ex Modeſtino, de ijs qui ſunt ſui, vel alieni iuris. l. finali. *Inuiti filij naturales, vel emancipati, non rediguntur in patriam poteſtatem.* An ergo intelligimus eſſe principalis reſcripti formam, qua tales filios conſentientes Princeps, ſine cuiuſquam miniſterio, aut ſolennitate in poteſtatem noſtram redigit? an arrogandi hos tales nobis indulgentiam concedi? Et ſanè hoc magis puto, cùm ſub hoc titu. paſſim ſcriptum ſit, datum filium in adoptionem, deinde emancipatum, in naturalis patris poteſtatem vt honeſtè redeat, adoptandum, hoc eſt, arrogandum eſſe. l. qui liberatus. l. adoptare. ſuprà eodem titu. Si enim vt iuſtus filius quandoque emancipatus in poteſtatem rurſum redigatur, arrogatio neceſſaria eſt. quantò magis eadem neceſſaria erit, vt naturalis redigi poſſit? Quibus tamen Comitibus Palatinus etiam hoc à Principe indultum ſcio, vt emancipatos filios, vel naturales, per reſcriptum redigere poſſint ſub poteſtatem patrum. Quare multò magis ipſemet Princeps hoc fecerit. An autem & Spurios eadem facilitate in poteſtatem redigi, vel arrogari permittendum eſt? Et reſpondet Baldus in dicta l. fin. Principis æſtimationem hanc eſſe oportere, comitem autem Palatinum ex toto abſtinere debere. Quod verum puto. Idem & de procreatis ex inceſto, vel damnato coitu legiſſe memini, ne alioqui per hos modos legibus fraus fieret. auth. ex complexu. C. de inceſt. nup. Sed Comites Palatini hodie omnia in priuilegiorum codicillis habere ſe profitentur. Quibus vtinam ne tam facilè ac ſæpe in perniciem iuſtorum & legitimorum filiorum vterentur. Reliqua ad hoc reſponſum pertinentia, ſuperius adnotata ſunt. in l. ſi paterfam. §. ſi. eo. ti. Nunc ad ſequentem titulum tranſeamus.

## DE RERVM DIVISIONE, ET QVALITATE.

### TITVLVS VIII.

Conſilium Iuſtiniani fuit,his quatuor libris, eam iuris partem tradere, quæ Græcè,τὰ πρῶτα,nuncupatur,primordia ſcilicet,& Tragoreas Inſtitutiones in ius ciuile continentem,propterea quòd communia quædam complexa eſt, ſine quorum cognitione ius ciuile tractari non poteſt. Igitur cùm ſuprà dictum ſit,omne ius,aut ad perſonas, aut ad res, aut ad actiones pertinere, hactenúſque ſummas perſonarum diuiſiones ad cuiuſque ferè ſtatum pertinentes,exequutus fuerit:nunc ſub hoc titulo,generales quaſdam rerum inter ſe diuiſiones & qualitates tradere incipit:exinde de actionibus,quibus maxima iuris ciuilis pars continetur,(quæ tamen aut rebus, aut perſonis ſemper cohærent) déque ijs quæ ad actiones pertinent,ad totius ferè operis conſummationē diſputaturus. Nam & libri ſeptem de iudicijs,& qui poſt eos ſequuntur octo de rebus,ac deinceps plerique,ſine dubio adiectiones,vel exercendas, vel acquirendas, & ex contractibus ſuſcipiendas pertinent, quanuis de actionibus & obligationibus ſeparatum quoque tractatum fecerit. Sed ſub eo de pertinentibus ad actiones in vniuerſum loquitur: ſub ſingulis autem titulis ſpecialiter de ſingularum vi ac natura differit. Igitur in hac prima parte multa præmunit. In primis magiſtratus populi Romani apud quos actiones & iudicia exercentur, eorúnque cuiuſque poteſtatem ac dignitatem ſigillatim nos docet, quædam interim arrepta occaſione,declarat,breuitati imprimis conſulens. Quòd ſi quando ex vſu,putat:diſpoſitionis potius atque ordinis ratione tantiſper neglecta,extrinſeca quædam & quaſi aliorſum ſpectantia, per connexitatem tamen affinia inſerere, mauúltque ſæpius ad eiuſdem rei commemorationem reuerti. Hæc noſtra in vniuerſum opus Digeſtorum opinio eſt, qua nec multùm ab Accurſio diſſentimus.gloſ.l.ij.de ſtatu hom.& in Rub.de iudi. Rubrica hæc,vt eſt generalis,ſic generalis tractatus materiam indicat.Quare nequaquàm opus ſit explanatione. Sanè Franciſcus Duarenus vir doctus & diligens, cuius commentationes, his perſcriptis,vidimus,lib.dip.j.c.lvj.exiſtimat. Quod dicitur,Omne ius,vel ad perſonas pertinere,vel ad res,vel ad actiones,non ſic intelligi oportere,vt de his tribus ſeparati tractatus eſſe debeant, ſed ſignificat nullam partem iuris eſſe,in qua tractanda non ſimul hæc loca incurrant : vt in ſtipulationum tractatu, quæ perſonæ ſtipulari poſſint,quæ res per ſtipulationem promitti,quæ ex eo contractu actio oriatur. Ego tamen à communi intellectu diſcedendum non arbitror. Non enim coniunctim,ſed diſiunctim loquitur Iuriſconſultus. Vel ad res,vel ad perſonas,vel ad actiones ius pertinere. Nec rationem video, cur non ſeorſim & principaliter de vnoquoque tractari poſſit,& debeat:cùm præſertim expreſſè id facere inſtituiſſe ſe Imperator profiteatur.Inſtitu.de iure natu.§.fina.& totis conſtitutionum libris, quod facturum ſe propoſuerat,re ipſa exequutus fuerit.

L. II. Martianvs Lib. III. Institv.

QVaedam natvrali ivre commvnia svnt omnium &c.deinde ſubdit, *Et quidem naturali iure communia ſunt omnium illa, aër, aqua profluens, mare, & per hoc litora maris.* Accurſ.ius naturale hoc loco, pro iure gentium accipit, credo quòd animaduerterat paulò pòſt ſubiungi, *Quia non ſunt iuriſgentium ſic vt mare.*l.nemo.infra eod. Alibi quoque iure gentium mare commune eſſe referri viderat.Inſtit.eod.tit. §.& quidem.& §.litora. Ego iure naturali,quod omnibus animalibus commune eſt,communia hæc eſſe ſentio, nec à verbis diſcedi oportere:cùm enim hoc iure omnia omnium communia initio fuerint,nec in his poſteà iuregentium diſtincta ſint dominia, vt in cæteris: conſequens eſt,vt ea ſub primæua & antiqua conditione ſua remanſiſſe dicas. Nec mouet me,quòd iuriſgentium ea eſſe interdum ſignificatur. Nam ius gentium iuri naturali ſic ineſt,vt ſpecies ſuo generi. Quamobrem quod iuris naturalis eſt, vtique & iuris gentium eſt, ſed non econuerſo. Quanuis autem ius gentium in quibuſdam iuri naturali repugnare videatur,tamen in pleriſque cum eo conſentit,& illius veſtigia imitatur, qua de re plenius ſuprà diximus,in l.ex hoc iure.verbo,obligationes inſtitutæ.de iuſti.& iure.

Qvaedam *vniuerſitatis &c.* Exiſtimaui quandoque intercidiſſe hinc duo verba,vt initio ſcriptum fuerit. *Quædam naturali iure communia ſunt omnium, quædam publica,quædam vniuerſitatis &c.* Sed vt vt res ſe habeat,ſuppleri certè debet hæc diuiſio,vt & Accurſ.hîc rectè monet.Id vel ex eo percipi licet,quod paulò pòſt eorum quoque,quæ publica ſunt naturam docet:quod ineptè faceret, ſi non in diuiſione ſuperius appoſuiſſet. Apparet hoc etiam ex principio eiuſdem tractatus in Inſtitutionibus;quo in loco tota hæc diuiſio penè ad verbum refertur.Sed & in exequendis partibus diuiſionis, videntur compilatores aliquid vel deprauaſſe,vel addidiſſe, quod obſcuritatem inducat, nec omnino ſatis ipſi ſibi conſtare,quid,quatenus & quo iure publicum,vel commune cenſeri debeat,aut quonam modo hæc inter ſe diſtinguantur. Quin & inter veteres ſuper hac re magnopere hæſitatum eſſe. Ego ad declarationem in primis ſciendum arbitror; Publicorum appellationem propriè ad res Pop.Roma.pertinere,non ad res aliarum ciuitatum, niſi abuſiuè.l.bona ciuitatis.& l.ſequen. de verb.ſigni.arg.in l.fina.C.de curſu publ.lib. XII.Cuius rei illa eſt ratio,quòd hæc vox Romæ nota vbicunque Romanis legibus inſerebatur, non aliarum ciuitatum,ſed ipſius Pop.Rom.res ſignificabat. Denique ſic ius publicum initio huius operis appellari vidimus, quod ad rei Romanæ ſtatum ſpectaret,ſic alia permulta,publica dicta,quaſi populica:quòd Pop.Rom.vſibus & commodis ſeruirent. Cæterùm cùm Romana potentia ſic aucta eſſet, vt totus propè terrarum orbis Romanæ ditionis atque imperij,omnes homines è Pop.Roma no eſſe viderentur,vtpote omnibus imperio ſubiectis, etiam ciuitate Romana donatis,vt ſuprà vidimus.l.in orbe.de ſtatu hominum. Tunc ſanè publicorum appellatio latius patere cœpit,vt penè ea quoque,quæ aliàs omnium communia habita erant,comprehendere videretur. Hinc videmus, ea quæ commu-

nia ſunt, quibuſdam locis publica appellari.l.Ariſto.infra eodem. Tum tamen à prudentioribus ita diffinitum eſt. Iure naturali, in quo vtique ius gentium ineſt, vt proximè admonuimus, communia omnium remanſiſſe, aërem, aquam profluentem, mare, & per hoc litora maris, & cætera, quæ hic enumerantur in ſequenti capite. Sed de litoribus multi diſſenſiſſe videntur: & in primis Celſus, litora, inquit, in quo Populus Romanus imperium habet, Populi Romani eſſe arbitror.l.litora.infrà nequit in loco publi. Cicero quoque in Topicis ad Trebatium Iuriſconſultum ſcribens: Solebat igitur, inquit, C. Aquilius collega & familiaris meus, cùm de litoribus ageretur, quæ publica eſſe vultis, quærentibus ijs, ad quos pertinebat, quòd eſſet litus, ita definire, quà fluctus eluderet. Iabolenus quoque lege, litus.infrà de verborum ſignific.litus publicum eſſe dixit, quatenus maximè fluctus exæſtuat. Et Pomponius, quod in litore publico, vel in mari extraxerimus, noſtrum eſſe.lege, quanuis. infrà de acquirendo rerum domin. Et alij alijs in locis eadem appellatione recenſuere. Nos litora omnia quatenus quidem vſui maris ſeruiunt, communia cenſeri exiſtimamus, non aliter atque ipſum mare. Id ſignificant duo illa verba, per hoc, etiam in Inſtitutionibus appoſita, in principio huius tituli: Vt dicat, mare omnium commune eſſe, & propter mare, etiam eius litora. Quatenus verò alijs rebus vtilia eſſe poſſunt, tam vſu quàm dominio & proprietate, publica cenſeri: Et hanc fuiſſe eorum ſententiam, quos ſuprà commemorauimus. Sic enim & ripas fluminum, quòd ad vſum attinet, publicas dicimus: quod verò ad proprietatem, priuatas, hoc eſt, eorum qui propinqua prædia poſſident.lege, riparum.infrà eodem. Nec illarum tamen vſum per omnia publicum eſſe, ſed quantùm duntaxat vtendi fluminis ratio poſtulat. Quare arbores ibi natas cædere, non omnibus licet, ſed earum dominis tantùm, naues verò ad has religare licet. Vnde & ſi quid religatis nauibus, illarum vel retinendarum, vel deducendarum cauſa, cædi oporteat, non videtur hoc prohiberi, dummodò bona fide fiat. Docet hoc & propria ſignificatio illius verbi, vſus, quod ad nudam quandam commoditatem magis refertur, quàm ad fructum aliquem, ea re vtenti acquirendum. Inſtitu.de vſu & habit.in principio. Sed cùm eorũ, quæ publica ſunt, duæ ſpecies inueniantur: Altera eorum quæ ad fiſcum & ærarium pertinent, ac velut in patrimonio Populi Romani habentur, vt publica vectigalia, pecuniæ agri publici: Altera eorũ, quæ publicis, duntaxat vſibus & commodis ſeruiunt: nullo ex his in fiſcum, aut ærarium Populi Romani fructu, nulláve negociatione, aut commercio inſtituto, qualia ſunt Romæ Theatra, Fora, Baſilicæ, Campus Martius.lege prima.§.hoc interdictum.infrà, ne quid in loco publico.lege, ſed Celſus.de contrahenda emptione. Ad poſteriorem hanc ſpeciem pertinere litora Vlpianus ſcribit.lege, quod in litore, infrà de acq.rer.dom. Quod in litore quis ędificauerit, eius erit, nam litora non ita publica ſunt, vt ea quæ in patrimonio populi ſunt, ſed vt ea quæ primùm à natura prodita ſunt, & in nullius adhuc dominium peruenerunt: nec diſſimilis eorum conditio eſt, atque piſcium & ferarum, quę ſimul atque apprehenſa ſunt, ſine dubio, eius in cuius poteſtatem peruenerunt, dominij fiunt. Sed ſic accipi debet hæc Vlpiani ſententia, vt occupandi litoris no-

ſtri ius,in alium quàm nauigationis & percurrendi maris vſum,non niſi ei qui ciuis Roma.hoc eſt,qui ſub imperio Rom.ſit,competat.Non aliter,quàm ſi in Theatro aut in Baſilica locum quiſpiam ceperit, aut in Campo Martio conſtiterit,prohiberi ciuis Rom.non poſſit:quia occupatione ipſa,momentarium quoddam &(vt ſic dicam)vſuarium eius loci dominium nactus ſit,quoad ibi maneat videlicet duraturum. Externus autem iure prohiberi poſſit, vtpote qui nihil omnino iuris habeat in ciuitate.Idóque nec locis publicis ſuo iure frui queat.Intelligenda etiam Vlpiani ſententia eſt, vt publici litoris dominium ciuis Rom.non perpetuum quærat,ſed quale ſuprà diximus, temporarium, & quod vſu magis, quàm proprietate contineatur. Quamobrem ſcribit Paulus, litora quæ fundo vendito coniuncta ſunt, in modum nõ computari:quia nullius(inquit)ſunt,ſed iuregentium omnibus vacant.l. litora. de contrah. empt. quod ego admittendum puto,etſi venditorem aliquando id litus exaraſſe, aut coluiſſe appareat, modò non litus eſſe deſierit. Nam hoc caſu occupatione, tanquàm alluuionis iure,plenum quoque eius litoris dominium nactus foret. Nec repugnat Vlpiani exemplum,quod de feris beſtiis & aliis attulit: quæ ſimulatque apprehenſa ſunt,capientium dominij ſtatim fieri dicit, & pleno iure quæri ſignificat,nec ciues Rom.ab exteris diſtinguit. Hæc enim, etſi pleno iure quæruntur,vbi tamen amiſeris, continuò tua eſſe deſinunt, nec nos aliud in litorum iure conſtituimus.Et cùm illa omnium communia ſint, litus verò publicum,appoſitè dicitur,tantundem iuris habere ciuem in eo quod publicum eſt, adipiſcendo, quantum quilibet exterus in eo acquirendo, quod omnium eſt commune.Sed nec mouet me,quòd Iuſtinianus litorum vſum publicum iuregentium haberi ſcribit:proprietatem verò intelligi poſſe nullius in bonis eſſe,ſed eiuſdem iuris eſſe,cuius eſt,mare,& quæ ſubiacent mari: vt terra,vel arena.Inſtit.de rer.diui.§. litorum. Quippe cùm eorum vſus, quatenus mari ſeruit, tam iure naturali, quàm iuregentium communis ſit, vt oſtendimus:bona ratio eſt,quare & publicus appellari poſſit,quemadmodùm in maiore ſumma, minorem ineſſe dicimus. Proprietatem verò nullius eſſe, priuati ſcilicet,rectè Accurſius interpretari videtur,vtpote quæ publica ſit. d.l. litora. Sed quia non ita publica eſt, vt ea quæ ſunt in patrimonio populi, ſed vt ea quæ in nullius adhuc dominium peruenerunt. Ideò relatione quadam, eiuſdem iuris eſſe videri dicit,cuius eſt mare.Tantundem enim iuris in iis quæ publica ſunt, occupandis permiſſum eſt. ciuibus Roma. quantùm quibuslibet tam ciuibus,quàm externis, in eo quod eſt commune. Sed nec officit huic concluſioni,quod ſcribit Scęuola.l.in littore. ne quid in loco publico. In litore iuregentium ædificare licere,niſi vſus publicus impediatur. Sic enim id quoque accipiendum eſt, ſi in eo ſolo populus Roma. imperium habeat, & ciuis Rom.ſit quĩ ædificare vult. Quod porrò ait,iuregentium id concedi, non eò pertinet,vt litus huiuſmodi externis quoque gentibus commune eſſe ſignificet, quippe paulò antè diffinitum erat,publicum popu.Romani id litus eſſe. Sed vt iuregentium inductum eſſe oſtendat,vt cuiuſque ciuitatis & gentis litus popularibus ſuis ad ædificandum pateat. Sic & quod Vlpianus ſcribit: In litore (vt in mari) iuregentium omnibus ædificare licere, nec prohibendi ius

eſſe,niſi ex vna cauſa,ſi damni infecti ſibi quiſpiam caueri velit.l.j. §.nunciatio. de oper.no.nunciat.eadem relatione atque diſtinctione videtur accipiendum: vt omnibus intelligamus ciuibus Romani orbis, non etiam externis. Nam cùm ſemel admiſſum eſt,litus publicum eſſe,vt ita rem totam conſtitui oporteat,neceſſaria quædam conſequentia efficitur.Ideò autem ſubtilis hæc differentia inter publica & communia in his libris exptеſſa non eſt: quia vt initio diximus,pop.Romani imperio & ciuitate propè in vniuerſum orbem aucta, eodem ferè numero haberi cœpta ſunt communia & publica. Quin auſim dicere,nec compilatores quidem huiuſmodi differentiam ſatis intellexiſſe,ideò tam obſcurè tractaſſe,vt quidem vix à quoquam,cuius ſcripta viderim hactenus intelligatur.Igitur ſecundum hæc quæ diximus,iure prohiberi non poterunt externæ gentes appellare ad litus noſtrum,quemadmodùm nec nauigare in mari.Qua tatione & in ſiccum deſcendere,& naues ſubducere & nautica inſtrumenta reficere poterunt:vt & Virgilius ſignificat illis verſibus.

*Quod genus hoc hominum,quéue hunc tam Barbara morem*
*Permittit patria?hoſpitio prohibemur arena.*
*Bella cient,primáque vetant conſiſtere terra.*

Sanè hoc ita videtur intelligendum eſſe,dummodò ne longius quàm litus ſe extendit,ptogrediantur, & à maleficio abſtineant , nec explotatores venerint tentandi,aut ſpeculandi cauſa.Hi enim non ſolùm litore,ſed mari quoque ipſo ac tota prorſús nauigatione prohiberi potetunt iuregentium atque Imperij, cùm non tam litorum & maris vſum , quàm abuſum petere videantur. His conſequens eſt,vt ſi qua gens populariter ad nos delata in litore noſtro concederit,non poſſit in eo ſibi vrbem & tecta condere ſine permiſſu principis, quippe iam non ad vſum maris id pertinet.Veruntamen in mari ipſo iactis molibus ædificare poterunt,ſi citra fraudem id faciunt:vt & mox dicam. Quamuis autem(ſecundum ea quæ hactenus diximus)litus ita publicum ſit,vt in patrimonio populi eſſe non intelligatut:tamen ſi aliqua vtilitas ſuadeat, diſtrahi id poſſe & ptetium eius in ærarium redigi,vel pro ædificiis in eo conſtruendis, ſolarium(quod vocant) imponi poſſe non dubitauerim. arg.l.iij. §. ſi quis nemine.infrà,ne quid in loco publi.Non ſecus ac Campillartij aut fori pars aliqua,ſi populus,aut princeps id ſtatuant,ſine dubio vendi poſſit: quamuis hoc fieri non ſoleat,nec debeat,niſi ex magna cauſa.Illud ſanè interetit, quòd vendito alio loco publico,plenum ius ad emptorem ſtatim tranſibit:vendito litore,manebit communis vſus cauſa,cui princeps,aut populus non poteſt præiudicare.l.venditor.in princ.vbi dixi,contra glo.ſi ſeru.vend. Denique ſic Dido litus ipſum ab Hiarba emiſſe dicitur:in quo Carthaginem ędificaret,quod Virgilius his in verſibus ſignificauit.

*Fœmina quæ noſtris errans in finibus vrbem,*
*Exiguam pretio poſuit,cui litus arandum.*
*Cuique loci leges dedimus &c.*

Illud etiam hoc loco quæri poteſt, mare, aër & aqua profluens, quantùm ad vſum duntaxat,an & quantùm ad proprietatem ac dominium attinet, communia omnium eſſe intelligamus. Sed nulla videtut eſſe vtilitas quæſtionis,

vtrum

vtrumque enim dicas, nihilo plus tamen ex his tebus, quàm vſum capias. Sed magis arbitror dominij plenam cauſam in his non eſſe,non ſecus ac piſces &v olucres,haud rectè ad omnes iure dominij in commune pertinere dixeris: quoniam quæ in ſingula apprehenſio requiri ſolet,vt dominium priuatim conſequamur,eandem in commune quoque reſpectu omnium multò magis neceſſariam eſſe iudicari debet.Prætereà dubitari poteſt,an à piſcantibus in mari princeps,aut populus Rom.licito iure piſcium decimas, aut quid aliud exigere poſſit.Et an præternauigantes,ad alicuius vectigalis ſolutionem vrgere,præſertim ſi ad litus non appulerint?Et prædictis conſequens eſt,vt nō poſſit:quippe mare omnium gentium commune eſt,nec eius cauſa decreto principis immutari poteſt.d.l.venditor.in princip.ſi ſeru. vend. Si tamen aliqua iuſta cauſa intercedat,quamobrem hoc fieri neceſſe ſit,contrà puto.Quid enim ſi inſtructa claſſe oram illam tueri,vel laternam(phanade vocant)pernoctes accenſam habere ſolitus ſit?hoc etiam ipſorum qui piſcantur, aut præternauigant, intereſt. Rectè igitur aliquid cum moderatione exigi, vel ſeruitutem aliquam imponi hoc nomine licebit.glo.in d.l.venditor.Et ſanè initio ſemper vbi vectigalia & portoria huiuſmodi inſtituuntur,tale aliquid,verè an falsò in ſpeciem prætendi ſolet. Sine cauſa verò,nec ſub malis quidem principibus imponuntur.Adhęc non ineptè dubitari poteſt,an exules Romanis terris(quos hodie bannitos vocant)noſtrorum litorum oras præternauigare & appellere poſſint, pro vſu ſcilicet eorum,quæ ad nauigationem pertinent.Certè ſi conſtare poſſit, bona fide eos id facere:vtputa ſi tanquàm exteri quilibet & peregrini,commutandarum mercium cauſa,mare ingreſſi fuerint:impunè dimittendos eſſe exiſtimauerint, nec prætextu legum municipalium permittentium offendi poſſe: ſed vix eſt,vt hoc accipi debeat:nam præſumptio contra hos ſemper vrget, cùm ea lege in exilium dati ſint,vt in loca Imperio noſtro ſubiecta , deinceps nullo modo,niſi capitis ſui periculo reuertatur. Cæterùm ludubrio erunt leges, ſi quod in terra facere non licet, in mari permittendum eſſe dixerimus. Non enim dubitandum eſt:quia imperij ius & in mare extendatur,in eóque à principe exerceri poſſit:cùm iure gentium atque inueterata conſuetudine obſeruatum ſit:vt etiam in mari diſtincta ſint imperij iura,ac velut regna, tractus ſcilicet & ſinus quoſdam,in quibus ciuitas,aut populus quilibet Imperium habere intelligantur,vt Veneti hodie in ſinu Adriatico:Genuenſes in Liguſtico mari,quod Baldus rectè adnotauit, in Rubrica huius tituli. Idem tamen non rectè,Venetorum vrbem Rom.Imperio propterea non ſubeſſe exiſtimat, quòd in ipſo mari iactis molibus exædificata ſit: & idcirco verum ſit, eos eſſe dominos,qui ædificauerint,cùm mare omnium commune ſit. Reſpondeo enim nihil commune habere dominij cauſam, cum cauſa Imperij. Quare vt Veneti ſuorum ædificiorum domini ſint:non tamen ſtatim & Imperij ius habere eos conſequens eſt,non magis quàm priuatum quemlibet in domibus,aut in agris ſuis.Quod Alciatus quoque contra Iaſ. probauit. Iaſ.in l.ex hoc iure, Alciatus lib.11.diſpunct.cap.v.ſed alia ratione Venetorum cauſa defendi poteſt, quam tamen hoc loco referri non eſt neceſſe.Inde illud etiam quæri poteſt, cùm reſcripta principum oſtendant, omnes qui eius ordinis ſunt, vt iure militari te-

ſtari non poſſint, ſi in hoſtili loco deprehendantur, quomodò poſſint, & quomodò velint, teſtari poſſe. l. fina. ff. de milit. teſtam. l. prima. de bon. poſſ. ex teſt. mil. an ſi quis in hoſtilis maris plaga deprehenſus, minus ſolenniter teſtatus fuerit, valeat eius teſtamentum? Et puto ſuſtineri. Nam mare quamuis omnium commune ſit, quantùm tamen ad imperium, & vim bellicam attinet, tanquàm hoſtium noſtrorum proprium intelligitur. Quare multò magis idem dicendum erit, ſi in portu, aut litoribus hoſtium quis teſtatus fuerit, quamuis Baldus aliter exiſtimaſſe videatur in hac l. Poſtremò an ſinus aliquis maris priuati iuris cuiuſpiam ita effici poſsit, vt commutatitium ac peculiare eius dominium habere idem intelligatur, quæſitum eſt. Sic enim Veneti ſinum Adriaticum, Genuenſes Ligoticum, Gallorum Rex Narbonenſem, alij denique alios pleno iure ad ſe pertinere contendunt. Sed ego circunſcripto Imperij iure, de quo ſuprà dixi, proprium duntaxat maris vſum priuatim acquiri poſſe arbitror, dominium non poſſe. Et vſum quidem non principis, vel populi conceſſione, quippe qui ea, quæ iure naturali communia ſunt omnium, in priuatum vſum, aut dominium cuiuſquam redigere non poſſunt, ſed nec longæ poſſeſſionis præſcriptione, cùm hæc ad loca publica iuris gentium obtinenda non proficiat. l. fina. de vſucapionibus. verùm occupatione ipſa & iactis molibus atque ædificiis, quandiu hæc non aut tolluntur, aut derelinquuntur. Priuatus interim illius maris vſus erit eius, qui id incluſerit. Sed proprietatem & dominium ædificiorum ac cementorum, quæ in eo iecerit, idem ſine dubio habebit. l. ergo. in fine. de acquirendo rerum dominio. d. l. fina. de vſucapio. l. ſi quiſquam. de diuerſ. præſcript. Et ita accipiendum eſt quod ſcribit Paulus. l. ſanè. infrà de iniur. Si priuatum ius maris ad aliquem pertineat, Vti poſsidetis interdictum ei competere, ſi ius ſuum exercere prohibeatur. Priuatum ius, pro priuato vſu dixit, ac fortaſsè ita planè ſcripſit Paulus: *Priuatus vſus*: & facilis immutatio fuit, cùm Z. pro M. ſcribendo frequenter vterentur. Nam dubium non eſt, etiam pro ſolo vſu, interdictum Vti poſsidetis competere. l. fina. infrà, Vti poſsidetis. Neq; enim placet communis doctorum opinio exiſtimantium, vel priuilegio, vel vſucapione huic de quo Paulus loquitur, dominium maris acquiri potuiſſe, atque eadem ratione, vel erratione potius Venetis quoque & Genuenſibus acquiſitum eſſe. gloſ. in dicta l. ſanè. Caſtr. in l. Inſulæ. de iudiciis. Angel. conſilio ccxc. Circunſcripta pactorum ſerie. Sed nec proprium quidem vſum ad Venetos & Genuenſes pertinere exiſtimo, cùm nec iactis molibus, ea maria incluſerint, nec omnino id iure facere potuerint, quòd propterea navigationem impedirent. Verùm imperij duntaxat ius habere eos, quo citra cuiuſquam iniuriam vti debeant, vt ſuprà dixi. Si enim propter id quod tu occupaſti, deterior efficiatur nauigatio, inter omnes conſtat, cogi poſſe te vt moles diruas, vel ſi quis eam rem initio proſpexerit, etiam impedire te, ne ædifices. d. l. litora. l. j. §. ſi in mari. de flum. Quamobrem cautius eſt decretum principis antequàm extruas deſiderare, ne poſt ſumptus demum factos in controuerſiam & periculum reuoceris. d. l. quamuis. de acq. rer. dom. Quid verò ſi in eodem mari ante te quiſpiam quid extruxerit, tuáque ædificatio nunc illi impedimento futura ſit; an is prohibere te quominus facias, iure poſsit? Certè ſi in

publico extruere quid velis, expedita res eſt, proditis etiam in eam rem ſpecialibus interdictis, *Ne quid in flumi. publ.&*, *De loco publ. fruen.* Sed verius eſt, & in mari prohibendi ius eſſe, ſiquidem rectè Vlpiani ſententia accipiatur, ſuppleatúrque ex aliis cum ipſiuſmet, tum aliorum reſponſis. Vlp. l. j. §. nunciatio. de ope. no. nunc. & d. l. j. de flum. Pomponius in d. l. quamuis. de acq. rer. dom.

## L. III. Florentinus Lib. VI. Instit.

ITem lapilli et gemmae caeteraqve qvae in *litore inueniuntur, iure naturali noſtra ſtatim fiunt.* Annotatum ab Accurſio hoc loco, ea propriè communia appellari, quæ occupatione ſtatim nobis acquiruntur, ita vt in dominio noſtro illico eſſe incipiant, velut aquam profluentem ſimul atque ad te deriuaueris, lapillum ſimul atque inueneris & apprehenderis, feram beſtiam vbi cœperis, & alia huiuſmodi. Publica verò dici ea, quę occupatione non acquirantur, nec omnino acquiri poſſunt, qualis eſt alueus fluminis. Sed hæc definitio non eſt vera. Siquidem publica eo modo accipiamus, quo à nobis proximè declaratum eſt. Cæterùm nec veram puto eſſe differentiam, quam Accurſius inter hæc conſtituit: cùm ſiue de mobilibus loquamur, publicorum quoque quędam ſint, quę occupanti ſtatim acquiruntur: vt miſsilia in vulgus iacta: ſiue de immobilibus ac rebus ſoli: & perinde qui in litore publico ædificat, ſoli dominus conſtituatur. l. in tantùm. infra eodem. vt qui in mari dominio ſcilicet vſuario, & quandiu duntaxat ædificatum habuerit, duraturo. Illud notandum eſt, lapillos & gemmas de quibus loquitur, ſi inuentæ atque apprehenſæ nobis mox exciderint, non in Priſtinam cauſam reuerti, ſed manere eius qui inuenit, at feræ beſtiæ vbi captæ euaſerint, illico in Priſtinam cauſam reuertuntur. Huius differentiæ illa ratio aſsignari poteſt, quòd recipiendæ libertatis ſpiritum hæc habent, eóque vtuntur. At ſuperiora nequaquàm talem ſpiritum habent. Ideò in dominio eius qui ea apprehenderit, continuò permanent. Hac ratione fera quoque beſtia ſi capta atque occiſa tibi eueſtigio exciderit, tua eſſe non deſinit: nam recipiendæ libertatis affectum hæc iam non habet.

## L. IIII. Marcia. Lib. III. Instit.

NEmo, &c. Idqve divvs Pivs piscatoribvs *Formianis & Capenatis, reſcripſit. Capenatibus*, Legendum arbitror, erroris cauſam, quòd initio compendij gratia ita ſcriptum fuerit. *Capenat.* quę ſcribendi adſuetudo Iuſtiniano non parum negotij exibuit: vt vidimus ſuprà in proœmio Digeſtorum. Capena oppidum iuxta Albam fuit, cuius meminit Solinus, & Capena porta Romæ, quæ eò duceret, de qua Martialis. Capena grandi porta qua pluit gutta. Quamuis à Camænarum æde, cui propinqua fuerit, dictum eſſe, frequentius annotatum ſit. Virgilius, lucóſque Capenos. forté vt Capenis, vel Capenatiis legendum ſit. Capenatis certè ratio latini ſermonis non patitur.

L. V. Gaivs Lib. II. Rervm qvotidianarvm.

Riparvm vsvs pvblicvs est ivregentium *ſicut ipſius fluminis.* Quoniam publici appellatio propriè ad ciuitatem Romanam refertur.l.bona ciuitatis. de verborum ſignificatio. vt ſuprà diximus. Meritò intelligendum eſt,de his fluminibus Martianum & Caium his locis loquutos eſſe, quæ in terris Romani Imperij ſunt. Alia ſuæ cuiuſque gentis ſimili quodammodò abuſiuè publica eſſe dici voluiſſe. Secundum hoc fieri poterit, vt aliquod flumen quibuſdam locis publicum populi Romani ſit: quibuſdam non ſit: ſed aliorum, velut Iſter & Ganges, quò Romana arma non penetrarunt.Non enim placet communia hæc cenſeri.Si enim ſuapte natura communia eſſent flumina,nequaquàm potuiſſent Romanis legibus publica effici (vt prædiximus)Illud notandum,cùm ſuprà retulerim, publicorum quædam eſſe tanquàm in pecunia populi,quædam quæ publicis duntaxat vſibus in promiſcuo ſeruiant:velut Campus Martius.d.l.ſed Celſus.de contr. empt. videri flumina,& portus quaſi miſtam quandam ſpeciem inter vtrunque horum tenere: quòd nullum quidem horum commercium ſit, ſed in promiſcuo cunctis ſeruiant,nonnullum tamen ex illis fructum Rom. principes, aut fiſcus interdum capiat,veluti portoria,& eius generis vectigalia quædam. An ergo inſtituere princeps poſſit,vt nemini in flumine publico piſcari liceat, exempli cauſa, niſi ſolutis centum?Et non puto debere eum hoc facere,non magis hercule quàm ne feras beſtias,aut volucres capere liceat.Sed nec pedagium(quod vocant)ad vadum fluminis inſtituere: quanquam hæc ſæpenumerò etiam ab inferioribus regulis attentari videamus. Sanè ſi ex cauſa tale aliquid inſtituere velit, non dubium eſt poſſe eum id facere,quemadmodùm ſi totus populus Roma. vnanimi conſenſu id conſtitueret: nam vniuerſum ius populi in principem translatum eſt.Quod ait,flumina eſſe publica,nō de aqua ipſa profluente intelligendum eſt,quippe ea omnium eſt communis,quantùm ad vſum ſcilicet, vt ſuprà dixi.l. quædam. in principio. quamuis deriuari prohibeatur,ſcilicet, ſi proptereà deterior nauigatio fiat:ſed de miſtura ipſa & compoſito (vt ita dicam)ipſius fluminis corpore accipiendum eſt, prout fluuius ex alueo, ripis, aqua,& quæcunque eo continentur,conſtat. Nec mirum ex profluente aqua quæ omnium communis eſt,publicum flumen conſtitui. Nam & in flumine ipſo publico nata quandoque non publica ſunt,ſed nullius,ideóque occupantium ſtatim fiunt:vt inſula in regione,in qua ager limitatus ſit.l.j.§.ſi Inſula.infrà,ne quid in flumi. publi. Piſces quoque in flumine nati, non publici ſunt, ſed capientibus conceduntur. Ideóque velut communium naturam obtinent. Quod ait, ***Penè omnia***, eò pertinet, vt ſciamus quædam flumina priuata eſſe: nam perennia demum publica ſunt, reliqua priuata: ſecundum Caſſij definitionem, l. prima. §. primo. infrà, ne quid in flumine publico. Poſtremò quod dicit, ***Riparum vſum publicum eſſe iuregentium***, non eò pertinet, vt omnibus omnino etiam exteris gentibus in ſolo noſtro concedi earum vſum ſignificet: quippe prohibendi ius eſſe

aduerſus exteros,vt ſuperius demonſtrauimus. Significat ergo ita apud quoſque populos initio inſtitutum eſſe,vt ſuæ cuiuſque gentis & nationis hominibus flumina regionum ſuarum in promiſcuo ſeruiant, vt & ſuprà dixi: nam alioqui non publica eſſe flumina,ſed communia dici oporteret. Ita etiam aliis locis interpretari debes, vbicunq; aliquid publicum eſſe iuregentium refertur.

## L. VI. Marcia. Lib. III. Instit.

INTANTVM. §. VNIVERSITATIS SVNT, NON *ſingulocum,veluti quæ in ciuitatibus ſunt,vt theatra,ſtadia,& his ſimilia.* Ciuitates accipe alias præter vrbem Romam: nam hæc Romę publica ſunt,vt modò dixi,l.quędam.ne quid in flu.publ. Videto tamen quod ſcripſi,ſub titulo, de verborum ſignificat. cap.LXVII.l.inter publica. quod huic ſententiæ aduerſari videbatur, niſi vera interpretatione ad rectam rationem reuocaretur.

RELIGIOSVM *Autem locum vnuſquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum. In commune autem ſepulchrum,etiam inuitis cæteris licet inferre,& licet poſteà ratum non haberit,quàm illatus eſt mortuus: tamen religioſus fit locus.* Corrige hæc poſteriora verba, vt Auguſt. ex Pandectis Florentinis docet lib.1.Emendat.cap.ſecundo.vt legas, *Concedente domino,licet inferre,& licet poſteà ratum non habuerit,quàm illatus eſt mortuus, religioſus locus fit.* Barbarum enim nimis & durum eſſet, ſi ignorante, aut inuito me, locus meus quodammodò eripi mihi poſſet, quamuis aliàs decretum ſit, cogi poſſe me,vt iter ei præſtem,qui aditum ad ſepulchrum ſuum aliunde non habeat.l. ſi quis.infrà de religioſ.Id enim maiore quadam ratione conſtitutum eſt, nec domino fundi æquè præiudicat.

CENOTAPHIVM *Quoque magis placet locum eſſe religioſum, ſicut teſtis in ea re eſt Virgilius.* Vide Budæum in hunc locum, vt planè intelligas, quid ſit Cenotaphium,& quis vſus atque origo fuerit Cenotaphiotum.

## L. IX. Vlpia. Lib. LXVIII. Ad Edictvm.

SACRA &c. SCIENDVM EST LOCVM PVBLICVM, TVNC *ſacrum fieri poſſe, cùm princeps eum dedicauerit, vel dedicandi dederit poteſtatem.* Quod ſacrum fit,ſiue de priuato,ſiue de publico,vtique alienari intelligitur,cùm nullius in bonis eſſe incipiat:res autem publica iniuſſu populi alienari non poteſt, & in populi locū ſucceſſit princeps.Præterea & ſi priuati alicuius ſit ea res quam dedicare volumus,adhuc neceſſaria eſt principis autoritas.Quia ipſe his temporibus quibus Iuriſconſultus hęc ſcripſit,pontificatū maximum gerebat: ſacrandis verò rebus pontifices pręerāt.Inſt.eo.ti.§.ſacræ.Nam Romę ex inſcriptionibus veterū monumentorū apparet,nullū ferè principē fuiſſe,quin idem & pontifex maximus fuerit,& tribunitiā poteſtatē geſſerit,ſed pontificis titulus ſimpliciter adſcribitur.Imperatoris nomen & tribunitię poteſtatis cōmemoratio,nu-

merali nota plerumque ſubſignatur,puta, Imperator V. Tribunitiæ poteſtatis X.quod ſignificat(vt ego interpretor) quintum, aut decimum.Eſt autem eius differentię ratio,quòd Pontificatum quidem ſemel in perpetuum recipiebant, tribunitiam verò poteſtatem in annos ſingulos.At Imperatoris titulo, ideò ita ſubſignabant,vt intelligeretur toties iuſtis prælíis victorem principem à militibus Imperatorem conſalutatum eſſe:quod in feruore ipſo & gratulatione victoriæ fieri ſolebat.Cicero epiſtolarum, lib.II. Ita victoria iuſta, Imperator appellatus ſum apud Iſſum:quo in loco ſæpe vt ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit,Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum.Durauerat enim vetus mos etiam in Cæſarum tempora.Hodie cùm pontificatum Imperator non gerat,credendum eſt,ſola eius autoritate,ſacrum fieri non poſſe.Quare hęc verba tanquàm ab Vlpiano non tanquàm à Compilatoribus accipi debent, quod non paucis aliis locis accidit,quicquid Iuſtinianus contra pręceperit.Nam aliter ratio quarundam rerum in his libris nequaquam conſtat.

L. X. POMPONIVS LIB. VI. EX PLAVTIO.

ARISTO. &c. Qualis quantúſque hic vir fuerit T.Ariſto,præſertim diuinarum atque humanarum rerum cognitione, qui noſſe cupiat, is Plinium Cecilium legat, lib.I. epiſtola ad Catinium,tum libro VIII. epiſtola ad ipſummet Ariſtonem. Nam Plinij temporibus floruit ſub Traiano Imperatore. Et præcellentis ingenij atque induſtriæ & ſapientiæ virum fuiſſe apparet.

## DE SENATORIBVS. TIT. IX.

DE ſenatoribus & ſenatu,multa copioſè Budæus explicat,in l.fin. ſub hoc tit.quæ iuuenes perdiſcere ac noſſe velim,antequàm de ſenatorum priuilegiis cæteríſque ad eos & eorum filios pertinentibus tractare incipiant. Nam vt ferè in reliquis partibus iuris,ita ſub hoc tit.nihil ad hiſtoricam cognitionem pertinens poſitum eſt.Videtur enim Imperator credidiſſe eos qui ad ius ciuile tractandum accederent,totius rei Romanæ peritos fore. Ideò pauca quædam in ipſo Digeſtorum limine,ſeorſim atque in vniuerſum admonuiſſe contentus fuit.l.ij.de orig.iur.Non ignarus(vt opinor)multa ſuis locis deſiderari poſſe,quę aliunde tamen acciperentur.Illud admonendi ſumus,quod & ſuprà attigimus, in principio operis,quo tempore Iuſtinianus hos libros compoſuit, fuiſſe quaſi duplicem ſenatum, alterum Romæ, alterum Conſtantinopoli. Nam vtrique pro ſenatoribus & ſenatu gerebant, tam qui Græcis Imperatoribus aderant, quàm qui in Italia atque vrbe Roma ſuperſtiterant ipſi, vel eorum maiores, aut certè interim quoquo modo in ſenatum & conſilium vrbis Romæ peruenerant.Sed hî per hæc tempora ſub regibus Gottorum agebant,nec quicquam commune habere ſe cum Conſtantinopolitano ſenatu & Græcis hominibus arbitrabantur,donec ab Imperatore noſtro liberata Italia,ac pulſis Gręcis,ſub vnius ditionem iterum omnia conceſſerunt.Iuſtior autem ſenatus vter intereà credendus fuerit,& quæ aduſque tempora,verus ac legitimus ſenatus Romæ, vel in Græcia fuiſſe videatur,abundè iam expoſuimus,in l. non ambigitur. de legib.& in l.j.de conſt.princ.Ideò repetere non neceſſe exiſtimo, ſed de gradibus at

bus at

dibus atque honorificis appellationibus Senatorum ac Populi Romani magiſtratuum, de quibus deinceps vſque ad finem huius primi libri tractatur, quæ nobis olim, poſt doctiſſimorum virorum ambiguitates, in mentem venerunt, hoc loco adſcribenda duximus. Igitur Patricium genus clarum antiquitus dictum eſſe, Lucanus his verſibus oſtendit, Pharſa libro ſeptimo.

*Hic patria perit omne decus, iacet aggero magno*
*Patritium campis commiſta plebe cadauer,*
*Mors tamen eminuit clarorum in cæde virorum*
*Pugnacis domiti.*

Vlpianus quoque claram perſonam dixit Senatoris, vel vxoris eius. l. curator. infrà de curatori. fur. & claram dignitatem Senatoriam appellauit. l. non eſt veriſimile. quod metus cauſa. Clariſſimi autẽ appellatio, vbi citra adulationem loquendum eſſet, ijs adſcribatur, qui non ſolùm patritij & Senatores eſſent, ſed & ampliſſimos honores ac magiſtratus geſſiſſent. Docet hoc Aſco. Pedianus, qui cùm in argumento quod prætulit diuinationi Ciceronis in C. Verrem, meminiſſet, iudicio illo Glabrionem prætorem & ampliſſimos quoſque Senatorij ordinis iudicaſſe, mox in expoſitione, iudicium, inquit, ſiue dubio magnum eſt, & ex perſona Verris, qui poſt præturam de fortunis omnibus dimicat, & amplitudine iudicium. Sunt enim clariſſimi &c. Cicero quoque in orat. pro domo ſua, clariſſimos viros, principes ciuitatis vocat. Claritas generis & clariſſima gens etiam de horum poſteris dicebatur. Plinius in Paneger. ad Traianum. An conſularis viri triumphaliſque filius, cùm tertiò Conſul creatur, aſcendit non debitum hoc illi, non vel ſola generis claritate, prouentum. Et paulò poſt, An aliud à te quàm Senatus reuerentia obtinuit, vt iuuenibus clariſſimæ gentis debitum generi honorem: ſed antequàm deberetur, offeres? Accipitur & diui Antonini conſtit. in hunc ſenſum. lege prima. C. de dign. libro XII. *Si vt proponitis*, & auum conſularem & patrem virum prætorium habuiſtis, & non priuatæ conditionis hominibus, ſed clariſſimis nupſiſtis, claritatem generis retinetis. Paulatim tamen factum, vt clariſſimi generaliter dicerentur Senatores omnes, tam qui honores gererent geſſiſſéntve, quàm qui non geſſiſſent: prætereà & qui Senatoria ornamenta impetraſſent, & ab his omnibus prognati filij, aut nepotes eodem titulo indifferenter decorarentur. Clariſſimos, qui nihil vltra quam Senatores ſunt, appellat Conſtantini conſtitutio. C. de ijs qui ven. æt. impetr. l. ij. Eodem ferè ſenſu dictum apud Lampridium, in vita Alexandri. Præfectis ſuis Senatoriam dignitatem addidiſſe eum, vt viri clariſſimi & eſſent & dicerentur. De his accipi debet, quod ſcribit Modeſtin. Cuſtodias auditurum Præſidem clariſſimos viros adhibere debere, qui in ciuitate illa ſunt. lege, cuſtodias. de public. iudic. quanuis vulgo non intelligatur. nam cuſtodicæ quaſi in conuentibus publicis audiebantur. l. vnius. §. fina. de quæſtion. Quare & antiquiſſimis canonibus. xv. quæſt. vij. cap. penul. traditum eſt, epiſcopum nullius cauſam audire debere, abſque præſentia ſuorum clericorum, & id quandoque etiam recentioribus temporibus obſeruatum. cap. ex literis. de diuor. Qui honores adhuc gererent, frequentiſſimè hi quoque clariſſimi dicuntur: vt prætor vrbanus. l. prima. ff. de rebus eorum. Prætor tutela-

inuenias, viros à maximis dignitatibus vſque ad omnes Illuſtres aliquid face-te poſſe, vel non poſſe, quod rectè Accurſius deſcenſiuè & incluſiuè accipien-dum eſſe tradit. Authentica, Maximis. C. de nuptijs. & in corpore vnde ſumi-tur. & authentica, quibus modis naturalies efficiantur ſui. §. illud quoque. lege fina. hoc titu. de Senatoribus. authenti. vt ab illuſ. per totum textum. Quò fit vt vera eſſe antiquorum ſententia videatur, quoſdam eſſe ſupra Illuſtres, qui tamen non ſuperilluſtres appellentur, vt ipſi exiſtimarunt, ſed ijs nominibus, quæ nos recenſuimus, ornentur. cùm nuſquam ea vox inueniatur. Nam quod Valentini, & Theodoſij conſtitutione legebatur, ſuper illuſtris, eſt cogni-tio præfecturæ. lege penultima. C. de officio præfecti prætorio. Rectè ab Ha-loandro correctum eſſe videtur, ſemper illuſtris &c. Eminentiſſimorum tamen appellatione, etiam ipſos Illuſtres interdum contineri animaduerti. dicta lege diuo. C. de quæſtionibus. Quòd ſi ij qui Illuſtres adminiſtrationes geſſiſſent, Senatores vel ab initio non fuiſſent, vel per eas facti non eſſent, perfectiſſimi dicebantur, dicta lege, diuo. vt Alciatus libro tertio diſpunctionum. capitulo quarto, in fine rectè ſentire videtur. Sed certè vel Senatores plerunque ad ta-les dignitates promouebantur, vel promoti Senatores quoque efficieban-tur. Id tacitè ſignificauit Amianus Marcellinus, libro vigeſimoprimo, prope finem, de Conſtantio Imperatore loquens, cùm ait: Nihil circa adminiſtratio-num augmenta, præter pauca, innouare paſſus eſt, nunquàm erigens cornua militaria, nec ſub eo dux quiſquam, cum clariſſimatu prouectus eſt. Erant enim (vt nos quoq; meminimus) perfectiſſimi. Nec occurrebat Magiſtro Equi-tum prouinciæ Rector, &c. Nam hoc vult Amianus ſignificare, Conſtan-tinum non promouiſſe Duces ſuos addita etiam Senatoria dignitate, vt alij facere ſoliti erant. Quamobtem perfectiſſimos dictos fuiſſe. De his etiam in-telligi debet titulus, de perfectiſſimatus dignitate, libro duodecimo Codicis, quanquàm conſtitutio ſub illo poſita, non de veris perfectiſſimis loquatur, ſed de ijs qui eius dignitatis codicillos impetrauerit. Nam hæc quoque di-gnitas, vt aliæ ſuperiores, codicillis à principe nonnunquàm impetrabantur. Ideò cautum à Conſtantino, ne cui minus honeſtis naturalibus orto, aut mi-nur liberaliter educato concederetur. dicta lege prima. Verùm quia Impera-tores non clariſſimi generis homines ad tantos gradus raro aſſumebant, aut certè aſſumptos plerunque etiam Senatores faciebant, Ideò rara in iure, (vt prædiximus) huius dignitatis mentio, apud Caſſiodorum nulla. Nam Ghot-torum Reges, quorum nomine epiſtolas ille & dignitatum codicillos conci-piebat, Romanis legibus ac moribus omnia agere inſtituerant, & Senatui quæcunque agerent probare. Probabilis autem mos non erat, vt à plebe homines, præteritis Senatoribus & Patritijs, ad tales dignitates extolleren-tur. Moris autem hoc fuiſſe, & quaſi per legitimam quandam conſequen-tiam vſurpatum, vt qui Illuſtres adminiſtrationes & dignitates acciperent, ſi Senatores non erant, ad Senatoriam quoque dignitatem ſimul aſſumi in-telligerentur, alia quoque permulta oſtendunt. Imprimis Iuſtiniani nouella conſtitutio ſexageſimanona, quæ inſcribitur, de decurionibus, vt accepta

dignitate præfectoria &c. Ea autem, inquit,ab Imperatore codicillorum datio, Præfectoriæ dignitatis videlicet, ad hoc tantum valeat,vt honoratus ipſe magni Senatus portio eſſe videatur: multò ergo magis hoc efficiet præfectura ipſa in actu poſita,aut olim adminiſtrata. Sed & conſtitutio vltima Codicis,libro tertio,ſub titulo,vbi Senatores vel clariſſimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur,non obſcurè oſtendit, quoſdam ex his ſtatim Senatores cenſeri,vt Præfectos, Conſules, Magiſtros militum. Alios poſt peractam demum adminiſtrationem Senatorio ordini ſociari,vt Quæſtorem, & præpoſitum cubiculo Imperatoris,quod ipſum & de præpoſito cubiculo Auguſtæ alia conſtitutione traditum eſt, lege finali.C.de præpoſitis ſacri cubiculi, & de omnibus cubicularijs, & priuilegijs eorum,libro duodecimo. Quare ſeruis ociùs Senatores tamen efficiebantur omnes. Præterea ſub hoc titulo,capite vltimo, ita ſcriptum eſt. *Senatores accipiendum eſt eos eſſe, qui à patritijs & conſularibus vſque ad omnes Illuſtres viros deſcendunt:quia hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt.* Quibus verbis non obſcurè ſignificatur, maximas dignitates gerentes, aut his defunctos, quicunque ſint, Senatores eſſe intelligi. Quod verò ait,ſolos eos in Senatu ſententiam poſſe dicere,quomodo intelligendum ſit, eo loco, quoad eius fieri poterit, explicabimus. Nam conſiſtorium principis,ad quod omnia ferè Senatus munera tranſlata erant, ex proceribus conſtabat & Senatoribus.lege, humanum.C.de legibus.lege prima,ad legem Iuliam maieſtatis.vt ſignificat etiam Caſſiodorus, libro ſexto,variarum formul1. Quomodo proceres vacantes fiant,& Iuſtinianus nouella XXII.de appellationibus. §.adhæc.& nouella LXII. quæ inſcribitur, de conſultationibus. in principio. Proceres autem ij erant,qui adminiſtrationes gerebant. Senatores qui tam geſſiſſent, aut certè & ſi nunquàm geſſiſſent, dummodò in actu poſiti Senatoria munera obirent atque exercerent. Hi omnes veri, non imaginarij Senatores generaliter Illuſtres dicebantur.lege, decurionibus.C.de ſilentiarijs & decurionibus.libro duodecimo. Reliqui qui ſolis Senatorijs codicillis,aut ornamentis vterentur,vel Senatorum liberi eſſent, clariſſimi tantùm appellabantur,& ſola clariſſimatus dignitate fruebantur. Hinc eſt quòd Conſtantini conſtitutio ſub eodem titulo:vbi Senatores vel clariſſimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur.lege prima,ita loquitur. *Quicunque non illuſtris, ſed tantùm clariſſima dignitate praditus,&c.* Denique cùm rubrica ipſa ita ſit inſcripta,*Vbi Senatores, vel clariſſimi &c.* In nigro non niſi de illuſtribus & clariſſimis tractatur,ex quo apparet,per Illuſtres intelligi Senatores. Nam Illuſtres omnes ſine dubio & clariſſimi erant, ſed non econtra, clariſſimi omnes Illuſtres,niſi interdum fortè (quia natura ſua ſynonyma hæc eſſe diximus)appellationes hæ confundantur: vt in principio conſtitutionis Zenonianæ, cuius ſuprà mentionem feci,dicta lege finali.C.vbi Senatores vel clariſſimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur. Illuſtrauit & clarum fecit,pro eodem accipitur,quod & alijs quibuſdam locis ( perpaucis tamen ) factum eſt.lege prima, de præpoſitis lab.libro duodecimo.dicta lege ſecunda.de ijs qui veniam ætatis impetrauerunt.rubri.& lege prima,& ſecunda. C.de tutela illuſtrium, vel

clar

clariſſimarum perſonarum.quibuſquidem locis non de ipſarum dignitatum diſcrimine, aut muneribus principaliter agitur,ſed de alia quauis re,cui mẽtio earum dignitatum obiter incidit. Sanè Illuſtres hactenus modo dictos exiſtimat Alciatus, quo ad illuſtres gererent adminiſtrationes. Vbi geſſiſſent, clariſſimos ſimpliciter appellatos putat,quod nos non probamus. Vt enim clariſſimi vtique ſemper appellari poſſent, tamen & Illuſtris titulum,poſt peractam quoque adminiſtrationem, eis remanſiſſe argumento ſunt complures conſtitutiones, dicta l.finali §.viros autem Illuſtres. C.vbi Senatores vel clariſſimi ciuiliter vel criminaliter conueniantur. l. ſecunda. C. vt dignitat. ordo ſeruetur.lib. XII. præſertim illæ,quæ Illuſtres iudicio per procuratores adeſſe ſtatuunt,dicta l.fina.de iniurijs.authen.vt ab illuſtriſ.nam alioquin Illuſtres dignitates plereque id pæſtare videntur, vt qui eas gerunt,neque agere neque conueniri poſſint,vt præfectura vrbis,vel prætorij.l.ſecunda,de in ius vocand. Quare ſuperuacuo id cautum foret,vt per procuratores iudicio adeſſent. Remanebat enim hoc eis velut inſigne honoris geſti. Quin eorum quoque filij Illuſtres nonnunquam dicti.d.rubri.& l.fina.C.de tutela Illuſtr.& patribus Illuſtribus Senatoria dignitate ac priuilegijs exæquati.dicta l.finali.C.de iniur.qua de re inferius plenè diſſeram.l.fina.hoc titu. Ex his intelligi poſſe arbitror, viros illuſtres ab Imperatore appellari eos, ad quos ſcribitur prooemium Digeſtorum,vel quòd ex talibus orti eſſent,vel quòd illuſtres ipſi adminiſtrationes peregiſſent. Nam Anatolium quidem à talibus ortum eſſe Dorotheum per ſe Quæſtorem,Cratinium verò Comitem ſacrarum largitionum fuiſſe, ipſemet Imperator ſcribit.l.ſecunda. §.quæ omnia.C.de vet.iur.enucl. Cæteri ad quos idem prooemium ſcribitur,aut eodem loco orti,aut honoribus eiſdem,vel ſimilibus vſi erant,aut certè illuſtratus vacantis dignitatem, & codicillos à principe meruerant.ſæpiſſime enim, vt diximus, impetrabantur hæ dignitates:vt qui non geſſerant,tamen geſſiſſe viderentur. Hi vel Illuſtres ſine cingulo conſtituti,dicta l.finali.de iniurijs.vel vacantes Illuſtres appellabantur,dicta l.ij.C. vt dignita.ordo ſeruetur. Quarto apud Caſſiodorum etiam formula, Illuſtratus vacantis legitur, cuius ex tenore hoc ipſum cognoſci poteſt. Hæc de illuſtribus & clariſſimis, atque etiam de perfectiſſimis dicta ſint. Sed ſpectabiles quoque qui dicantur, niſi declarauerimus, nihil egiſſe videamur. Igitur ſpectabilis titulus,vt illuſtris, ab adminiſtratione quoque ducitur,ſed inferiore,que tamen poſt illuſtratum,ſtatim conſequitur. Eſtq; hic titulus omnium nouiſſimus. Nam ſpecioſæ perſonæ Senatoriæ, antiquitus dicebantur, lege ſpecioſas.de verborum ſignificat.credo ab ornamentis Senatorijs, lato clauo, calceis lunatis,& ſi quibus alijs inſignibus vtebantur.Qui aliquo pluris,quàm Senatores eſſent,clariſſimi olim,poſteà Illuſtres dici cœperunt,vt ſuprà oſtendimus. At Præfecti, qui initio Senatores non erant, ſed ex equeſtribus creabantur,ſpectabiles dicti:non Præfecti vrbis modò,ſed & Præfecti vigilum,lege tertia,infrà de officio præfect.vig. Nam Vlpianus cohortibus vigilum ſpectabilem virum ab Auguſto Præpoſitum dicit,quem Dioniſ. libro LV. ex equeſtri ordine fuiſſe ſcribit. Præfectus quoque Auguſtalis ex equeſtribus eli-

gebatur, ideò ſpectabilis appellatur.lege prima.C.de priuileg.caro.l.quinque ſummates.C.de decurionibus.libro decimo. Tantùm enim non ſpecioſi nomen additum his eſt, quod quidem Senatoribus conueniebat, nec de alijs temere vſurpari debuit. Non enim Alciato in hoc aſſentior, qui ſpectabilis appellatione, etiam illuſtrem contineri exiſtimat. Nam Illuſtres ſolos veros Senatores eſſe iam demonſtrauimus. Spectabilis autem titulum & ſpectabilitatis dignitatem præfectis propriè attribui ſolitam oſtendit etiam Caſſiodorus, in formula Comitiuæ primi ordinis, cuius verba mox referemus. Cæterùm quia Præfecti Auguſtalis imperium quod ad exemplum proconſulum antiquorum acceperat, latè patebat.lege prima, infrà de officio prefect.Auguſt. Ideò illud quoque factum videtur, vt exemplo eius, cæteri non Senatorij ordinis viri, quibus vniuerſæ diœceſes gubernandæ mandabantur, initio ſpectabiles dicti fuerint: vt Comes Orientis Aſianæ, vel Ponticæ diœceſis. Duces Moderatores quoque, puta Rhetiarum & Illyrij. ( Hi ſic dicti videntur, quòd ijdem & belli duces & moderatores prouinciarum conſtitui conſueuiſſent.authen.de appellat. §.illud.l.præcipimus.& lege, ſi quando.C.de appellationibus.) Hæc appellatio poſteà in ipſis veluti Satrapijs & adminiſtrationibus perpetuò manſit, & ab eis duci cœpit, ſiue Senatores eſſent qui eas gererent, ſiue non excepta præfectura vrbis & prætorij, quæ pridem Senatorio ordine dignata, maturè ad Illuſtres tranſijt. Igitur ſpectabiles hi omnes ſupra clariſſimos, etiam prouinciarum præſides habebantur.l.prima.C.vt omnes iudices tam ciui.quàm militi.in principio.quia ſcilicet prouinciæ iam in minutiores partes diſſectæ & diſtinctæ erant: vt cognoſci poteſt, ex indice conſuetudinum pro officijs ſoluendarum ab Imperatore noſtro poſt nouellam conſtitutionem, præcepta ſeu mandata præſidum continentem, poſito. Quinimo Præſides ipſi prouinciarum in quibuſdam ſubeſſe intelligebantur his ſpectabilibus: vt præfecto prætorio Africæ moderatores illarum partium.lege prima.C.de officio præf.præto. Afric. hîc enim quoque ſpectabilis dicebatur, dicto §.illud.in authen.de appellat. Ad exemplum horum etiam in comitatu principis ſpectabiles alij haberi cœpti, qui quaſi inferioris generis poſt Illuſtres adminiſtrationes, aut officia aſſequuti erant: vt Vicarius Præfecti vrbi, Præfectus annonæ, præpoſiti, notarij, cornicularij, Aduocati fiſci, Cartularij ſacri cubiculi, ſcriniarij & ſi qui ſimiles. Item extra comitatum principis nonnulli citra diœceſim adminiſtrationes, vt procuratores Cæſaris & exactores tributorum. Hi omnes comitiuæ primi ordinis adſcribebantur. Nam ea propriè attributa fuiſſe ſpectabilibus videtur, hoc eſt, præfectorijs, vel quibus inſtar præfectoriæ dignitatis conceſſum eſſet. Dicebatur autem comitiua primi ordinis, quanuis Illuſtres antecederent: quia illuſtres non tanquàm comites, ſed velut pars corporis ipſius Principis numerabantur.d.l.quiſquis. C.ad legem Iuliam maieſt. Quemadmodùm & Princeps ipſe ſe tanquàm vnum ex Senatoribus haberi vult.l.ius Senatorum.C.de dign. lib.x.Sed re vera primi erant Illuſtres, hoc eſt, Senatorij ipſi. Poſt ipſos autem præfectorij & præfectorijs exæquati ſtatim conſequebantur. Et hoc eſt quod Auſonius ait: Præfecturarũ titulo tenuere ſecũdo. Titulus enim hic ſpectabilis,

erat

erat ſecundus pòſt Illuſtris, quanuis ad primi ordinis comitiuam pertineret. Caſſiodorus in formula comitiuæ eiuſdem primi ordinis, Quid ergo, inquit, de tali honore ſentiatur, agnoſce. Quando Præfecti viri pro tot laudabilibus inſtitutis, huius inueniunt procœmia dignitatis, & meritò cum tanta pompa ceditur, quæ Senatorij quoque ordinis ſplendore cenſetur. Spectabilitas clara, & conſiſtorio noſtro digniſſima, quæ inter illuſtres ingreditur, inter proceres aduocatur &c. In formula quoque ipſius ſpectabilitatis. Atque ideò, inquit, te ſpectabilitatis nitore decoramus, vt ſententiam tuam in conuentibus publicis ſpectandum eſſe cognoſcas, cùm inter nobiles decorus adſederis. Illud enim ſemper tenendum, plures penè fuiſſe quibus imaginaria, quàm quibus vera hæc dignitas contigiſſet, cùm vel officia alia inſtar ſupradictorum ſpectabilitatis titulo decorata eſſent, vel codicillis hæc dignitas, vocantibus ſæpenumero concederetur. Comitiuæ autem ſecundi ordinis rara in iure mentio, tantùm in vltima conſtitutione tituli, De profeſſoribus & medicis, libro x. C. inuenimus. Nec quinam proprio huic Comitiuæ adſcriberentur, ſatis compertum habemus. Ex prædictis tamen planè apparere arbitror, quid ſibi voluerit Iſidorus, cùm ſcripſit, Primos ordines Senatorum dici Illuſtres, ſecundos ſpectabiles, tertios clariſſimos. ſed re vera poſteriores hi duo ordines, non propriè Senatores erant, quòd ſcilicet ad munia Senatoria attinet, ſed quòd ad dignationem atque honorem duntaxat. Nam inter Illuſtres quoque ipſos, gradus rurſum fuiſſe quoſdam, neceſſe eſt dicere, cùm aut ſimpliciter Illuſtres, hoc eſt, Senatores eſſent, aut ſecundum adminiſtrationes & poteſtates quas obtinuerant, & vtroque modo intelligi poſſe arbitror, quod Pomponius ſcribit. l. iiij. de Senatoribus. *Qui indignus eſt inferiore ordine, indignior eſt ſuperiore.* Et quod Modeſtinus tradit. l. ſpadonem. §. ſcire oportet. de excuſatione tutorum. *Si quis Senator ſit, Tutor erit etiam liberorum eorum, qui inferioris ordinis Senatores ſunt.* In quo etiam Auguſtini autoritate defendimur. Illud nequaquàm rectè Alciatum exiſtimaſſe arbitror, non à muneribus, ſeu officijs ipſis dignitates accipi, ſed Illuſtres viros ad ipſa munera aſſumi conſueuiſſe. Nam ſecundum hæc quæ hactenus diximus, Illuſtratus dignitas ac titulus, aut ab adminiſtratione, aut à Senatorio munere ducitur, aut perſonis quibuſdam, ad exemplum eorum qui hæc geſſerunt, codicillis indulgetur, qui alio modo initio quæratur non animaduerto. Nam generis Illuſtrium caput aliquod fuiſſe neceſſe eſt dicere, nec à genere ducitur, niſi eo modo quo ſuprà dixi. Poſtremò meminerimus, ſpectabiles adminiſtrationes & illuſtribus nonnunquàm committi, quod Iuſtiniani conſtitutio indicat, dicta l. ſi quando. C. de appellat. His priſtina Illuſtratus dignitas non minuitur, ſed noua ſpectabilitatis acceſſione augeſcunt. Ab his an perinde atque ab Illuſtribus, an verò vt à ſpectabilibus appellari oporteat, Iuſtiniani conſtitutiones definierunt. dicta l. ſi quando. & l. præcipimus. C. de appellat. auth. de appella. §. illo. Eadem ratione credendum eſt, & ex his qui tantùm clariſſimi eſſent, & ex his quoque, qui nec clariſſimi nec Illuſtres erant, quoſdam ad ſpectabilitatis gradum ſæpiſſimè atque indifferenter promoueri conſueuiſſe. Hæc de his dicta ſint. Hinc ad alia tranſeamus.

## L II. Marcelvs Lib. III. Digestorvm.

CASSIVS LONGINVS NON PVTAT EI PERMITTENDVM *qui propter turpitudinem &c.* Supplet gloſa vetus, vt apparet, intelligendum eſſe, de turpitudine in officio commiſſa. Ego amplius & circa res ad officium, hoc eſt, ad munus ipſum ſenatorium pertinentes, accipiendum arbitror. arg. l. eadem. §. j. ad legem Iul. rep. aliter nõ vera nec bona eſſet ratio, quam ſubdit: quia lex Iulia repetundarum hæc fieri vetat. Nam lex Iulia repetundarum, initio contra eos lata eſt, qui in officio, aut quocunque miniſterio publico poſiti, auaritiæ cauſa perperam ſtatuiſſent, vel decreuiſſent. Poſteà ad omnes omnino, qui quacunque de cauſa in officio, aut munere publico corruptè egiſſent, extenſa eſt. l. iubemus. C. ad legem Iul. repet. & l. vij. §. hodie. ff. eo. titu. vbi dixi in rub. cùm igitur publico iudicio damnatus, infamis fiat, meritò à teſtimonio repelli debuit. l. iij. §. lege Iulia. de teſtibus. d. l. ea lege. §. primo. Quod verò Accur. ait, ſiue amoto irrogetur infamia iuris, ſiue infamia facti, habere locum quod hîc dicitur. Vtile quidem eſt, vt ſciamus, non omnem qui ordine mouetur, infamia iuris infamem fieri, ſed cauſam inſpici, an famoſa fuerit. l. ordine. infrà ad municip. l. ad tempus. de decurio. l. qui cum vno, §. ad tempus. de re milit. l. ictus fuſtium. infrà de his qui no. infa. Sed veram non eſſe Accurſij ſententiam, ſaltem quòd ad dicendum teſtimonium attinet, ex ſupradictis intelligi licet. Nam qui propter aliam turpitudinem, aut cauſam, quæ infamiam iuris non irrogat, amotus fuerit, & ſi Iudex dari prohibeatur. d. l. cùm prætor. infrà de iudicijs. non tamen etiam à teſtimonio ferendo repelli eum iure cautum eſt, quanuis exiſtimatio eius apud bonos viros grauata ſit, quam infamiam facti appellamus. Leuior tamen fides his adhibetur. gloſ. in l. j. C. de ſac. ſanc. eccle. vbi Iaſ. & in l. nullam. C. ex quibus cau. infam. irrog. l. iij. §. duæ cauſæ. infrà de Carb. edicto. Eandem propemodùm interpretationem facit Bart. quanuis non eiſdem rationibus vtatur, dum Accurſij erratum fruſtra tueri conatur.

## L. III. Modestinvs Lib. VI. Regvlarvm.

SENATOREM REMOTVM A SENATV, CAPITE NON MINVI, *ſed Romæ morari, Diuus Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.* Sed ei Romæ morari Modeſtinum ſcripſiſſe puto. Nam hanc particulam multis locis intercidiſſe aliàs adnotauimus. Sanè cùm duo hæc ſint pronunciata, de priore quidem dubitari potuit, quia generaliter traditum eſt, capite eos minui, quorum ſtatus mutatur. Inſtitu. de capitis diminutio. in princip. Sed hinc non ſtatus ſed dignitas mutatur. Inſtitu. eodem. §. quibus. lege cognitionum. §. minuitur. de varijs & extraordinarijs cogni. Meritò capite eum non minui reſponſum eſt, nec diſtinguendum, an ex famoſa cauſa motus ſit, an non: cùm nec infames, nec ignominioſi capite minuantur. Si non aliud concurrat, quod eorum ſtatum mutet, veluti ſi libertatem quoque vel ciuitatem,

aut

aut familiam cum accepta ignominia amittant.l.fina.ff.de cap. dimi.poſteriori pronunciato dubium facere potuit, quia de militibus traditum erat, ignominiæ cauſa miſſos, neque Romæ, neque vbi princeps ſit, morari poſſe.l.ſed & milites.§.ſcribit autem.de excuſ.tu.l.milites.§.miſſionū.de re mil.l.ij.§.miles. de his qui not.ſed non placuit principibus, hanc pœnam propriè in militibus conſtitutam, ad vrbanas dignitates extendere. Nam & ſi ſimilis fortè conditio, non tamen exemplum par ſubeſſe viſum eſt. Hinc apparet deceptum Accurſium, dum diſtinguit, an ex famoſa cauſa remotus ſit hic Senator, an ex alia non famoſa: cùm nec milites quidem ex cauſa non ignominioſa miſſi Romæ eſſe prohibeantur. Nam ſecundum Accurſij interpretationem, Imperatorum ſententia peruerteretur.

## L. V. Vlpia. Lib. I. Ad leg. Iuliam et Papiam.

SENATORIS FILIVM ACCIPERE DEBEMVS, NON TANtùm *eum qui naturalis eſt, verùm adoptiuum quoque, &c.* Subſequuntur & duo alia capita in hanc ſententiam, & ad eandem legem Iuliam & Papiam. Alterum ex Paulo, alterum ex ipſomet Vlpiano deſcriptum. lege Papia permiſſum erat omnibus ingenuis præter Senatores & eorum liberos, libertinam vxorem ducere.l. lege Papia. infrà de ritu nup. Prætereà ex conſtitutione diui Marci.l.diuo.C.de quæſt. Prohibebantur eminentiſſimorum, necnon etiam perfectiſſimorum virorum liberi, vſque ad pronepotes, quęſtionibus, vel plebeiorum pœnis ſubiici. Eminentiſſimorum verò appellatione (vt obiter hoc quoque dicam) videtur diuus Marcus ſignificare voluiſſe Senatores omnes, etiam qui honoribus vſi eſſent, vt puta conſulares & prætorios. Eos quoque qui Senatoriis ornamentis decorati eſſent, quiq́ue ex his omnibus defenderant, quos generaliter clariſſimos appellari ſuprà oſtendimus. Perfectiſſimorum autem appellatione, alios comprehendere voluiſſe videtur, qui cùm Senatorij generis non eſſent, magiſtratus tamen aut publicas meruerant adminiſtrationes, fuitq́ue eadem conſtitutio etiam ad decuriones aliarum ciuitatum & municipiorum per conſuetudinem extenſa, vt idem Vlpi. teſtatur.d.l.diuo.§.fi. fuerunt igitur huiuſmodi priuilegia Senatoribus & eorum liberis conceſſa. Quare eorum interpretatio ſecundum ſubiectam materiam ex infraſcriptorum capitum rationibus & autoritatibus ſumi poterit. Nam & hoc intuitu à compilatoribus inſerta ſunt.

## L. VIII. Idem. Lib. VI. Fideicommissorvm.

FOEMINAE, &c. Fideicommiſſorum & legatorum quorundam incapaces erant perſonæ clariſſimæ, veluti, ſi tribus eis emenda legaretur.l.patronus.in principio.de lega.iij.quam Alciatus lib.1. παρέργων.c.XVI.teſſeram frumentariam interpretatur: quamuis nec ipſe quidem videatur animaduertere, eius incapacem fuiſſe clariſſimam perſonam. Ideò ſcripſerat Vlpianus hęc de clariſſimis perſonis in libris fideicommiſſorum. Sed an fœminæ eitã illuſtres dicantur

intuitu maritorum? Et Iuſtiniani conſtitutio dici oſtendit.l.ſi qua illuſtris.C. ad s. c. Orphicianum.

## L. XII. Vlpia. Lib. II. De Censibvs.

NVPTAE. &c.Senatores autem accipiendum eſt eos eſſe,qui à patriciis & conſularibus vſque ad omnes illuſtres viros deſcendunt,quia & hi ſoli in ſenatu ſententiam dicere poſſunt.Suſpicatur Haloander non eſſe hæc Germana Vlpiani verba, ſed à compilatoribus,aut additã,aut in aliam formam mutata, quæ ſuſpicio & mihi hæret.Quis tamen horum verborum ſenſus ſit, nec Budæus, quamuis multa hoc loco ſcripſerit,nec alius quem viderim,ſatis explicat, præter Alciatũ,qui lib.III.diſpun.ca.IIII.obiter interpretari videtur dicta hęc eſſe, de deſcendentibus Senatorum,qui Senatores illuſtres fuiſſent,hoc eſt, adminiſtrationes aut honores maximos meruiſſent, aut certa conſularia, vel alia quælibet earum dignitatum inſignia obtinuiſſent:vt ſcilicet ipſos quoque qui ex his deſcenderant,Senatoriam dignitatem habuiſſe ſignificetur. Nam putat hoc obſeruatum eſſe,vt cùm equeſtris,vel plebei ordinis aliquis beneficio Principis in Senatum allectus fuiſſet,ius Senatorium ad hæredes ſuos non tranſmitteret,niſi & inſignibus illis fuiſſet ornatus.Ego quòd ad inſignia attinet, nemini illius officij quod geſſiſſet inſignia neceſſaria,aut omnino tribui ſolita arbitror. Sed qui verè Senator fuerat, aut conſul, aut Prætor: hunc ſine dubio etiam citra Principis indulgentiam illius dignitatis quam geſſerat, inſignibus ſuo iure vti potuiſſe. Inſignia autem iis tribui conſueuiſſe, qui non geſſerant.Quòd ad ſenſum huius capitis attinet, verius eſſe exiſtimo, non de liberis Senatorum,ſed de ipſis Senatoribus hæc dicta eſſe, ſiue Vlpiani hæc verba ſint,ſiue Triboniani,quod magis ſuſpicor.definit enim à patriciis, hoc eſt,à maximis dignitatibus(nam Patriciatus dignitatem hanc poſterius excogitatam ſupra omnes iis temporibus habitam fuiſſe conſtat.l. nemini. C. de conſ.lib.XII.)vſque ad omnes illuſtres,hoc eſt,in illuſtri dignitate poſitos.quorum duo genera fuiſſe abundè ſuprà oſtendimus,in Rubri.huius tituli,ſimplices videlicet Senatores & proceres, qui aliquam illuſtrem dignitatem gererent,Senatores eſſe intelligendos,quo loquendi modo, etiam aliis locis vſus eſt.auth.maximis.C.de nupt.& in corpore vnde ſumitur,& authen.quibus modis naturales efficiuntur ſui.§.Illud quoque.& authent. vt ab illuſtriſſi. &c. Nam his locis ſtatuitur,à maximis dignitatibus vſque ad omnes illuſtres,quædam permitti, vel prohiberi, & rectè Accurſius addit interpretationem, vt non deſcenſiuè, ſed incluſiuè accipiamus. Eadem ergo ſententia ſcribentis & hoc loco fuiſſe videtur,vt verbum illud, Deſcendunt,pro eo quod eſt, gradatim inferius procedunt, accipiamus. hoc etiam Auguſtino magis placet, vt quandoque in huius loci mentionem incidimus. Si tamen quærimus,an ex talibus nati,Senatores & ipſi intelligantur eo ipſo quòd ex talibus

libus nati ſunt, certè qui ſuperiora tempora reſpiciat, etiam ea quibus Vlpianus ſcripſit, ſine dubio dicendum videtur, Senatores eos habitos non fuiſſe. Senatorum enim filij duntaxat appellabantur. Id oſtendunt pleraque capita ſub hoc titulo, quibus ſeparatim de Senatoribus & de Senatorum filiis tractatur. Quin de hoc potiſſimùm diſputari videtur, vt Senatorum priuilegia ad eorum liberos extendantur, quod alioquin neceſſarium non fuiſſet. Denique allegi conſueuiſſe conſtat, non ſolùm Senatores, verùm etiam Decuriones ſingularum ciuitatum & municipiorum. l. ad rem publicam. de muneribus & honoribus. & toto titulo. de decurionibus. Quam allectionem non ſine diligenti perſonarum conſideratione fieri conſuluiſſe, veriſimile eſt. Natus tamen ex Senatore, clariſſimus & ipſe appellabatur, non ſolùm maſculus, ſed & fœmina. l. fœminę. ſuprà eodem. quod plenius paulò antè declarauimus, vt ſenatoriæ quidem dignitatis conditionem, ac veluti honorificam hanc memoriam à patre acciperet, ipſam verò Senatoriam dignitatem non acciperet, niſi cùm in Senatum demum allegeretur. Et hæc ratio eſt, cur multis locis, clariſſimorum mentionem ſic fieri videmus, vt intelligere liceat, non eoſdem clariſſimos & Senatores eſſe. Rubrica. & l. prima. Cod. vbi Senatores, vel clariſſimi. l. ſi Senator. Cod. de dignita. libro XII. Quòd ſi Iuſtiniani ſæculum & mentem eius conſideremus, videtur mihi non ipſe ſolùm, ſed & qui ante ipſum modico interuallo principes fuerunt, voluiſſe vt ex Senatoribus Senatores continuò naſcerentur, nec allectio expectaretur. Quemadmodùm & de decurionibus conſtituerunt. l. decurio fortunam. & l. in filiis. Cod. de decurionibus. libro XII. nouella XXXVIII. de decurionib. §. ſi cui verò. Hoc ſignificat Rubrica libro V. Cod. de tutoribus, vel curatoribus illuſtrium, vel clariſſimarum perſonarum. Nam illuſtres ex illuſtribus natos haberi præſumit, quod & alibi obſeruaui. l. ſecunda. §. quæ omnia. Cod. de veteri iure enucleando. Omnes autem illuſtres Senatores haberi hoc loco definit. Apertius hoc demonſtrant conſtitutiones duæ: altera Valentini Theodo. & Archad. quæ eſt poſterior ſub illo titulo. de tutoribus vel curatoribus illuſtribus: altera ſub eodem titulo. Cod. de decurionibus. libro XII. l. exemplo. quæ eſt Gratiani & Valentini. Nam in his prorſus ſic loquuntur Imperatores, vt ex Senatoribus natos, Senatores vocent, etiam adhuc pueros, aut infantes. Credo raritatem ciuium & difficultatem munerum obeundorum, quæ apparent fuiſſe cauſæ, quamobrem decuriones vel inuitos in ciuitatibus & curiis retineri oportuerit. Id quod nouiſſimæ quoque conſtitutiones manifeſtius indicant, nouella XXXVIII. LXIX. CI. In ſenatoribus idem quoque obſeruari ſuaſiſſe in Senatoribus & Senatu ipſo. Hoc ſanè ſi verum eſt, intelligendum videtur de filiis maſculis, quíque ex Senatoribus in actu poſitis orti eſſent, non ſi quibus fortaſsè illuſtratum, ſeu Senatoriam imaginariam dignitatem, vel ornamenta ſola Principes indulſerant, argumento l. omnes. C. vt dign. ordo ſer. libro XII. Nam & ſi conſtitutionibus expreſsè cautum eſſet, vt ex Senatoribus nati, Senatores haberentur: non de aliis tamen quàm veris Senatoribus accipiendũ foret: verba enim cum effectu exaudire debent. Extat apud Caſſiodorum epiſtola,

qua illuſtris viri filium princeps in Senatum referri mandat,ei ſolere hos in Senatum allegi teſtatur. Quamorem intelligere poſſumus,adeò inualuiſſe hanc conſuetudiné,vt pro iure iam obſeruaretur.Quod ſi cui mirum videatur,illuſtrium filios non expectata allectione proSenatoribus haberi,cogitet is & alios olim hoc numero habitos fuiſſe,qui tamen re vera Senatores non erant.veluti qui honoribus populi vſi eſſent,quales currulibus magiſtratibus functi.Nam hi etiam antequàm in Senatum legerentur,prò Senatoribus habebantur.Ideò edictum de vocandis Senatoribus,ita conceptum erat,Senatores quibuſque in Senatu ſententiam dicere licet:vt Aul.Gell. ſcribit,libro 111. Noct. Att. Cæterùm ſi ſecundum Alciati ſententiam hunc locum interpretari velimus, ſubiecta illa ratio. *Quia & hi ſoli in Senatu ſententiam dicere poſſunt.* Non ſatis conuenire videbitur,non enim ſoli hi ſed & alij quoque ſententiam dicunt : vt patritij ipſi & conſulares,qui per ſe initio in Senatum venerunt,niſi ſolos intelligas,ex deſcendentibus Senatorum,dequibus deſcendentibus hoc loco agat. Nam Senatores alij erant,pręter illuſtres,imaginarij & ficti,velut clariſſimi tantùm & ſpectabiles,de quibus ad Rubricam ſcripſimus. Hi Senatoria munera non obibant.Quare nec qui ex his deſcenderant,in Senatu ſententiam dicebant.Sed nec hanc interpretationem probare poſſum,quia nimis durè ſubauditur illud verbum, *Ex deſcendentibus.* Nec Alciatum in mente hoc habuiſſe arbitror.Sed ſuperiora verba duntaxat interpretari,poſteriorum iſtorum ſecurum:in quibus tamen tota difficultas conſiſtit.

## *DE OFFICIO CONSVLIS.* Tit. X.

Officium conſulis florentę repu.latiſſimum fuit,habuitque Imperium & poteſtatem maximam,excepto quòd in caput ciuis Roma.iniuſſu populi animaduertere non poterat.l. ij. ſuprà de orig.iur. & à conſulibus ad populum prouocatio erat.hi etiam iudices appellabantur,quòd & rebus judicandis initio præeſſent,donec prætores conſtituti fuerunt,vt cognoſcitur ex Liuio libro 111.& Cicerone de legibus tabula ſecunda. Poſteà conſtituta ſub domina Cæſarum ciuitatę,Conſulare Imperium paulatim imminutum eſt. Quamobrem non mirum ſi tum pauca de officio conſulis, aut à iuriſconſultis noſtris, qui temporibus Imperatorum floruerunt,ſcripta,aut à compilatoribus in hos libros congeſta ſunt.Nam Iuſtiniani temporibus officium conſulis, prorſus iam penè ad nihilum redactum erat.Pridem enim honorarios magis, hoc eſt titulo tenus:tum plures cõſules fieri inualuerat,quàm binos atque ordinarios,dum conſulatus dignitas codicillis paſſim impetrabatur.l.fin.C.de decur.lib. x.l.pe. & fi.de conſulibus.lib. x11.vt ſuperius adnotauimus,in Rub.tit.prox. Idem & de Pręroribus factum erat,vt quidam etiã in his honorarij crearetur:& exigua Prætorum munera eſſent,vt mox dicemus,& vt Iulius Capitolinus ſignificat, in pertinace.Igitur eadem ratione & de officio pretoris pauca tradita ſunt. Scripſit tamen Vlpianus de officio conſulis libros tres,quorum ex altero excerptũ eſt quicquid Iuſtinianus hîc poſuit.IdẽVlpianus,de officio quoq; conſularium

librum

librum ſingularem ſcripſiſſe commemoratur, in indice ante digeſta. Sed ex hoc nihil extare adhuc inueni.

L. I. Vlpia. Lib. II. De Offi. Consulis.

OFficium consulis. &c. Consules *apud ſe ſeruos ſuos manumittere poſſe, nulla dubitatio eſt.* Subaudi *hodie*, cùm ſcilicet vſitatum iam hoc ſit, olim tamen de hac re ſæpe quæſitum eſt. l. an manumittere. infrà de manumiſſ. apud collegam verò ſuum, cui ſcilicet par Imperium eſt, neque conſul, neque Prætor, nec alius quiſquam magiſtratus manumittere poteſt. l. apud. eodem titu. de manumiſſ. l. apud filium. ſecun. reſpon. de manumiſſ. vind. cuius rei illa ratio eſt; quòd ſpecie quadam imperij, per lictores & verba magiſtratus iubentis, eximebatur ſeruus de manu domini, & dominus ſolennia quædam verba dicere ſolebat. l. manumiſſio per lictores. eod. titu. Nam imperium in parem exerceri nō poteſt. l. nā magiſtratus. infrà de arb. quod ergo hîc ſubiungit (*ſed ſi euenerit, vt minor xx. annis conſul ſit, apud ſe manumittere non poteſt: cùm ipſe ſit qui ex Senatuſconſulto conſilij cauſam examinat, apud collegā verò cauſa probata poteſt*) ſic accipiendum eſt, vt apud ſe cauſam examinare non poſſit minor. Ideò hactenus manumittere impediatur: ſed ſi omnino manumittere velit, tunc apud collegam ſuum propoſita & probata cauſa, demum apud ſe ipſum manumittere poterit: quod & alibi idem Vlpianus ſcribit. l. ſi rogatus. §. fi. de manumiſſ. vind. aliter interpretando ipſe ſibi contraria ſcripſiſſe videretur, quod abſurdum eſt. Nam probatio cauſæ extra figuram imperij & iuriſdictionis, de plano fit apud conſilium, à conſule coactum. Quare in hac parte ceſſat ratio impediens, ne ſcilicet collegæ imperio ſubmittere ſe videretur. Non enim ſubmittit ſe imperio, qui cauſam duntaxat apud collegam examinare curat. Sed quomodo ipſe in ſeſe imperio vti poterit? l. ille à quo. §. tempeſtiuum. infrà ad Trebellianum. l. pen. de arbitris. reſpondeo cùm imperij ſpecies magis quàm imperium adhibeatur, verè nec cogitur à quoquam, nec omnino cogit ipſe ſe. Quia tamen ſimilitudine quadam cogi videtur, ideò minus remitti de dignitate conſulis viſum eſt, ſi apud ſe id fieret quàm ſi apud collegam eius.

## DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO.
## Titvl. XI.

Præfectum prætorio non ſenatorij ordinis, ſed equeſtris creari ſolitum fuiſſe, oſtendit Sueto. in Tito. cùm præfecturam quoque pretorij ſuſcepiſſe eum, nunquam ad id tempus, niſi ab Equite Romano adminiſtratam, ſcribit. Durauitque hic mos (quamuis à Tito interruptus) vſque in Alexandri tempora. Hîc demum hoc quoque munus Senatorium eſſe voluit, quod Lampridius oſtendit in vita eius, cùm ait. Præfectis ſuis addidit Senatoriam dignitatem, vt viri clariſſimi & eſſent & dicerentur, quod anteà vel raro fuerat, vel omnino non fuerat, vſque eo. vt ſiquis Imperatorum ſucceſſorem præfecto prætorio dare vellet, laticlauiam, & Senatoriam eidem per libertum ſummitteret. Alex. autem Senatores idcirco voluit eſſe præfectos prætorio, ne quis non Senator

de Romano ſenatore iudicaret. Extant libri duo poſtremi epiſtolarum Caſſiodori, quorum prioris initio præfatur, ſcripſiſſe ſe eos libros, cùm eſſet præfectus prætorio Romæ, ſub Regibus Gottorum. (Nam hi exemplo Imperatorum viuebant.) In his ſemper appellat ſe Senatorem populo. quò fit vt Romani ſenatoris, qui hodie in Capitolio ius dicit, appellationem ab hoc deſcendiſſe exiſtimem. Poſt Alexandri tempora ad Iuſtinianum vſque, ſupremum dignitatum omnium gradum præfectos obtinuiſſe, tam Vlpianus hoc loco, quàm principales conſtitutiones. l. præfectus. C. de offi. præf. vrb. l. nemo. de dignita. lib. XI. & nouella LXII. de conſtitutionibus. declarant. Idem quoque Caſſiodorus libro VI. Epiſtolarum. Poteſtati, inquit, præfecti prætorio, nulla dignitas eſt æqualis, vice ſacra iudicat, nullus ei miles fori autoritate præſcribit, excepto officiali magiſtri militum. Curiales etiam verberat, in officio ſuo ius retinet ſingulare, & talibus tantiſque noſcitur iubere, quos etiam prouinciarum non auderent iudices in qualibet parte contemnere. Hæc de præfecto prætorio. Illud addendum, quòd defuncto eo, conſtitui ſolebat, qui vice præfecti ageret interim, dum Princeps de nouo præfecto ſufficiẽdo deliberaret. l. iij. §. à præfectis. de leg. iij. & præfectum habuiſſe ius gladii poſteà docebimus. l. illicitas. §. qui vniuerſas. de off. præſ. Alia quædam ex annotationibus Budæi cognoſci poterunt.

L. I. Avrelivs Arcadivs. &c. De Offi. Praefec. Praet.

Regimentis reipvbl. ad Imperatores perpetuò *tranſlatis.* Annotaui ſuprà l. prima. de conſtit. Principum, de ſingulis Imperatoribus Senatuſconſultum fieri conſueuiſſe, quò ſuprema poteſtas electo Imperatori concederetur, vt Victori quondam Syllæ conceſſam fuiſſe meminit Plutarchus, in vita eius prope finem. Sed Iuſtinianus hoc & aliis locis ſemper ita loquitur. Itaque veterum iuriſconſultorum verba refert, vt ſi initio vnica lex, aut Senatuſconſultum de omnibus deinceps perpetuò futuris Imperatoribus factum eſſet: quia ſcilicet temporibus Iuſtiniani neque lex, neque Senatuſconſultum iam in eam rem neceſſarium exiſtimabatur.

## *DE OFFICIO PRAEFECTI VRBI.* Tit. XII.

Quoties magiſtratus ex vrbe proficiſci contingebat, vigente Republica, Præfectum Vrbi creari mos erat: quia verò latinarũ feriarum cauſa, magiſtratus omnes & plurima pars populi in montẽ Albanum quotannis conſcendebant. Ideò vſitatũ fuit, vt præfectus vrbi latinarũ cauſa ſingulis annis in ciuitate conſtitueretur, & iam velut ordinarius ac ſtatus magiſtratus haberetur. Hoc eſt, quod Pomponius ſcripſit, in l. ij. §. deinde Cornelius. ſuprà de orig. iur. quoties proficiſcuntur magiſtratus, vnum relinqui qui ius dicat: denique vocari præfectum vrbis, & ita olim conſtitui ſolitum: poſteà verò latinarum feriarum cauſa introductum eſſe, & quotannis obſeruari. Meminit etiam A. Gell. lib. XIIII. capite octauo, quo loco & Varronis & Q. Mutij ſententiam citat, dum quæſitum refert, an Præfecto huic ius eſſet conuocandi, habendique ſenatum. Meminit & Dioniſius Halicarnaſſ. lib. VI. cùm paucis annis poſt exactos Reges, à præ

fecto vrbis fruſtra quæſitos ſcribit iuuenes duos, qui victoriam duorum conſulũ de latinis, contra quos profecti erant, in foro ſtatim renunciauerãt, ea ipſa hora qua parta eſſet. Latinis autem feriis ſacra quædam vetuſto ritu in Monte Albano fieri conſueuiſſe, & è latinis municipiis pętentibus carmen dari vſitatũ fuiſſe conſtat, qua de re Ciceronis quoq; verſus extant in lib. de Diuinatione.

*Cum tumulos Albano in monte niuales*
*Luſtraſti, & læto mactaſti lacte latinas.*

Igitur Præfecturæ officium per eos duntaxat dies exercebatur, quibus latinorum cauſa magiſtratus aberant. Hi dies quia & pauci & feriati erant, idcirco nullum ferè negotium (quod quidem ad iuriſdictionem & pecuniarias cauſas pertineret) ad præfectum deferebatur. Sed de his duntaxat quoad quietem ciuitatis, & populares in officio tantiſper continendos pertinerent, cognoſcebat quoad ſcilicet magiſtratus reuerteretur. Nam & poſt latinas duo quoque alij dies religioſi erãt, quibus à negotiis ciuilibus abſtinebatur, quod Cicero his verbis oſtendit, ad Q. Fratrem. Duo erant dies, qui poſt latinas erant religioſi &c. Poſteà diuus Auguſtus, vt perpetua eſſet præfectura vrbis, excogitauit, vt Tranquillus in vita eius ſcribit C. XXXVII. quod ego ſic accipio, vt præſentibus quoque magiſtratibus intendere præfectum voluerit his rebus, & curis tumultuariis, quibus abſentibus magiſtratibus vacare conſueuerat, quæ ſcilicet imperio magis quàm iuriſdictione continentur, & ad quietem ciuitatis ac populares exemplo cohibendos pertinent. Ideò pleraque his ſimilia officio præfecti vrbis ſub hoc titulo adſcribuntur. Nam per antiquæ conſuetudinis veſtigia, præfecturam vrbis paulatim ad hæc perueniſſe apparet. & hæc ratio eſt, quamobrem delicta maximè à præfecto puniuntur. Nam credibile eſt, huic potiſſimùm curæ antiquitus intendiſſe præfectum, vt commiſſa abſentibus magiſtratibus, quorum de ea re notio eſſet, crimina è veſtigio vindicaret, & ſeditionum materiam imprimis tolleret. Tacitus lib. XIIII. Pari ignominia Valerius Ponticus afficitur, quòd reos, ne apud præfectum vrbis arguerentur, ad Prætorem detuliſſet: interim ſpecie legum, mox præuaricando vltionẽ eluſurus. Eiuſdem Cornelij Taciti verba ex lib. v. annalium adſcripſi, quæ ſuperiora omnia planè confirmant. Namque anteà, profectis domo Regibus, ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, diligebatur qui ius redderet, ac ſubitis moderetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, pòſt ab Tullio Hoſtilio Numam Martium, & ab Tarquinio ſuperbo Sp. Lucretium impoſitos. Dein Conſules mandabant, duratque ſimulachrum, quoties ob ferias latinas præficitur, qui conſulatus munus vſurpet. Cæterùm diuus Auguſtus, & quæ ſequuntur. Habuiſſe præfectum vrbi Vicarium poteſtatis ſuæ, qui vice præfecti agere dicebatur, conſtat. l. fin. C. eod. titu. eius vicarij conſtitutionis formulam apud Caſſiodorum videre eſt: quæ inſcribitur, Formula Vicarij vrbis, ſed inſcribi debet, Vicarij præfecti vrbis, vt ex tenore eius apparet. Quanto in honore in poſtetioribus temporibus habiti fuerint præfecti vrbis, cognoſces ex his quæ ſuperiori titulo ſubnotauimus. Nam præfecti prætorio & præfecti vrbis eandẽ propè dignitatem obtinebant. Plurima de præfecto vrbis colligit Alex. ab Alexan. libro VI. gen. dierum. c. XX.

L. I. Vlpia. Lib. Singvlari, De offi. Praefec. Vrbi.

OMnia, &c. Item solent ad praefectvm vrbi, *etiam tutores,ſiue curatores remitti,qui malè in tutela verſati,grauiore animaduerſione indigent, &c.* Suſpecti tutoris poſtulatio ſiue accuſatio, miſtam quandam naturam obtinet inter ciuile iudicium & criminale,vt oſtendam infrà de offic.eius. l.iij. §. cùm propriam.Deſcendit autem ex legibus duodecim tabul.inſt.de ſuſp.tut.in prin. non ex noua aliqua lege,quę criminalis iudicij quæſtionem introduxerit.Ideò Romæ prætori,cui vrbana iuriſdictio obueniebat,competiſſe videtur,ſecundum ea quæ ſuprà tradidi,in l.ij. §.deinde Cornelius.de orig.iur.arg.l.j. §.fin.de ſuſpec.tut. Quod ergo ait,remitti tutores grauius puniendos ad præfectum, intelligendum eſt à prętore.Nam hoc alibi clarè exprimitur.l.j. §.fi.de ſuſp.tut. Prætori enim cui vrbana iuriſdictio obueniſſet,licebat quidem de ſuſpecto cognoſcere,& pronuntiare,ſed grauius punire atque animaduertere non licebat: quoniam hoc non pertinet ad iuriſdictionem.Hæc in vrbe Roma. In prouinciis autem Præſides ipſos,ſi res exigat,grauiores has pœnas exequi poſſe non dubitandum eſt.l.de omnibus.infrà de officio Præſidis.dum tamen per ſeipſos hoc faciant.l.j. §.ſuſpecti.vbi Bart.infrà ad Turpil.Non enim ex prouinciis ad præfectum remitti oportere intelligendum eſt,arg.hac l.in prin.l.fi.infrà eod.& l.ij.C.eod.tit.Illud tenendũ,grauiorem hanc animaduerſionem erga Plebeios, & humiliores duntaxat exerceri ſolere.d.l.j. §.fi.de ſuſpec.tut.& l.iij. §.tutores. eod.tit.Nam Senatores & ſenatorij generis homines, corporaliter puniri non ſolent.l.diuo.C.de quæſtionibus.

L. III. Vlpia. Lib. II. Ad edictvm.

PRaefectvs vrbi cvm terminos exierit, poteſtatem non habet,ſed extra vrbem poteſt iubere iudicare. Ita ſine dubio legendum eſt hoc reſponſum,vt & Haloander correxit.nam antiquior textus ab interpretibus penè corruptus eſt: dum verum ſenſum non ſatis abſequuntur. Notum eſt,poteſtatis verbo,in perſona magiſtratum,imperium ſignificari.l.poteſtatis.de verb.ſig. imperium autem à iuriſdictione diuerſum intelligi. Nam iuriſdictio ad cauſarum ciuilium diſceptationem pertinet,imperium ad coërcendos homines valet,quod plenius infrà attingam.in rub.de iuriſd.om.iud.& in l.imperium.eod. tit.iuriſdictioni autem etiam iudicis dandi licentia ineſt.d.l.imperium.Cùm hoc ita ſit,primò viſus eſt iuriſconſultus hæc ſentire, præfectũ vrbi cùm terminos egreſſus eſt ſuæ ditionis(ea intra centeſimum milliarium circumſcribitur,ſuprà l.j.in prin.)imperium non habere,ſed iuriſdictionem retinere:& propterea eo loco diſtentum,iudices tamen qui intra terminos ditionis ſuæ iudicent, dare poſſe,de rebus ſcilicet ad iuriſdictionem,non etiam ad imperium pertinentibus: Quippe cùm imperium ipſe iam non habeat,videturque hæc fuiſſe expoſitio antiqui interpretis, quã tamen Accurſius mirè implicat atque inuoluit.Sed vera non eſt:negari enim nõ poteſt,id quod caput eſt in hac materia,quin omnino priuatus ſit præfectus,vbi terminos exceſſit,vt de Pręſidibus prouinciarum dicimus.l.iij.de offic.præſidis. Ideò nec vllam iuriſdictionem contentioſam in quemquam

quemquam habere,quamuis voluntaria fortaſsè ei relinquatur, exemplo proconſulum proficiſcentium,aut decedentium.l.j.& ij.de offi.proconſ.l. emancipari.ſuprà,de adop.qua de re aliquid paulò pòſt dicam,ſub tit.de offi. proconſ. Præterea generaliter traditum eſt, neminem poſſe,niſi qui in magiſtratu poſitus ſit,iubere iudicare, adeò quidem vt nec quo die priuatus quis futurus ſit, iudicare iubere poſſit.l.eum quem.infrà de iur.om.iudic. hîc autem certè extra terminos magiſtratum gerere dici non poteſt. Accedit alia quoque generalis regula, extra territorium ius dicenti impunè non pareri, quæ de illo quoque accepta eſt,qui cùm extra territorium agit,de rebus intra territorium comprehenſis ius dicere vult,vt id facere non poſſit.l.fi.vbi Albericus,in princ.de iuriſ. om. iud. Nam quòd iuriſdictionem huic Præfecto aliiſque magiſtratibus prouincia egreſſis,etſi non in actu,tamen in habitu,relinqui dicunt, vt propterea iudices dare eos poſſe defendant,id quale ſit,nec ipſos quidem ſatis intelligere arbitror.Quem enim iudicem dare poſſit,qui iuriſdictionem in actum deducere atque exercere nequeat,cùm potiſſimum ſit hoc iuriſdictionis munus,iudices litigantibus dare.d.l. imperium. & l.j.eod.tit. Adde quòd nec Latini ſermonis puritas ſatis patitur hanc interpretationem.Subaudiri enim oportet,neſcio quid non ſatis vſitato more,puta,agens,vel,exiſtens,hoc modo. Sed extra vrbem agens,vel exiſtens,poteſt iubere iudicare. Quod quàm durum ſit, nemo Latinæ linguæ peritus non iudicabit.Quòd niſi ratio me longè fugit, certè duæ illæ particulæ, *Extra vrbem*, melius reſpiciunt verbum illud, *Iudicare*, quàm verbum, *poteſt*.Igitur ſciendum eſt,non idem eſſe iudicem dare,quòd iubere iudicare:vt hactenus falsò exiſtimatū eſt, differūt enim hæc inter ſe. Nam iudex datur initio cognoſcendæ cauſæ,iubetur iudicare,qui iam cognouit,ſed aliquo reſpectu ſubtrahit ſe,ac ſententiam dicere recuſat. Argumento huic rei eſt Vlpiani reſponſum,ſub tit.de vacat. mu. capite pen. & nouella Imperatoris conſtitutio,vt iudices ſacras iuſſiones non expectent, quæ aliter inſcribitur de iudicibus.Præcipit enim Imperator,vt iudices ſententiā dicant, de quibus cauſis cognouerunt,non expectato iuſſu ſuo:quia ſcilicet conſuetudo illa inualuerat.Hoc frequentius dicimus,cogere iudicare.Nam tractatus,de arbitriis receptis,& vt qui receperunt, ſententiam dicant, totus ferè in hoc conſumitur, vt cogi iudicare arbitros à Prætore doceamur,edicto ſuo id facturum ſe pollicente.Pertinet tamen ille etiam ad iudices datos. Nam ſub tit. de iudiciis legimus, de qua re iudex cognouerit , de ea quoque pronuntiare cogendum eſſe.l. de qua re.Ait igitur Vlpianus,Præfectum vrbis,cùm terminos exierit,poteſtatem hoc eſt,imperium non habere,ſed hoc ei permiſſum eſſe,vt Romæ agens extra vrbem,id eſt,extra terminos ditionis ſuę,poſſit iubere iudicare.Quod de his iudicibus intelligendum puto,qui cùm intra terminos iudices dati eſſent, & de cauſa cognoſcere cœpiſſent, poſteà longius profecti ſunt. Conuenit huic ſententiæ,quod alibi relatum vidimus.l.venditor.§. fin. de iudi.Iudices à Præſide datos,etiam in tempus ſucceſſoris durare,& cogi pronuntiare:quia ſcilicet iniquum eſt,magiſtratus,aut loci mutatione,ſuſceptam cognitionem deſeri,& litigatores fruſtrari.Facit etiam Valentiniana conſtitutio.l.ij.C.eo.tit.qua permittitur Præfecto,officiales ſuos & populares homines Almæ vrbis ditioni obno-

xios,arbitratu ſuo de prouincia euocare,quamuis ſeditioni obnoxios in omnibus codicibus corruptè legatur. Non negauerim tamen,iubere iudicare,interdum accipi pro,iudicem dare.l.Prætor.§.qui autem.infrà de vacat. mu. vt in l. x11.tab.à Cicerone relata,Prętor eſto,qui priuata iudicet,iudicariue iubeat.Sed frequentius hoc,quo dixi ſenſu,accipi contendo,vt ex duobus reſponſis ſuperius citatis apparet.d.l.eum quem.d.l.venditor.§.fin. Nec tamen incongruum exiſtimarem ita intelligi hoc reſponſum,vt præfectum Romæ agentem, etiam rebus integris iudices extra terminos dare poſſe dicat: qui ſcilicet de rebus intra terminos contractis cognoſcant & decidant.Æquum enim vt & de his extra vrbem quoque conſtituere Præfectus poſsit.Ex his apparet quam longè errauerint doctores noſtri ſumendis argumentis ex hoc reſponſo. Nam ſecundum noſtram interpretationem,nec Legatus Pontificius(quem de latere legatum vocant)nec Proconſul,nec Præſes extra commiſſam ſibi prouinciã agentes reſcribere,iudicare,aut cauſas delegare poterunt,quod omnes falsò admittunt.Nec hoc cuiquam mirum videri debet:cùm hi prouincias egreſsi, ſtatim priuati eſſe incipiant.d.l.iij.de off.præſ. At qui in prouincia eſt, imperium renet.Ideò facilius extendere & prorogare id poteſt,quàm priuatus iam in prouinciam,vnde egreſſus eſt,imperium quod non habet,reflectere.Sanè vno caſu,ſi neceſſariam moram in itinere patiantur,antequàm adhuc in prouinciam peruenerint,hæc atque alia huiuſmodi facere poterunt.arg.l.aliquando.eo. tit. de off.proconſ.& legati.Quòd ſi ex prouincia decedendum eis ſit, iuriſdictionem antequàm proficiſcantur,mandare debent,arg.l.j.§.huius rei.infrà de off. eius.Nam vbi ſemel deceſſerint,incipiunt ſtatim priuati eſſe. Ideò iuriſdictionem quam iam non habent,minimè alteri mandare,nec per alios hæc quæ ad iuriſdictionem & imperium attinent,explicare poſſunt.Hæc de his, qui magiſtratus,aut quaſi magiſtratus prouincias & adminiſtrationes ad tempus ſortiti ſunt.Aliud dixerim in epiſcopis, & cæteris qui in perpetuum creantur, quales noſtri temporis Duces,Comites,Barones,& Marchiones. Hi enim ſine dubio, vbicunque diſtineantur,poteſtatem & dignitatem atque officia ſua retinent. Ideò & prædicta facere poterunt:qua re placent doctorum diſtinctiones. Ratio diuerſitatis inter hos & illos manifeſta eſt.Hi enim principis, aut populi inſtar obtinent,& perpetuas ac proprias dignitates acceperunt. Magiſtratus autem tantiſper mandatas ac veluti precarias poteſtates gerunt.

## *DE OFFICIO QVAESTORIS.* TIT. XIII.

ORIGINEM & progreſſum quæſturæ qui plenius noſce cupiat, is Cornelium Tacitum legat:cuius hæc verba ſunt.lib.Annalium x1.Iiſdem conſulibus P.Dolabella cenſuit,ſpectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum pecunia eorum qui quæſturam adipiſcerentur.Apud maiores virtutis id præmium fuerat,cunctiſque ciuium,ſi bonis artibus fiderent,licitum petere magiſtratus,ac nec ætas quidem diſtinguebatur, quando prima iuuenta conſulatum,ac dictaturas inirent.Sed quæſtores Regibus etiam tum imperantibus inſtituti ſunt,quod lex Curiata oſtendit, ab L.Bruto repetita.Manſitque conſu

Conſulibus poteſtas deligendi, donec eum quoque honorẽ populus mandaret. Creatíque primũ Valerius Poſthumius, Æmylius Mamercus LXIII. annos poſt Tarquinios exactos, vt rẽ militarẽ comitarentur. Deinde gliſcentibus negotiis, duo facti, qui Romæ curarent, mox duplicatus numerus, ſtipendiaria iam Italia, & accedentibus prouinciarum vectigalibus. Pòſt legẽ Syllæ viginti creati, ſupplendo ſenatui, cui iudicia tradiderat. Er quanquam ęquites iudicia recuperaſſent, quæſtura tamen ex dignitate candidatorum, aut facilitate tribuentium, gratuito concedebatur: donec ſententia Dolabellę velut venundaretur. Hactenus Tacitus. Aſconius quoq; Pædianus, hęc, inquit, erat prima Senatoris adminiſtratio, quæſtorem fieri, & in prouinciam curam gerere pecuniæ publicæ, in vſus diuerſos errogandæ. Titulum de officio quæſtoris, & in Codice conſtitutionum habemus. Extat prætereà nouella Iuſtiniani, quę inſcribitur, de quęſtore. Sed hęc de alio quodã quæſturæ genere loquitur. Feneſtellam (quem Vlpianus paulò pòſt autorẽ laudat) citat & Aſconius Pædianus paſſim in expoſitione orationum Ciceronis. Huius Feneſtellę librum, quem de magiſtratibus Romanis compoſuerat, periiſſe, ex multis deinde multorũ autoritatibus ac libris, alium eadem inſcriptione à Pomponio Læto coagmentatũ fuiſſe, qui ſub Feneſtellæ nomine, hodie circumfertur. Autor eſt Alcia. lib. IIII. de verb. ſig. prope finem. Cętera quoque ad hunc titulum pertinentia magis ad hiſtoricam cognitionem, quàm ad facultatem Iuriſconſulti ſpectant.

## *DE OFFICIO PRAETORVM.* TIT. XIIII.

QVO tempore Prætores primùm creari cœperint, & quod ius quęve illorum poteſtas ac numerus fuerit, tradit plenè Alex. ab Alexandro, eum videto in genialium dierum libris. Pleniùs autem ea quę Prętoris officio poſterioribus his temporibus relicta ſunt, in Codice conſtitutionum explicantur, ſub eodem ſcilicet tit. *de officio prætoris*, ibi etiã numerũ Prętorum, quos olim decẽ & octo creari ſolitos cõſtat, ad tres redactum fuiſſe legimus, qui proprium larem ac domicilium in ipſa vrbe haberent. Loquebantur enim Imperatores illarum conſtitutionum aurores, de vrbe Roma. Quanquàm Iuſtinianus videatur accipi voluiſſe de Conſtantinopoli. Sanè Prętori merum Imperiũ nõ competiiſſe plerique exiſtimãt, tum quia legimus Pręfecturã vrbis omnia crimina ſibi vendicaſſe. l. j. de of. pręf. vt. tum ex eo quoq; quòd ſolet Prętor remittere tutores, qui dolo verſati ſunt, circa ſubſtantiã pupillorum, ad Præfectum vrbis puniendos. l. j. §. fi. de ſuſp. tut. Sed vera non eſt hæc opinio, vt abundè iam demonſtrauimus in l. ij. de orig. iur. iunctis not. in Rub. de offi. præf. vrb.

L. III. VLPIANVS LIB. XXXVIII. AD SABINVM.

BARBARIVS PHILIPPVS CVM SERVVS FVGITIVVS ESSET, *Romæ præturam petiit, & Prætor deſignatus eſt.* Repetierat hoc exemplum Pomponius ab antiqua hiſtoria, quò maior vtilitas quæſtionis appareret: ne nunquam poſſe hoc accidere crederemus: vt ſeruus per errorem Pręturę imponeretur. Cęterùm verba hæc, & quæ poſteà in fine capitis ſubiiciuntur, *Quod ius multò magis in Imperatore ſeruandum eſt* accidiſſe hoc oſtendunt, cùm libera adhuc ciuitas eſſet.

Nam Pomponij temporibus, magiſtratuum creatio ad curam principis pertinebat.l.j.ad leg.Iul.de ambi.Anteà autem à populo ſolemni more magiſtratus petebantur, & tribuum ſuffragiis mandabantur. Nam quòd Accurſ. hoc loco ſcrupulum inijcit,quaſi lex ambitus vetuerit honores & magiſtratus peti. Falſum id eſſe dignoſci poteſt.Cùm legem ambitus eos tantùm tenuiſſe conſtet, qui per pecuniã,aut malis artibus inuadere magiſtratus & ad populi Rom.honores obrepere conati eſſent:vt docet Alex.ab Alex.lib.III.c.XVII.apparétque ex lib.Q.Ciceronis ad M.Fratrem,qui inſcribitur,de petitione conſulatus.Præhenſationes verò & blandã petitionum rationẽ minimè vnquàm lex illa ſuſtulit.Hodie etiam hoc ſenſu accipi debet.Caput I.ad leg.Iul.de ambitu.Cùm ait, contra hanc legem,&c. Nam in municipiis & ciuitatibus cęteris,excepta vrbe Roma, ſententia eius legis etiam nunc viget, & vtilis interpretatio eſſe poteſt.

## *DE OFFICIO PRAEFECTI VIGILVM.* TIT. XV.

L. I. PAVLVS LIB. SINGVL. DE OFFI. PRAEF. VIGI.

APVD VETVSTIORES INCENDIIS ARCENDIS TRIVMuiri præerant,&c. Hi fuerunt triumuiri capitales,quorum mentionem Pomponius facit,in l.ij.ſuprà de orig.iu.qui & nocturni dicebantur. Eorum munus ad pręfectum vigilũ translatum eſt:cui rei vt multis aliis antiquorũ magiſtratuum mutationibus,ac dignitatis & officiorum diminutionibus,Auguſtus ſtuduit,re vera quò magis Reipub.ſtatum mutaret,& veterum inſtitutorum obliuionẽ induceret. Cęterùm ſub prætextu illo,quòd quidam minus diligenter officio ſuo vacare, adſueti eſſent.Sic Prætorum munus quod ad criminalia iudicia attinet,ad Præfectum vrbis per occaſionem traduxit:vt ſuperius etiam admonuimus.

L. III. PAV. LIB. SING. DE OFFI. PRAEFE. VIG.

NAM SALVTEM,&C. ET SVPER OMNES PRAEPOSITO SPEctabili viro qui Præfectus vigilum appellatur.Equidẽ Romanum hunc fuiſſe ſcribit Dion,quem Auguſtus primùm Præfectum fecit. Quare ex hoc loco apparet,ſpectabilis titulũ initio additum equitibus,qui ad præfecturas proueherẽtur,nõ autẽ Senatoribus.Nam & Præfectus Auguſtalis ſpectabilis appellatur.l.j.de of.pręf.Auguſt.Cùm nec ipſe Senator eſſet,ſed equeſtris ordinis:magna tamẽ eius adminiſtratio atq; imperium: qua de re pleniùs modò diximus,in rub.de Sena.Mirè delirat hoc loco Accurſ. dum duos eſſe facit Pręfectos vigilũ,cũ re vera nõ niſi vnus ſit de quo & Paul. hîc & Pomponius ſuperius loquutus eſt,de orig.iu.l.ij.§.& hęc omnia. De hoc quoq; pręfecto vigilũ,pauca quędã ſcribit Alex.ab Alex.lib.III.gen.dier.c.XVI. Non fuiſſe huic poteſtatẽ ſeuerius animaduertẽdi inter omnes cõſtat.l.vnica.C. e.& l.fi.hoc ti.Quidã tamẽ exiſtimant, potuiſſe eum in ſeruos vſq; ad mortem animaduertere.ar.l.fi.infrà de cõd.cau.da.quod verum puto. Sed merũ hoc imperium in omnes cur nõ & huic Pręfecto datũ ſit,magno negotio quęrit Albe. hîc,& in l.illicitas.§.qui vniuerſas.de off.Preſ.Vera ratio eſt, extra ordinẽ cõſtitutũ eum,nõ tanquàm magiſtratũ cognoſcere, ſed per noctẽ & tenebras ſecuritatẽ duntaxat pręſtare,donec luxerit.d.§.& hęc omnia.& l.iij.hoc ti.Ideò ſatis ſupérq; permitti ei viſum eſt,ſi humiliores modò caſtigare poſſet,iudicij forma non

ma nõ ſeruata, vt ego interpretor, eos ſcilicet quos vel noctu deprehenderit, vel nocte nõ deprehenſos, per lucẽ demũ inueſtigauerit. Et hoc eſt quamobrem de ſolis furibus, effractoribus, & incendiariis cognoſcat. nam nõ alij magis per noctem delinquunt, & ciuitatis velut quietem conturbant. Hos Præfectos hodie in Italia Bariſellos, in Gallia Subuigerios & Subuicarios appellant.

## *DE OFFIC. PROCONSVL. ET LEGA.* TIT. XVI.

SCRIPSERVNT multi ex veteribus Iuriſconſ. libros, de offi. Proconſ. & Rectorum Prouinciarũ. Ex his compoſitus eſt hic & ſequens tractatus, qui de officio Præſidis inſcribitur. Sunt & alij duo in primo Codicis libro: alter, de officio Procõſulis, & legati: alter, de officio Rectoris prouinciæ: &, vt nulli patriæ ſuæ adminiſtratio ſine ſpeciali permiſſu Principis permittatur. Hos qui bene & diligẽter legerit, ac memoriæ mãdauerit, vtilitatẽ vel maximã capiet. Nã pleraq; in vniuerſum ad regẽdas & adminiſtrãdas prouincias pertinẽtia, ſub his tit. cõprehẽſa ſunt. Alia inſuper valde vtilia & ſcitu digna cõgeſſit Imperator in ſingularem cõſtitutionẽ, quã inſcripſit. *Præcepta Præſidum*, quæ inter nouellas ſanctiones habetur. Si quis tamẽ adhuc etiã plura deſiderauerit, is Epiſtolã Cice. legat eã, quã ſcripſit ad Q. Fratrẽ, Aſiã Procõſule tũc obtinentẽ. Multa enim copiosè, vt cętera, diſſerit Cice. in ea Epiſtola, quibus obſeruatis, regẽdarũ prouinciarũ peritiſſimi effici poterimus. Deligi cõſueuiſſe ex cõſularibus Proconſules, eóſq; in prouincias illas mitti, quarũ cura Senatui relicta eſſet. Ab Imperatoribus autẽ in prouincias illas, quarũ ſibi curã ſuſcepiſſent, Pręſides vel legatos deſtinatos eſſe, interdũ Senatorij, nõnunquàm inferioris ordinis viros Alcia. ſcribit, in l. ſpecioſas. de ver. ſig. Id vetũ eſſe, & qua ratione, quóq; ordine ab Auguſto primùm inſtitutũ fuerit, apud Dionem legas, lib. LIII. Hiſtoriarũ. Inſcribitur Rubrica hîc & libro I. Codicis. *De officio proconſulis & legati.* Cęterùm nouella conſtitutio CXXXIIII. cui titulus eſt: *Vt nemini iudicum liceat habere loci ſeruatorem.* Prouinciales Magiſtratus in vniuerſum prohibet in prouincijs ſibi creditis vicarios inſtituere. An ergo legatos habere poterũt, quęri poteſt, & poſſe arbitror, qui ſcilicet Procõſulibus ipſis adſint, vel ab ipſis ad res gerẽdas pro tẽpore deſtinentur. Sed nõ vicarios illos, quos tunc tẽporis vſurpata cõſuetudine in ſingulis ciuitatibus ob auaritiã inſtituere ſtudebãt, hoc ſignificat illa cõſtitutio. Nec enim legitimũ & antiquũ adiutorẽ adimere voluit Pręſidi prouinciæ Imperator, ſed corruptum duntaxat morẽ tollere, & velut inueteratũ morbũ ſanare.

### L. II. MARCIA. LIB. I. INSTIT.

OMNES PROCONSVLES, *Statimquàm vrbem egreßi ſunt, habent iuriſdictionẽ, non tamen cõtentioſam, ſed voluntariã: vt ecce manumitti apud eos, &c.* An in homines dũtaxar prouinciæ ſuæ, an omnino in omnes habeãt hãc iuriſdictionẽ quęritur? Ego puto in oẽs. arg. l. emãcipari. ſuprà de ado. Notãdus eſt loquẽdi modus, ſtatimquàm, pro eo ꝙ frequẽtius dicitur, ſtatimquum, & fortaſſe initio ita ſcriptũ fuit.

APVD *Legatum verò Proconſulis nemo manumittere poteſt.* Opinionẽ Rogerij probo, vt quæ hîc dicũtur, intelligamus ſecundum ſuperiora, videlicet quandiu Proconſul in prouinciã nõ peruenerit. Ratio eſt in promptu: quia nec antè poteſt Procõſul legato mãdare iuriſdictionẽ. Cùm verò in prouinciã peruẽtum

eſt, & legato mandata fuerit iuriſdictio, tunc & manumitti poſſe, atque adoptari, & legis actionem apud legatum eſſe arbitror. l. apud Proconſulem. de manumiſſis vindicta. arg. l. pen. infra eo. Eandem ſcilicet quæ apud ipſum Proconſulem in iuris dicendi munere, quamuis non eodem modo. Nam Proconſuli quidem propria eſt legis actio & iuriſdictio, legato autem aliena & quaſi precaria. Non ſolet tamen Proconſul inconſulto principe adimere legato ſuo iuriſdictionem. l. ſolent. §. j. infra eo. qua de re plenius modò dicturi ſumus in l. legatus. infra eod. titu.

L. IIII. Vlpianvs Lib. I. De Offic. Procons.

OBſervare, &c. Nemo proconsvlvm statores *ſuos habere poteſt, ſed vice eorum milites in prouinciis funguntur.* Statores rectè legi arbitror, nō, ſtratores. Itaque etiam legendum titulum, lib. xii. Codicis. De ſtatoribus, vt idem Haloander emendauit, quod & Alciatus videtur exiſtimaſſe, in annotationibus ad dictum titulū. Statores autem intelligendos puto, quos alibi milites ſtationarios appellari vidimus. l. j. §. quies quoque popularium. ſuprà de offi. præfect. vrb. à ſtationibus in quibus manentes, Præſidibus præſto eſſent, ad varia officia, potiſſimùm tamen ad edicta, & epiſtolas perferendas: vt cognoſcitur ex Cicerone lib. ii. Epiſtolarum Familiarium. Literas tuas mihi ſtator tuus reddidit, &c. Hodie Florentiæ Tabulatinos non abſimili ratione vocant. Romæ Curſores, & Mandatarios. Senſus eſt, non debere Proconſulem hos eligere, de numero ſuorum, ſed ſtationariis militibus, ad hæc officia ſibi deſtinatis vti. Nec repugnat, vt Accurſius exiſtimauit, quòd his de publico, certa merces conſtituta ſit. d. l. j. C. de ſtator. Hîc enim nihil aliud agitur, niſi vt admoneamur, nō debere Proconſulem habere ſtatores proprios, & velut priuatos, dùm fortè vti vult domeſticis, aut familiaribus ſuis ad hæc miniſteria, ſed publicis perſonis huic muneri vacare aſſuetis, vti debere. Hoc intuitu ſcriptum eſt à Paulo, præſidis prouinciæ officiales perpetuos eſſe. De talibus enim quibuſdam Paulus loquitur. l. præſidis. ſi cer. pet. Sic inferiores magiſtratus, ſecum ducere nō poſſunt Cancellarios & domeſticos, ac nec aſſeſſores quidem, vt apparet: verùm his vti debent, qui ſibi præpoſiti ſint à Decurionibus ciuitatum. l. nullus. C. de aſſeſſ. Quin ea potiſſimùm huius prohibitionis ratio eſſe videtur, quia publico ſalario hi omnes fruuntur: ne minus idoneos quandoque proponerent, Rectores ipſi, alicuius affectionis, aut priuati commodi cauſa, quod & infrà pleniùs attingemus. l. fin. de aſſeſſ.

L. VI. Vlpianvs Lib. I. De Offic. Procons.

SOlent, &c. Sed hoc genvs mandati extraordinarium *eſt.* Accurſius interpretatur ſpeciale. Ego vtilitatis cauſa receptū potiùs, quàm ſtricto iure agnitū, intelligi velim. Eodē ſenſu & proximo cap. accipiēdū puto, extra ordinē ius dicere, & vbicunq; extraordinariā animaduerſionē, aut pœnā imponi legimus. l. fi. de fur. cū ſi. Sic etiā accipiendū quod dicitur, in exercitatione publicorū iudiciorū hodie extra ordinē probari crimina. l. ordo. infrà de pub. iu. Id eſt ènim, vt ego interpretor, omiſſis antiquis ſolēnibus, et ſuperſtitioſis veterū iudiciorum

ſcrup

ſcrupuloſitatibus. Iudicia denique omnia hodie extraordinaria eſſe, non alio intuitu dictum puto. Inſt. de interd. §. fina. Nam vt legatus proconſulis cauſas criminales audire poſſit, hoc magis ex Imperatoris benigna conceſſionem habet, quàm ſtricto iure ciuili. l. j. C. eo. tit.

N E C *Enim poteſt quis gladij poteſtatem ſibi datam, vel alterius coërtionis ad alium transferre.* Ego indiſtinctè accipio, quomodocunque poteſtas data ſit, hoc eſt, ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter, ſiue lege, ſeu qua alia iuris parte. Sed etſi commiſsi magiſtratus autoritate ac iure, ſeu principis delegatione generali, vel ſpeciali competat, idem dicendum puto. Ac nec ſi proficiſcatur quidem, Proconſul, aut Præſes, licere eis exercitationem iuris gladij mandare arbitror, quamuis legis Iuliæ exercitatio à proficiſcente mandari poſsit. Nam pœna illius legis nō eſt gladij animaduerſio, vt pleniùs mox dicemus, in l. j. de of. eius.

L. VII. Idem Lib. II. De Offic. Procons.

SI IN ALIQVAM, &c. CVM PLENISSIMAM AVTEM *Iuriſdictionem proconſul habeat, omnium partes, qui Romæ, vel quaſi magiſtratus, vel extra ordinem ius dicunt, ad ipſum pertinent.* Extra ordinem Romæ ius dicebant, hoc eſt, non tanquàm magiſtratus, Præfectus annonæ, & Præfectus vigilum, l. ij. ſanè Præfectus. ſuprà de orig. iur. l. fin. de off. præfect. vig. Suetonius quoque hoc ſenſu in Veſpaſiano ſorte eligit, per quos rapta bello reſtituerentur, quíque iudicia centum viralia, quibus peragendis vix ſuffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigeréntque ad breuiſsimum numerum.

L. IX. Idem Lib. I. De Offic. Procons.

NEC QVICQVAM, &c. VBI DECRETVM NECESSArium *eſt, per libellum id expedire Proconſul non poteſt.* Accipiendum hoc pronunciatum eſt, de ſimplici libello, quem hodie vulgò ſupplicationem vocant. Nam huic ſubſcribendo, nō poteſt, nec debet Proconſul ea expedire, in quibus cauſæ cognitio neceſſaria eſt: qualia ſunt decreta in alienationibus rerum minorum, dationes, vel excuſationes tutorum, & ſimilia. Nec alio ſenſu accipiuntur tituli illi in Codice conſtitutionum, quando libellus principi datus litis conteſtationem faciat. Et de precibus Imperatori offerendis, ſenſum huius capitis hunc verū eſſe, etiam duobus exemplis, vno ab Imperatore, altero ab Vlpiano ipſo relatis manifeſtè comprobatur. l. minorum. C. de pręd. min. l. excuſare. de excu. tut. Hodie nulli ferè non nota huius reſponſi ſententia, quamuis antiquiores difficillimam eam omnium exiſtimauerint.

D E *Plano autem Proconſul poteſt expedire hæc.* De plano fieri aliquid dicitur ad differētiam eius, quod fit pro tribunali, quicquid Accurſius commentetur. Marcellus. l. j. §. abolitio. ad Senatuſcon. Turpil. Abolitio priuatim à Præſide poſtulari & impetrari ſolet. Item pro tribunali, non de plano, Paulus quoque. l. vnius. §. fin. de pœnis. Cuſtodiæ non ſolùm pro tribunali, ſed & de plano audiri poſſunt, atque damnari. Scribit Bartolus ad nouellam Fęderici conſtitutionem extrauag. ad reprimendum. in verbo, de plano, multa huc pertinentia, copioſéq; oſtendit, quę cauſę de plano expediri poſsint, quę non. Reminiſcendum

etiam hoc loco cauſas quaſdam antiquitus fuiſſe cognitionis, quaſdam ordinarij iuris. Cognitionis eſſe dicebantur, quæ proconſul, aut princeps extra ordinem audiret: ordinarij iuris, quæ ſolemni iudiciorum more, ſtatis temporibus agebantur, qua de re Alciatus ſcribit, lib. VI. παρέργων. c. V. & lib. IX. cap. XXIII. Remanent hodiéque huius differentiæ veſtigia in iure noſtro, non pauca, ipſa tamen differentia ſublata eſt. Nam cùm omnia iudicia facta ſint extraordinaria, videntur hodie ad cognitionis potiùs, quàm ad iuris ordinarij ſpeciem pertinere. Inſtit. de interd. §. fina.

QVAE *Etiam omnium Præſidum communia ſunt, debent & ab his obſeruari.* Ita corrigit Haloander. Sed magis placet vetus ſcriptura, & debent ab his obſeruari, à præſidibus videlicet, cùm ſint eis communia cum proconſulibus.

L. XII. PAVLVS, LIB. II. AD EDICTVM.

LEGATVS MANDATA SIBI IVRISDICTIONE, IVDICIS *dandi ius habet.* Antiquiores addiderant negationem, quia alibi legerant, à iudice iudicem datum, iudicis dandi ius non habere. l. à iudice. C. de iud. Idem eſſe rati iudicem dare, & mandare iuriſdictionem, ſed deceptos eos conſtat: cùm & alibi ſine negatione hæc ſententia relata ſit. l. cùm Prætor. §. j. infrà de iudic. & ratio hoc ſuadeat, vt mandata ſibi iuriſdictione, poſſit legatus iudicem dare: nam iuriſdictio etiam dandorum iudicum licentiam continet. l. j. & l. imperium. de iuriſdictio. om. iud. Adde quòd nec in Pandectis Florentinis reperiri negationem teſtatur Auguſtinus lib. j. Emend. cap. III. Igitur ſciendum eſt, aliud ſignificare, iudicem dare, aliud, iuriſdictionem mandare. Iuriſdictionem porrò & ius dicendi, verbum, propriè ad ciuilia, non ad criminalia pertinere, vt ex Cicerone & Pędiano Aſconio tertia in verrem actione cognoſci poteſt, quę inſcribitur, de iuriſdictione. Et quidem mandare iuriſdictionem, eſt quaſi vicarium officij ſui diſceptandis, ac diiudicandis ciuilibus cauſis ſubſtituere. Quod cùm faceret, ſolebat Prætor, vel Pręſes arbitratu ſuo deligere eum, cui iuriſdictionem mandaret. Plerunque autem mandabat legato ſuo, vt dicam in interpretatione ſequentis capitis. Et quanquàm vel ad vnam cauſam tantùm, atque inter certos litigatores, puta, Lucium & Sæium mandari poſſit iuriſdictio. l. ſolet. l. Prætor. infrà de iuriſdi. om. iud. frequentius tamen obſeruatum videtur, vt generaliter in omnes cauſas, aut in plures quaſdam eiuſdem generis perſonas mandaretur. Credo quòd ea res minus afferre poſſet ſuſpitionis. At iudices inter certas perſonas, & ad certas controuerſias ciuiles ſcilicet & pecuniarias, conſtituta etiam plerunque, & deducta ad certum ſtatum atque articulum cauſa, nominatim dabantur: vt puta, inter Lucium & Caium iudicio finium regundorum, vel iuris diſceptationi, vel nudæ etiam facti cognitioni: vt niſi hoc, aut illud factum eſſet, quæreretur: quod iudicium in hæc, aut in illa verba, dare, vel conſtituere dicitur. Hi & iudices & diſceptatores dati dicebantur. l. placet. ij. C. de ped. iud. Pedanæi quoque appellantur, vt mox recenſebimus, in l. j. de off. eius. Legebántque inito ſtatim magiſtratu, prętores magnum numerum eorum, quos iudices litigantibus, prout quibuſque cauſis expedire arbitrarentur, darent, vt Aulus Gellius ſignificat, lib. II. cap. XIIII. Ho. & Atti. Addit Coraſius lib. III. Miſcel. cap. XIII. etiam ex

centum

centum viris,quibus præerant Prætores iudices ſæpenumero dari conſueuiſſe, quod & verum puto.Hi tamen iudices non prætoris arbitratu,ſed vel ſortitione antiquo ritu(de quo Aſconius Pædianus & Seruius in illum locum Virgilij, *Quæſtor minus vrnam mouet*,&c. Plinius quoque in Panegirico ad Traianum,multa ſcribunt)vel ipſarum partiũ litigantium approbatione atque vnanimi petitione dabantur.arg.l.ij.§.j.& l.obſeruandum.de iud.l.ex conſenſu.de appellationibus.Hāc ego cauſam eſſe puto,quamobrem in iure noſtro hi Iudices nonnunquàm appellantur arbitri.l.j.C.de ped.iud.l.ſi arbiter datus.C.de ſenten.l.fi.intrà de iudi.& quod coram eis agitur,non minus arbitrium , quàm iudiciũ dicitur.Nam & Cicero hos ipſos arbitros honorarios appellat , hoc eſt, à prætore datos.Quorum,inquit,controuerſiam ſolebar tanquàm honorarius arbiter iudicare carneades.Tum alio loco,Arbiter Holanis & Neapolitanis de finibus agri à ſenatu datus.Sed & in oratione pro Murena Iuriſcõſultis obiicit, quòd nunquam ſtatuere potuerint,iudicémne, an arbitrorum dici oporteret. & Aſconius Pædianus,arbitrium ſuſcepiſſe eum dici ſcribit,qui iudicis partes ſuſcepit.Sortitionis quoque,ſeu conuentionis,& conſenſionis huiuſce intuitu in oratione pro Cluentio ita ſcridit Cicero. Maiores noſtri neminē voluerunt ne pecuniaria quidem de re minima eſſe iudicē,niſi qui inter aduerſarios conueniſſet.Iudices igitur velut nudo interuētu prætoris à partibus ipſis,vel cõuenītibus,vel ſortientibus,tāquā arbitri ex cõpromiſſo ſumi videbantur,& vtrique ab arbitrando dicebantur,ſeu certè quòd totius rei arbitrium & facultatem recepiſſent,quæ res à litis conteſtatione originem ſumebat,vt Imperator ſcribit,auth.de exhib.reis.§.vbi verò.Nam litis conteſtatio rurſus tacita quædam conuentio erat litigatorum(quòd iudicium in hæc,aut in illa verba acciperent)promittentium Iudicis ſententiæ acquieſcere.Multùm tamen inter arbitros,& Iudices datos intereſſe apparet.Illud potiſſimùm quod ex ſententia arbitri,compromiſſorij actio hoc iure nulla oritur.l.j.C.de arbi. At ex ſententia huiuſce iudicis dati oritur.Vtrique tamen ęquè notionem duntaxat habere dicuntur.l.ait Prætor.in princ.de re iudi.non enim iudex datus iuriſdictionem habet,ſed notionem tantùm,exemplo arbitri,vt ego ſentio.arg.d.l.ait Prætor.l. notionem.de reg.iur.quod & Alciatus probat,lib.11.parad.ca.1111.& nos aliis argumentis inferius confirmabimus.l.fin.in princ.de offi.eius. delegatus verò iudex quem nunc vocamus,is videlicet,cui vel generaliter,vel ſpecialiter mandata eſt iuriſdictio,iuriſdictionem vtique habere intelligitur,quamuis Alciatus lib.11.parad.c.1.in fin.inter hunc cui ad vnam cauſam mandata eſt & iuriſdictio,& iudicem datum nihil omnino intereſſe putet: hanc enim opinionem falſam eſſe ratio euincit.Qui hæc quæ hactenus diximus,recte teneat , poterit is,vt arbitror,intelligere loca iuris noſtri quædam,hactenus,vt videtur,non ſatis cognita.d.l.ait Prætor,in princ.& l.à diuo Pio,de re iud.totum titulum, qui & à quibus appellandum ſit.l.notionem.de verb.ſigni.l.j.C.de ped.iud. Nos ea ſuo quæque loco annotabimus. Dixi ſanè iudicem dari conſueuiſſe in cauſis ciuilibus & pecuniariis duntaxat,propterea quòd crimini cognoſcendo & publicè vindicando iudicem datum nunquam inuenimus. Quamuis mandatam ad id quandoque iuriſdictionem legamus. Nam iudices,quos antiquitus ſor-

tiebatut Prætor, iudex quæſtionis criminalis, non iudices dati, ſed in conſilium adhibiti dicebantur. Apparet hoc in iure noſtro, vbicunque iudicis dati mentio fit. Eſt enim ſemper de ciuilibus cauſis, non de criminalibus. Idem ſignificat & Plinius ad Arianum lib. 11. epiſtolarum. & lib. 1111. ad Vrſinum, epiſtola 1x. quicquid Budæus alirer ſentire videatur, in l. vltima. de ſenatoribus. circa medium. Ita enim loquitur Plinius in illis epiſtolis, quaſi iudices propriè æſtimandis litibus darentur, etiam ſi damnum, aut pecuniaria pœna ex criminibus peteretur. Senatus autem cognitionem retineret, vbicunque grauius aliquid in reum ſtatuendum eſſet. Nunc in propoſito haud mirum videri debet, ſi Proconſulis legatus, cui ſcilicet iuriſdictio iam mandata eſt, iudicem dare poteſt, quamuis mandatam iuriſdictionem minimè in alium transferre poſſit. l. fin. in princ. de offic. eius. l. more maiorum. de iuriſdict. om. iudi. Non enim iudicem dando, iuriſdictionem à ſe abdicat legatus, aut in alium transfert, ſed notionem tantùm, vt oſtendimus, & litigatores quodammodò conſentientes ad eum quem dat iudicem remittit: quod potiſſimum eſt iuſdicentis munus, vt ſcilicer aut ipſe iudicet, aut per alium iudicari curet. d. l. j. de iuriſ. om. iud. Eadem ratio eſt, quamobrem nec iudex datus, alium rurſus iudicem date poteſt, preterquàm ſi à Principe datus fuerit. l. à iudice. C. de iudicijs. quia ſcilicet à Prætore iudex datus iuriſdictionem non haber, quæ in dando iudice potiſſimùm requiritur. at à Principe datus habet, quia ſcilicet hîc nec ſolemni ſortitione, nec partium approbatione deligi ſolet, ſed principis arbitratu quod tam nouæ Iuſtiniani conſtitutiones. l. fi. C. vbi & apud quē cau. in integ. reſt. l. rem non nouam. & l. cum ſpeciali. C. de iud. quàm Rómanorum Pontificum decretales epiſtolæ oſtendunt. tit. de reſcript. & tit. de officio iudicis delegati. Nec me fugit Ciceronem in oratione pro Q. Roſcio, iudicium certæ pecuniæ eſſe dicere, arbitrium incertæ. Iudicium cùm an debeatur, arbitrium cùm quantùm debeatur quęritur. multaque in hanc ſentētiam diſſeruere, quaſi id, declarando, de quo in oratione pro Murena dubitat. Sed animauerti paſſim hæc confundi, iudiciumq́ue & arbitrium indifferenter dici, & ſi non de ſumma quantùm debeatur, ſed de iute an omnino debeatur, quæſtio ſit. Hæc ad huius capitis explorationem ſufficere arbitror. Reliqua ad hanc materiam pertinentia dicemus in aliorum locorum expoſitione.

### L. XIII. Pompo. Lib. X. Ad Qvint. Mvcivm.

LEGATI PROCONSVLIS NIHIL PROPRIVM HABENT, *niſi à proconſule eis mandata ſit iuriſdictio.* Cùm ea ſit natura illius particulæ, Niſi, vr in caſu excepto concludat contrarium eius quod propoſitum eſt, puto ego hîc legendum eſſe, *nec ſi à Proconſule, &c.* Nam & ſuperius, in l. ſolent. §. ſicut. dixit licere Proconſuli adimere legato ſuo iuriſdictionē, dum tamen conſulto Principe id faciat, ſi poteſt legato adimi iuriſdictio à Proconſule, certè nequaquàm ei propria eſt. Nam germana ſignificatio illius verbi, proprium, eſt, vt aliquid ſic noſtrum eſſe ſignificemus, vt auelli à nobis non poſſit: quo ſenſu Virgilius.

*Nimium*

*Nimium vobis Romana propago*
*Viſa potens ſuperi propria hæc ſi dona fuiſſent.*

Id eſt, perpetua & manſura:& inferius multis locis clarè expreſſum eſt, legatum etiam mandata iuriſdictione propriam eam non habere, ſed eius qui man dauit munere ac vice fungi.l.j.§.j.l.& ſi Prætor.de off.eius.l.ſolet.& l.ſeq.de iur. om.iud.nec diuorũ Seueri & Antonini reſcriptũ.l.cognitio.§.cùm propriam. de off.eius.huic interpretationi obſtat, vt cùm eò venerimus, explanabimus. Nam quod Accurſius hîc initio de legatis futuris exponit, ſubfrigidum eſt, quaſi mandata demum iuriſdictione, legatus eſſe incipiat quis Proconſuli ſuo, falſum enim hoc eſt.Nam legatus eſſe Proconſuli ſtatim quum ab eò adſcitus eſt, incipit:poteſtque in aliis muneribus ac rebus, puta, bellicis, aut tributariis, munus ſuum exercere, quamuis mandata ei nondum ſit iuriſdictio. Quòd ſi textus non ſit corruptus, neceſſariò dicendum arbitror, verbum illud propriũ, exceptioni implicitum, pro eo quod eſt, certum, hoc loco ſumi debere: quo ſenſu & Virgilius dixit.

*Hunc mihi da proprium virgo ſata nocte laborem.*

Vt ſignificet nullum eſſe certum legati munus, niſi mandata demum ei iuriſdictione.Quare interim legatus quidem erit, ſed ea tantùm exequi poterit, quæ ſibi ſigillatim ac ſpecialiter à Proconſule mandabuntur, donec iuriſdictio mandata fuerit.Et hoc magis placet.

L. XIIII. VLPIA. LIB. XX. AD LEG. IVL. ET PAP.

PROCONSVLES NON AMPLIVS QVAM SEX FASCIBVS *vtuntur*. At Conſules vtebantur duodecim.Prætores verò Romæ duobus vſos apparet.Cicero contra Rullum ad populum, de Campanis Magiſtratibus.Quum cæteris in coloniis Duumuiri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebãt. Et paulò pòſt, deinde anteibant lictores, nõ cũ bacillis, ſed, vt hîc Prætoribus ante eunt, cum facibus duobus.Plau.in Epid.Ius dicis.Ep.Me decet.reſp.Iam tu igitur nobis Prȩturam geris? Ep. Quem dices digniorem eſſe hominẽ hodie Athenis alterum? Teſp.At vnũ à Prætura tua Epidice abeſt.Ep.Quidnã? Teſp.Scies, lictores duo, duo viminei faſces virgarum.Nam Athenarum mentio fit, quia rem geri Athenis adſimulatur.qua tamen in vrbe lictorum & faſcium vſum tunc temporis non fuiſſe conſtat.Sed facetum exprimit Plautus, alludens ad Romanam conſuetudinem.Cornelius Tacitus lib.11.de Germanico. Hinc ventum Athenas, fœderique ſociæ & vetuſtæ vrbis datum, vt vno lictore vteretur. Alex.tamẽ ab Alexandro lib.11.gen.dierum.c.xv.ſcribit, Prætores ſex lictoribus Romæ cum faſcibus.At in prouinciis ſibi decretis etiam cum ſecuribus vſos eſſe. Cuius rei nullum, vt moris eius eſt, autorem citat.ſcribit L.Florus in epitho. Liuij. Syllam Dictatorem cum faſcibus xxiiii.proceſſiſſe, id quod ante eum nemo fecerat.

L. XV. LVCINIVS RVFINVS. LIB. III. REGVLARVM.

ET LEGATI PROCONSVLVM TVTORES DARE POSSVNT. Quia tutoris datio nec iuriſdictinis eſt, nec imperij.Sed ei ſoli competit, cui nominatim à lege, aut ſenatuſconſulto, aut à Principe id iuris conceſſum eſt, vt tutores dare poſſit.l.muto.§.tutoris.infrà de tutelis.ideò non

poterant legati Proconſulum tutores dare,quamuis mandata eis eſſet iuriſdictio:nam imperium quidem per ſe non habent.Mandata autem iuriſdictio nõ pertinet ad hanc facultatem. Primus igitur diuus Marcus oratione ſua legati Proconſulum & quibuſdam aliis vt iuridico Alexandriæ ſpecialiter hoc conceſſit,vt tutores date poſſent.l.j.infrà de tuto.& curato.datis ab his.l.ij.de offi. iurid.Alex.Hoc ergo eſt quod hîc quoque refertur,legatos Proconſulum tutores dare poſſe,quod exaudiendum eſt,ſpeciali iure per dictam orationem eis indulto.Sed an mandata demum eis iuriſdictione,an & antequàm mandetur tutores dare poſſint,quæritur. Ego puto nõ niſi poſt mandatam iuriſdictionem, hoc eis permitti.arg.ſuprà eod.titu.l.legati. & l.cognitio. §.cùm propriam. infrà de officio eius.

### L. XVI. Vlpia. Lib. II. Ad edictvm.

Proconsvl portam Romae ingressvs, deponit *imperium.* Imperium hoc loco accipe,inſignia imperij, quibus non ſolùm proficiſcens,verùm etiam decedens in itinere Proconſul vtitur.arg.l.j.ſuprà eod.hoc enim ſignificat verbũ illud, *deponit.* & Accur.quoque idem probat.Nam paulò pòſt de off. Præſ.l.iij.ex ſententia Pauli dicturus eſt.Pręſidẽ ſimul atque Prouincia exceſſit, priuatum eſſe.quò fit vt verum & ſolidum imperium interim non habeat, ſed imaginarium & fictum. Hoc ipſum ergo eſt quod vrbem ingreſſus deponit. Quod verò Accurſius putat hîc in glo.& voluntariam iuriſdictionem Proconſulem retinere,quoad in vrbem peruenerit,ego verum non arbitror.arg.l.ſi fortè.infrà de off.Præſidis.Nec mouet me quòd proficiſcens, etiam antequàm in Prouinciam peruenerit,iuriſdictionem huiuſmodi exercere poteſt.l.ij.ſuprà eo. non enim par ratio eſt decedentis Proconſulis & proficiſcentis. Proficiſcenti magis fauendum fuit,& prouincialium deſideriis velut obuiã eundũ. Decedẽti ſatisfactũ videri poteſt,quòd in vrbem vſq;,inſignibus ſuis vti ei permiſſum eſt.

## *DE OFFICIO PRÆFECTI AVGVSTALIS.*

### Titv. XVII.

Evndem titulum habemus & lib.primo.C.ac ſub eo duas conſtitutiones, quarũ poſteriore non præfectus Auguſtalis,ſed præfectus prætorio Auguſtali, legitur,quãuis in aliquibus libris verbũ illud, *Prætorio*,non reperiri Haloander adnotet.Sed vtvt res ſe habeat,eundẽ vtiq; ſignificari arbitror, quemadmodũ & Præfectus Orientis,Africæ,Illyrici, nonnunquam legitur,qui tamen ſæpius Præfectus prætorio Oriẽtis,Africæ,& Illyrici appellatur.Indicant duæ illæ conſtitutiones,prouinciarũ quarundã moderatores,& iudices ordinarios huic præfecto ſubeſſe.Hoc etiã Imperatoris noſtri nouella cõſtitutio demonſtrat.auth. de appell. §.illud. Nã appellationũ cauſas ab Ægyptiaco tractu,& ei adiuncta vtraq; Lybia,ad præfectũ auguſtalẽ defferri iubet. Quomodò ſcilicet,& præfecto prætorio Africæ quoſdã præſides ſubeſſe poſteà voluit.d.l.j.de off.præfec. præt.Afri.Nunc ſpectabilẽ dictũ,ſuperius oſtẽdimus,in Rub.de Senat.Et quanã atione ſic dictus fuerit,expoſuimus.Vera origo & cauſa huius præfecti conſtituendi,dandique ei lege ſub Auguſto lata,imperiũ ad ſimilitudinem proconſulum

ſulú,id quod initio ſtatim refertur,ea videtur fuiſſe,quòd ſuperſtitione quadã, ſeu certè ſuperſtitionis velamento inſita prouidẽtia deterritus fuerit Auguſtus, & ante Auguſtũ ſenatus,ne proconſulares faſces in Ægyptũ mitterent,vt Spartianus in vltimo xxx.Tyrãnorũ ſcribit,& Cornelius Tacit.illis verbis demonſtrat,lib.11.Annal.Nam Auguſtus inter alia dominationis arcana, vetitis niſi permiſſu ingredi ſenatoribus,aut equitibus Ro.illuſtribus(id eſt,vt ego interpretor,qui honoribus vſi eſſent)ſepoſuit Ægyptũ,ne fame vrgeret Italiã, quiſquis eam prouinciã clauſtraque terræ ac maris,quãuis leui præſidio aduerſum ingentes exercitus inſediſſet.Hactenus Tacitus.Ob hanc igitur cauſam,in prouinciæ formã redacta Ægyptus nõ eſt:Nec ſenatores hunc magiſtratũ accipere cõſueuerunt,ſed equeſtris ordinis viri,quemadmodũ & iuridicus Alexãdriæ ex his creari ſolitus,& ſi qui alij per Ægyptũ adminiſtrationes gererent,quod idem Tacit.lib. x11.ſignificat. Nã diuus Auguſtus,inquit,apud Equeſtres qui Egypto præſiderent lege agi,decretaq; eorũ perinde haberi iuſſerat,ac ſi magiſtratus Romani cõſtituiſſent,& paulò pòſt,Claudius omne ius tradidit,de quo toties ſeditione,aut armis certatũ.Cùm Sẽproniis rogationibus equeſter ordo in poſſeſſione iudiciorũ locaretur,aut rurſum Seruilię leges ſenatui iudicia redderent.Qui Ægypto præſiderent,Iuridicũ Alexãdriæ & hũc pręfectũ accipere debemus.Nã & iuridico Alexãdrię legis actionẽ datã cõſtat.l.j.infrà de of.iurid. Alex.Ex his ĩtelligere licet,quare nõ ꝓcõſul,ſed pręfect⁹ ĩ Ægyptũ,& quo exordine mittatur,reliqua huc ꝑtinẽtia,paulò pòſt explicabimus.ĩ ru.de of.iur.Alex.

## *DE OFFICIO PRAESIDIS.* TIT. XVIII.

QVIBVS temporibus iuriſconſulti,quorum ex libris Pandectarũ opus compoſitum eſt,ſcripſerunt,longè maioris dignitatis erant proconſules & Præſides prouinciarũ,quã temporibus Iuſtiniani habiti fuerunt.Nã tum quidẽ & ampliores prouinciæ fuiſſe videntur,& à præſidibus ad Principẽ,vel præfectũ prætorio rectà ibatur.Sed poſterior ætas magiſtratus quoſdã interiecit,quales præfecti prætorio Africæ,Oriẽtis,aut Illyrici,qui vniuerſas regiones ac velut Satrapias adminiſtrarent,atq; eo ipſi plerunq; accederent,remanẽte nihilominus, vt ego arbitror,alio generali ac ſupremo præfecto prætorio apud Imperatorẽ, vel certè patritiis,aut magiſtris officiorũ intendẽtibus.Prouincias præstereà exiguiores atque anguſtiores feciſſe vidẽtur,vt proximè admonuimus. Propterea non mirum videri debet,ſi nouiſſimis quibuſdam conſtitutionibus ſpectabiles præfecti,Præſidibus anteponuntur,aut non tam honorificus de Præſidibus ſermo habetur,quàm de præfectis.l.j.C.vt omnes Iud.tam mil.quàm ciui.in prin.

L. I. MACER. LIB. I. DE OFFICIO PRAESIDIS.

PRAESIDIS NOMEN GENERALE EST, EO QVOD ET *procõſules & legati cæſaris & omnes prouincias regentes,licet Senatores ſint,præſides appellãtur.* Procõſules ſemper vtiq; ex Senatoribus,hoc eſt,ex cõſularib⁹ deligebãtur,at Pręſides neceſſe erat ex Senatorib⁹ deligi.Id hoc loco voluit iuriſcõſult⁹ ſignificare.Scribit idẽ & Dion lib.L111. vbi plenius rẽ totã ab Auguſto primũ inſtitutã explicat.

IN L. II. Vide quæ ſcripſi,in l.ſi Conſul.ſuprà de adopt.

### L. III. PAVLVS. LIB. XIII. AD SABINVM.

PRAESES, &c. *Habet interdum imperium & aduerſus extraneos homines, ſi quid in alium manu commiſerint.* Ita emendauit Haloander.Nā antiquus Codex habebat,ſi quod malū cōmiſerint.Quicquid ſit,puto etſi nō manu,ſed fraude aliqua,& dolo malo,aut etiā verbis(quādo verborū magnā vimeſſe,ad veneficia creditū eſt)& ad corrūpēdos animos aliaq; permultavalēt,aut alio quocūq; modo nocitū ſit,poſſe pręſidē animaduertere,ꝓpter generālē quā ſubiicit rōnē.

### L. VI. VLP. LIB. I. OPINIONVM.

ILLICITAS,&c.§.VERITAS *rerum erroribus geſtorum non vitiatur, & ideò præſes prouinciæ id ſequatur,quod conuenit eum ſequi ex fide eorum quæ probantur.* Ponit Accurſius in principio gloſſæ ſuæ,aliquot exempla ad ſententiam iuriſconſulti maximè pertinentia.Nam verus ſenſus ėſt,debere Præſidem iudicando negotiorum veritatem ſequi, non ſi quid perperam à partibus ſcriptum,dictum,geſtum,aut factū ſit,errorem ad calumniam,aut perniciem cuiuſquam trahere atque arripere,ſic tamen vt fides veri conſtet,quod probari,ad onus eius incumbere videtur,qui errorem ſubeſſe ac rem aliter atque geſta,ſcripta,aut dicta ſit,ſe habere dicit. Sed quod idem Accur.hinc elicere conatur,non debere eum qui iuriſdictioni præeſt,ſecundum conſcientiam & religionem ſuam iudicare,ſed ſecundum allegata & probata duntaxat,id nec rectè elici nec vſquequaque verum eſſe arbitror.Fuit enim alia mens iuriſconſulti hoc loco,quam talem quæſtionē diiudicare,vt & Oldendorpius pridem animaduertit in Var.lectionibus.Nam magnam hac de re controuerſiam antiquitus fuiſſe etiam. Aul.Gell.oſtendit, lib. XIIII.noct.att.c.11. Quòd ſi hodie reuocata antiqua conſuetudine,iurare debent iudices,ſe quod iuſtius exiſtimauerint ſtatuturos.l.rem non nouam.auth.ſeq.C.de iud.iam planum eſt non poſſe iudicem contra ea quæ ipſe nouit iudicare.Ego quod in ſpecie non abſimili feciſſe ſe idem Aul.Gel.ſcribit,facere debere quēlibet iudicē exiſtimo,vt iuret ſibi nō liquere.nā iudicādi neceſſitate etiā hodie,hoc dato iureiurādo,eū ſolui apparet,niſi ex integro ſibi indulgeatur tēpus,quò melius cognoſcere poſſit.l.ſi de meis.§.fi.de arb.l.Pom.de re iud.Neq; enim hoc caſu tenebitur omnino abſoluere,vt Acc.putauit dict.ll.& arg.§.cōmodū.inſt.de interdi.Nā generaliter traditū eſt,facti quęſtionē in poteſtate iudicātis eſſe,iuris verò autoritatē,ī poteſtate legis.l.ordine.infrà ad mu.l.j.ad s.c. Tur.quod nihil aliud ſignificat,niſi iudicis arbitrio ꝑmiſſum eſſe,quātā q̄buſq; ꝓbationibꝰ fidē habeat,vt & alibi expreſſum eſt.l.eū quē.§.j.de iud.l.iij.de teſt. & ita accipere debemꝰ,quocūq; loco iudici aliq̄d ex aſpectu ꝓbari poſſe,relatū eſt.l.eadē.infrà de fer.l.minor XXV.an.adita.de mi.l.ſi irruptione.cō.di. Fatēdū tamē,ſi lege aut iure etiā de modo ꝓbationū caueatur,debere iudicē id ſeq,qđ cōſtitutū eſt,cū generaliter traditū ſit,nō aliter debere iudicēiudicare quā quomodò legibꝰ,aut moribꝰ ꝓditū eſt.inſt.de of.iu.ī prin.Quòd ſi eius poteſtatis iudex ſit,vt aliū iudicē dare poſſit,vel ſi pars à principe,aut à prętore id petat,dari aliū iudicē debere expeditū eſt gl.ma.ī c.j.de of.or.apud quē etiā teſtimonio prioris iudicis cauſa īſtrui poterit.c.dilecto.vbi caſus,de teſt.l.ob carmē.§.j.īfrà de teſti

bus

bus.Abb.in c.cùm à nobis.eo.tit. Hodie Romæ iudices à Pontifice delegati etiam leuiore aliqua de cauſa ſæpe iudicatu ſe ſoluunt, quod cauſam ad cancellariam remittere vulgo dicunt:neque enim æquum eſſe videtur,eum cogi iudicare,qui in talem aliquam perplexitatem incidiſſe ſe prætori, aut Principi ſuadere poſſit,quod ex dignitate,atque autoritate hominis non difficile accipiendum puto.arg.l.licet autem.cum duabus ll.ſequen.infrà.de arb.hoc etiam Corraſio placet.lib.IIII.Miſcell.cap.xx. Quòd ſi ſuperior poteſtas, aut Princeps huic iudici parum fidei habeat,ideoque excuſatione eius non accepta,iudicare eum cogere omnino pergat,ancipiti loco in quo variè laboratum eſt,in c.paſtoralis.§.quia verò.de offi.deleg.vbi Panor.nec appellari poſſe arbitror, ſi quidem iudicium iam receperit,quia prætor ex edicto ſuo perpetuo iudicare eum cogit.d.l.licet.& per tot.tit.infrà de arb.quo caſu certi iuris eſt,appellationem non dari,quamuis doctores noſtri hactenus haud ſatis hoc vel intellexerint,vel animaduerterint.l.ſi.infrà de appella.recip.vel non.Si verò non receperit,appellationis auxilium vtique indulgendum eſſe. Quòd ſi in proſequenda appellationis cauſa,per iniuriam ſuccubuerit,vt omnino iudicare neceſſe habeat:tunc(quando ex philoſophorum præceptis potius omnia mala. perpeti quàm iniuſtum,aut indignũ facere admonemur)magis ſecundum ea,quorum ipſe certam ſcientiam habeat,iudicare ac pœnam æquo animo perſoluere & ſuſtinere,quàm ſecundum ea quæ perperam acta ſint,decernere oportere,Panormitano,& quibuſdam aliis placuiſſe video.in d.§.quia verò.Sed ego à Publij Affricani exemplo diſcedendum non arbitror,quod refert Cicero,& probat in oratione pro Cluentio.Nam is,inquit,cùm eſſet cenſor & in Equitum cenſu C.Licinius ſacerdos prodiiſſet clara voce,vt omnis concio audire poſſit, dixit ſe ſcire illum verbis conceptis peierаſſe,ſi quis contradicere vellet vſurum eſſe eum ſuo teſtimonio. Deinde cùm contra nemo diceret,iuſſit equum traducere.Itaque is cuius arbitrio & pop.Romanus & exteræ gentes contentæ eſſe conſueuerant,ipſe ſua conſcientia ad ignominiam alterius contentus non fuit.Hactenus Cicero.Exemplum autem Affricani etiam Pontificiis decretis approbatum videtur.ij.q.j.§.quando autem crimen. Huc ſubiungi poſſet illa quęſtio,an Iudex apud quem cauſa agitur,ſupplere debeat etiam in facto,ſi quid omitti animaduerterit ab alterutra partium.nã in iure ſupplere eum poſſe admittunt omnes,ſed in facto diſtingunt,an vt iudici notum ſit,an vt priuato, vt ſub priuati perſona non poſſit,ſub perſona iudicis poſſit. Nos indifferenter & poſſe & debere iudicem etiam in facto ſibi priuatim noto ſupplere exiſtimamus:ſi quidem boni viri officio fungi velit,ne aliter contra religionem & conſcientiam ſuam iudicare neceſſe habeat,nec vllo iure hoc prohiberi, quinimò expreſsè preceptum eſſe.l.j.C.vt quæ deſ.ad.pat.vbi dixi.l.eum quem.§.j. infrà de iud.hoc etiam Affricani exemplo ſuperius recitato conuenit,modò vt cum ingenio & dignitate hoc faciat: & tam quod ipſe admonuerit, quàm quod partes dixerint, æquo animo & ſine vlla differentia affectúve apud ſe diſcuti patiatur: nam aliter aduocati potius quàm iudicis partes tenere videretur, quod iuri publico non conuenit.l.quisquis. Codic. de poſtulationibus.

Illicita *miniſteria ſub prætextu adiuuantiū militares viros procedētia, &c.* Militares viros puto hîc appellari,cohortem exequutorum, quos vulgò birros vocamus,& miniſteria illicita intelligi,quos illi ſecum ducerent,quaſi pauciores exequutionem facere non poſſent:item exploratores & ſicophantas, quibus ad concuſſiones faciendas quandoque vterentur,non inuſitata etiam hodie in quibuſdam Italiæ vrbibus corruptela.

Sicvti *medico imputari euentus mortalitatis non debet:ita quod per imperitiam commiſit,imputari ei debet, &c.* Sed qua pœna punietur?Reſpon.olim pu niebatur:vt ſcribit Paul.lib. v.ſent.recep.his verbis,ſi ex eo medicamine, quod ad ſalutem hominis,vel ad remedium datum erat,homo perierit, is qui dederit,ſi honeſtior fuerit,in inſulam relegatur, humilior capite punitur.Hodie arbitrio Præſidis hoc relictum eſt,vt ſequentia verba ſignificant,quod iuſtius eſt vt variè ex perſonis cauſiſque & morborum generibus ac circunſtantiis ſtatuat.Hoc etiam in omnibus delictis obtinet,vbicunque ſpecialis pœna legibus non eſt impoſita, vt arbitrio præſidis pœna ſtatuatur.l.prima. vbi Bartolus, de effract. §. primo.

§. Qvi *vniuerſas prouincias regunt,ius gladij habent, & in metallum dan di eis poteſtas permiſſa eſt.* Lege Valeria à Valerio Publicola primùm lata.Hæc non lege Portia & Semproniis rogationibus antiquitus prohibitum fuit, ciues Romanos vinciri,verberari,necari,aut quocunque ſupplicio affici iniuſſu populi.Soli conſuli permiſſum erat,vt coërcere & in vincula publica duci iubere poſſet:non tamen vt in caput ciuis iniuſſu populi liceret ei animaduertere.l.ij. §.exactis deinde regibus.ſuprà de orig.iur.vbi Zaſius.præſertim ſi ad populum prouocaretur.Nam de prouocantibus loquebatur lex publicolæ,vt Dioniſius eam refert.lib.v. Roma.Antiq.Centuriatis autem comitiis de capite ciuis apud populum agi oportuiſſe,& quis ordo iudicij eius eſſe conſueuerit,ſcribit Cicero in oratione ad Pontifices,pro domo ſua.& Plutarchus in vita Gracchorum. Hinc actio illa nobiliſſima eiuſdem Ciceronis,in C. Verrem, quæ inſcribitur, de ſuppliciis,quæ ſcilicet ille in Siciliam Præturam gerens contra ius faſque de Ciuibus Romanis ſumpſiſſet. Denique ipſe Cicero non alio magis obiecto crimine in exilium pulſus eſt,quàm quòd ciues Romanos conſul necari iuſſiſſet,quamquàm decreto & conſulto ſenatus id fecerat, ſed indennatos necaſſe arguebatur,quòd videlicet populus de his non iudicaſſet. Durauit hoc priuilegium Ciuium Rom.etiam in tempora Imperatorum.Nam in actis Apo ſtolorum legitur, diuum Paulum tormenta,quæ ſibi à Tribuno intentabantur,vitaſſe:cùm Ciuem Romanum ſe eſſe dixiſſet,Tribunum etiā ſibi timuſſe, quòd eum vinxiſſet.Tacitus lib.xiiii.Cùm quidam more maiorum necandum reum cenſuiſſet,contradictum ſcribit,Carnificem & laqueum pridè abolita,& eſſe pœnas legibus conſtitutas,quibus ſine iudicū ſæuitia & temporum infamia,ſupplicia decernerentur.Hæc ſunt frequentiſſima illa pœnarū genera potiſſimùm ſub primoribus illis Imperatoribus vſurpata,aquæ & ignis interdictio,in inſulā deportatio,in mettallū,vel in opus metalli damnatio,& vt quidam beſtiis obiicerentur,quaſi in fraudē legum recepta atq; introducta. Nam his pœ

his pœnis damnati vitæ diſcrimen vtique adibant, carnifex tamen & gladius ac tormenta ab eorum corporibus abſtinebantur, ea videlicet reuerētia, quòd Ciues Rom. eſſent. Sed quemadmodùm libera ciuitate nimiùm multis interdū graſſantibus, vbi vel exemplo opus eſſe, vel trepidis rebus ſummo ac terrifico imperio contineri oportere animos videbatur, Dictatores creari moris fuit. Iſq; mos vt induceretur, præcipuam cauſam fuiſſe eandem legem Valeriam, Dioniſius lib. v. ſcribit, vt eſſent qui ſontes & citra populi autoritatem, etiam ſi tribuni appellarētur, aut ad populum prouocaretur, necare, & ſupplicium de his ſumere poſſent, prout ex vſu Reipub. eſſe exiſtimarent, id quod & iuris noſtri autores tradiderunt. l. ij. §. itaque dictatores. de orig. iur. l. j. de offic. præfect. præt. Alex. ab Alexan. lib. IIII. gen. dierum. cap. XXIII. ſic Imperatores poſtea quàm vniuerſi populi partes ac poteſtatem ſuſcipere, hoc ipſum ius animaduertendi in caput ciuis, aduerſus præſcripta legum, quibuſdam ſpecialiter tribuere inſtituerunt, præfecti vrbi, præfectis prætorio, legatis ſuis præſidibus prouinciarum. Quia verò dictatores vti gladio conſueuerant, gladiúmque ab his deferri, vel præferri eis moris fuit, præcipuum inſigne eorum poteſtatis atque imperij, quod Cicero in oratione pro Cluentio ſignificat, illis verbis. Non cenſorium ſtylum, cuius mucronem maiores noſtri multis remedijs retuderunt, æquè poſthac atque illum gladium dictatorium pertimeſcamus. Quanquàm & faſcibus vterentur, vt oſtendit idem Dioniſ. lib. v. prope finem. & Liuius, lib. VIII. (Non enim idem erant gladius & ſecures, quæ faſcibus inſerebantur. l. aut damus. §. j. de pœnis. nec his aſſentior, qui non de gladio materiali, ſed de intellectuali, vt vocant, Ciceronis verba accipienda exiſtimant. Nam hoc modo vitioſa comparatio, ſeu tranſlatio ſine dubio facta eſſet.) Quia gladio inquam, dictatores vti conſueuerant, ideò per antiquæ conſuetudinis veſtigia obſeruatum eſt, vt quibus principes tantam hanc poteſtatem darent gladio eos præcipuo eius inſtrumento adcingerent. Inde cingulum dignitatis dictum videtur, qua voce nihil frequentius in iure noſtro. Hunc cingendi gladij morem fuiſſe ad ſtolam ſeu cingulum militare alligati, in ſignum conferendæ poteſtatis, vt de capite militis iudicare quis poſſet, & in damnatum animaduertere, nec alij prætereà id facere licuiſſe, Dioniſ. quoque lib. LIII. ſcribit. Significatur etiam duobus capitibus in iure noſtro ſub titu. de mil. teſt. l. Titius. & l. penul. quæ pridem Viglius agnouit. inſti. de milita. teſtamento. in Rub. Idem oſtendit ſcitum illud Traiani verbum à Plin. in Panygirico relatum. Ego quidem in me ſi omnium vtilitas ita poſceret, etiam præfecti manum armaui, &c. Et quod Dion ſcribit, in vita eiuſdem Traiani, cùm Tribunatum militum Suræ traderet, parazonium quo pro dignitate accingendus erat, nudum ei porrexiſſe, dixiſſeque, Hunc enſem accipe, quem pro me ita demum ſtrinxeris, ſi iuſtè imperauero, ſin contrà, eo in perniciem meam vtitor. Nam & tribunis militum ac præfectis claſſium & aliarum ius gladij dabatur: vt militaria delicta coërcere poſſent, & quidem hoc intererat, quòd ab his prouocatio non erat, ab alijs erat: vt ſignificat Paulus lib. v. ſentent. recept. titu. XXVIII. & Cicero de legibus, tabula 11. poſt princi. Hodie quicunque exercitum acceperunt, eoſdem & ius animaduertendi in milites caligatos habere voluit. Iuſtinianus ex reſponſo Venulei,

l.ſolent.in fin.aliàs.§.de militibus.de cuſt.& exhib.reot. nec appellatio aduerſus horũ ſentẽtias interdicta videtur,niſi ſeditionem fecerint.l.ſi quis filio.§.quod tamen.de iniuſt.rup.l.cõſtitutiones.de appel. Extat apud Caſſiodorum.lib.vii. variarum formula comitiuæ prouinciæ, hoc eſt,vt ego interpretor,regiminis, aut adminiſtrationis prouinciæ,qua ipſos quoque quibus ea comitiua daretur, gladio armari atque inſtrui memorat.Hinc etiam nunc mos antiquus durat,vt maioribus his magiſtratibus enſis pręferatur,velut Romę Senatori Capitolino. (Is & morem & nomen hoc à præfecto prætoris duxiſſe videtur.Præfectũ enim prætorio,qui Romæ erat Senatorem populo,Gotticis illis temporibus dictum fuiſſe ſuprà annotauimus.) Præfertur gladius etiam prætoribus,quos poteſtates vocant,in omnibus ferè illuſtrioribus Italiæ ciuitatibus. Hinc ergo factum,vt ius gladij dicatur,poteſtas animaduertendi hîc.& lib.ix.Cod.Theodoſiani.titu.xxxi.conſti.j.Et honores iuris gladij,quibus hæc poteſtas accederet,Lampridio in Seuero. Hactenus de verbi ratione.Nũc de re ipſa dicamus.Gladij poteſtatem ego ſic accipiendam puto:vt Magiſtratus aliquem necare poſſit,lictoris,aut Carnificis manu adhibita.Si hoc facere non poſſit,nec merũ Imperium, nec ius gladij habere hunc interpretor:huic autem poteſtati,corporales pœnas quæ vitam non adimunt,ſic ineſſe,vt ſpecies ſuo generi.qua de re ſuo loco plenius diſſerã,in.l.imperiũ.infrà de iur.om.iu.Hæc poteſtas præſidibus prouinciarum datur.Inferioribus autẽ magiſtratibus non cõpetit,ſed ſuperioribus quoq; conceſſa eſt,veluti præfectis.arg.l.ſi quis fortè.§.fin.de pœn.l.ſaccularij.§.ſunt prætereà.de extraord.crim.l.iij.de crim.ſtell.l.ſi quid erit.ſuprà de offic.proconſ. l.j.de offic.præf.vrb. Nam ferè aut de præſide,ſeu proconſule,aut de præfecto agi animaduertas,vbicunque de intelligenda pœna corporali tractatur. Non ſola autem traditione gladij materialis, hæc poteſtas conferebatur, ſed & ſcripta principum mandata præſidibus dabantur,quibus hoc ius gladij ſpecialiter eis concedebatur.arg.l.iij.ſupra eod.l.mãdatis.infrà de pœn.l.annonam.de extraord.crim. Hæc mandata poſteà perpetua eſſe cœperunt,& pro legibus recepta ſunt.arg.l. diuus. verſ.ſed &.infrà de cuſt. & exhib.reot.Ideò paſſim apud Iureconſultos veteres ſic referuntur,vt habentia vim principalium conſtitutionum. Hodie etiam nouella Iuſtiniani cõſtitutione, quam Haloander inſcribit: præcepta præſidum, olim De mandatis principum.titulus erat.§.deinde verò. ſpecialiter hoc exprimitur,vt præſides ſupplicia ſecundum leges inferant.Nam legibus compluribus ſuppliciorum pœnas delinquẽtibus proponi neceſſe fuit, antiquiſſimarum legum tenore neglecto,ne aliter nunquam contra facinoroſos exemplum ederetur,cùm omnes imperio ſubiecti ciues ſe Romanos eſſe dicere poſſent.Quibus autem caſibus certa pœna crimini à lege non imponitur ipſorum magiſtratuum arbitrio,cauſa cognita ſtatui poſſe deſcriptum eſt.l.j.§. idcirco.de effracto.vbi Bart.Antiquitus quoq; dum Reſpub.viguit,imperium nominatim plerunque decernebatur.Inde frequentiſſima illa loquendi genera imperium,aut prouinciam cum imperio decernere,aut obtinere. Proconſulem cum imperio proficiſci,ſine imperio rem militarem adminiſtrari non poſſe.Speciali enim Senatuſconſulto,aut lege imperium dabatur. Ea propter dixiſſe videtur Papinianus,imperium quod lege datur,&c.l.j.§.verius,infra tit.iii.

Caſſiodorus quoq; loco ſuperius citato. Vide quo iudicio fueris euectus, quando alijs vigorem faſcium, videamus eſſe creditum, tibi autem ab ipſis legibus ferrum conſtet eſſe porrectum. tum lib.1. epiſtola altera ad Senatum, qua præfecturam vrbis Arthemidoro datam ſcribitur. Quanquàm, inquit, præfecturæ vrbanæ hanc poteſtatem dederint leges, nos tamē ſpecialiter delegauimus &c. Loquitur de poteſtate animaduertēdi. Nam leges quæ de ſingulis proconſulibus antiquitus fierēt, poſteà de omnibus præſidibus perpetuò ſancitæ ſunt principalibus mandatis, aut conſtitutionibus. Ex his conſtare arbitror, quod dicitur, præſides habere ius gladij, exaudiendum eſſe ſpecialiter mādatum legibus, aut principalibus conſtitutionibus, vel ſenatuſconſultis, quòd ad illos attinet, qui à Senatu mitti conſueuerāt, qui propriè proconſules dicebantur. Specialiter mandatum intelligo præſidibus omnibus perpetuò atque in vniuerſum, ad differentiam inferiorum magiſtratuum, vt puta, municipalium. Item aliorum qui præſidibus fortè in prouincijs dignitate, aut adminiſtratione pares eſſent, veluti procurator Cæſaris. Noſtra interpretatio antiquorum omnium ſententiæ conuenit, qui in l.j. infrà de offi. eius. ſpecialiter mandari conſueuiſſe merum imperium tacito quodam conſenſu admiſerunt, & verbum ſpecialiter, ſic accipiendum eſſe dixerunt, tanquàm in priuilegium & ſignum cuiuſdam præeminentiæ ac iuris præcellenti. Quanquàm non ſatis certa ratione, vt ſic dicerem, moti fuerint. Illud quoque his conſequens, vt Lotharij opinionem quam Alciatus lib.11. parad. c.vj. probat, dum merum imperium ſoli principi competere exiſtimat, veram non eſſe dicamus. Quinimo ſecundum Allonis ſententiam quam communiter ferè omnes hactenus ſequuti ſunt, etiam quibuſdam magiſtratibus merum imperium competere & eorum proprium eſſe credamus. arg. l. cognitio. §. cùm propriam. de offi. eius. l. more. de iur. om. iud. ſpecialiter tamen tributum. Enimuerò quatenus magiſtratuum creandorum cura ad principem ſpectat, hactenus ab eo magiſtratum accipiendo etiam imperium & illius exercitationem accipere videntur. Hoc vno intuitu Lotharij opinio defendi poteſt. Aliter haud quaquàm eam eſſe veram arbitror.

## L. X. Hermogenianvs. Lib. II. Ivris Epitomarvm.

EX omnibus &c. Annotat hîc Accurſius quod & ſuprà admonuit, in l. illicitas. §. qui vniuerſas. quanuis generaliter tradatur, præſidem in prouincia ſua agere omnia quę omnes Romæ magiſtratus poſſunt: non tamen permitti ei in inſulam deportare, quod tamē præfecto vrbis facere licet, ex ſpeciali indulto, quod epiſtola diui Seueri ad Fabium Silōnem continebatur. l. inter pœnas. de interd. & releg. Huius rei rationem illam eſſe putat, quod in generali conceſſione & translatione facultatum, non veniat ſpeciale priuilegium, quod quis habuit. Ego an veriſimiliter princeps & tale priuilegium conceſſurus fuerit, diſpiciendum cenſeo. arg. l. obligatione. cum ibi nota. de pign. Quod autem ad hunc locum attinet, nec lege vlla hoc cautum fuiſſe vt exęquatis priuilegijs ac poteſtate præſides haberent tantam facultatem in prouincijs, quantam in vrbe magiſtratus, nec reſponſis de hac materia loquentibus hic & l. ſi aliquam. §. fina. &

l.ſeq.ſuprà de offic.proconſ.& d.§.qui vniuerſas.hoc expreſſum puto,ſed illud duntaxat nihil eſſe in prouincia quod non per pręſidē expediatur. Quare cùm præfectus prætorio legem condere poſſit.l.formam.C.de offic.præfecti præto. nec à ſententijs eius appelletur.Cùm conſules XII.faſcibus vtentur,alij alia inſignia habeant,nemo captatis verbis hæc eadem præſidibus competere rectè dixerit. Quippe ſine his adminiſtrare & regere prouincias rectè poſſunt. Sontes quoque meritis pœnis & citra deportationis miſeriam poſſe affici nemo dubitat.l.capitalium. cum ſeq.infrà de pœnis.

## L. XV. Marcia. Lib. I. De Ivdiciis pvblicis.

ILLVD OBSERVANDVM EST, NE QVI PROVINCIAM REGIT, *fines eius excedat, niſi voti ſoluendi cauſa, dum tamen abnoctare ei non liceat.* Idē ferè ſtatuerunt Arcadius & Honorarius.l.nullus.C.de offi. rect.pro.Sed videbatur his aduerſari cōſtitutio lib.XII.C.ſub tit.de dignitatibus,qua clariſſimis & ſpectabilibus vniuerſis etiā ſine commeatu ad genitale ſolū proficiſcendi,& vbi voluerint cōmorandi facultas permittitur.Nam ſpectabiles & clariſſimos etiā præfectos & pręſides prouinciarū his temporibus appellari oſtendimus,propterea nos eam conſtitutionē de his ſpectabilibus,& clariſſimis interpretandā duximus,qui nō gerunt adminiſtrationē.l.clariſſimis. & l.fin.C.de dig.vel certè clariſſimorum appellarione,ibi ſignificari Senatores, quos Auguſtus Italia excedere prohibuerat:vt Dion ſcribit, lib.LII.in fi.idque etiā ſuo tempore obſeruatum affirmat. Per ſpectabiles autē deſignari Equites Rom.de quibus eadem ratione fortaſſè dubitatū erat. Hæc de his qui diſcedūt animo redeundi.Quòd ſi præſes,aut proconſul de prouincia excederet,non reuerſurus principe inconſulto:lege Iul.maieſtatis ſine dubio teneretur. Videtur enim decreuiſſe imperium pop.Ro.l.ij.ad leg.Iul.ma. Conuenit cū hoc reſpōſo & quod apud Aulum Gellium legitur.Tribunis plebis vrbe egredi nō licuiſſe. Sanè quod Accur.ſubdit,videri hodie præſidem voti ſoluendi cauſa etiā abnoctare poſſe,quòd generaliter in ſacris literis ſcriptū ſit. Vouete & reddite domino Deo veſtro. Sacras autē literas in his quæ ad religionem pertinent,leges noſtræ ſequi nō dedignantur.aut vt clerici apud prop.epiſcop.§.fi.Equidē non atbitror admittēdum eſſe,pręſertim ſi votum poſteà ſuſceprum eſt,quàm prouinciam regendam acceperit. Non enim poſſe anterius ſuſceptæ obligationi nec per votum quidem præiudicare.atg.not.per Hoſt.in ſumma,tit.de voto.§.quis vouere poſſit.verſ.ſed nunquid.Ac ne id quidem arbitror,& ſi anteà vouiſſe ſe dicat,tali cōmento rectè eum ſe excuſaturum:cùm non ideò minus principem conſulere potuerit,vel ſolutionis voti dilationem à pontifice impetrare.c.non eſt voti,extra de voto. Nam Seruator noſter ea quæ ſunt Cæſaris,Cæſari reddi vult,nec ad ſoluendam veniſſe ſe,ſed ad implēdam legem profeſſus eſt. Quare nihil exemplo pernicioſum ſub prætextu religionis permitti debet.

## L. XVI. Macer Lib. I. De Offic. Praesid.

SENATVSCONSVLTO, &c. Aut ſiſti exhiberíve ſatiſdato promittatur. Siſti accipe eum,qui iniuriam,vel furtū fecerit,exhiberi rem quæ ablata eſſe dicetur.

L. XVII. Celsvs Lib. III. Digestorvm.

SI forte,&c.Probatur hîc proconſulem poſtquā ei ſucceſſum eſt in prouincia,non habere voluntariā iuriſdictionē,quamuis inſignia imperij retineat,quicquid Accur.contradicat,in l.fi.ſuprà titu.11.

L. XIX. Callistratvs Lib. I. De Cognitionibvs.

OBservandvm,&c.Id enim *non eſt conſtantis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit.* Quæſtionis antiquæ fuit,an iudicē cognoſcendo indicia,quædam motus & ſenſus ſui facere cō ueniat,an cōtra nunquā ſignificare quid ſentiat,ne ſi aliter faciat, quandoq; fluctuare videatur,& ſæpius mutare ſententiā neceſſe habeat.quod indecorum putant:vt ſcribit Aulus Gell.lib.xiiii.c.ij.Videtur eam quæſtionē temperamēto quodā Caliſtratus hoc loco decidere.Hodie Romæ & ferè vbique per Italiam iudices hactenus conſueuerunt exprimere ſenſus ſuos,vt litigatores difficultaribus ijs,quæ eorū animos ſuſpenſos tenent,occurrant,& certiorem iuris diſpoſitionem ſuggerāt atque aperiant:quod probabile eſſe videtur. arg.l.iudices.C.de iudi.ſi non modò leuibus de cauſis ſæpius quàm par eſt hæſitarent,dum vel imperitia turbantur,vel ſtudiorū laborem vitant.Id litigatoribus diſpendium,cauſidicis & aduocatis emolumentum præſtat.

L. XX. Papinianvs Lib. I. Responsorvm.

LEgatvs Caesaris,vel praeses, vel corrector pro*uinciæ abdicando ſe nō amittit imperiū.* Olim legebatur legatus Cæſaris,ideſt,præſes,vel corrector &c.nec hoc loco ſolùm ſed & ſub tit.de accuſatio.l.hos accuſare.in prin. Id an rectè mutatum ſit,ex Pandectis Florentinis iudicandū eſt. Correctorū autē mētio etiā ex Hermogeniano paulò antè facta eſt.l.de omnibus.ſuprà eo.ti.Et Correctores eos propriè dici,qui habēt id officium in Italia,quod præſides in prouincijs Accurſius admonet.Alij ſingularum Italiæ ciuitatū propriè Correctores dici exaudiunt,ſed hoc loco correctorē prouinciæ dici vides.Nec ſanè vllo loco legi, Correctores Italiæ ciuitatibus ab Imperatoribus datos:quāuis Exarchas & Duces in Italiā olim miſſos legamus,ſed hi velut præſides regionū erant.Hodie tamē ſingulas ciuitates quæ proprium regimen & territorium habent,pro ſingulis prouincijs accipi nō dubium eſt.glo.in l.fi.C.de præſ.long.temp.Ratio huius reſponſi ex Vlpiano relata eſſe videtur,ſub tit.de offic.conſ.l.meminiſſe.Quod ſcilicet vſq; in aduentum ſucceſſoris omnia debet proconſul agere:quinimò lege Iulia maieſtatis tenetur,qui inconſulto principe ſe abdicans imperium popu.Rom.deſerit.l.iij.prope fin.infrà ad leg.Iul.ma. Sed an Magiſtratus Romæ abdicando ſe,amittant imperium,quæri poteſt.Et cùm ratio huius rei ceſſet, quia ſcilicet Senatus,vel Imperator alium ſtatim ſubrogare poſſunt,nec periculum eſt, vt Reſpublica interim detrimentum capiat,puto hunc amittere imperium,ſic videor legiſſe in multis locis, quoſdam Romæ, dum libera fuit Ciuitas,ſemper prout cuique libitum fuit magiſtratu ſe abdicaſſe. Liuius libro quinto, Valerius curia egreſſus dictatura ſe abdicauit. Cicero.de diuinatio. At Tiberij Gracchi literis, Scipio & Figulus,quòd Augures eas indicaſſent,vitio creatos eſſe,magiſtratu ſe abdicauerunt. Nam certè eo eſt ingenio Papinianus,vt non

ſine cauſa de legato Cæſaris,aut præſide prouinciæ loquutus ſit,non in vniuerſum de omnibus magiſtratibus. Quòd ſi principem , aut Senatum ab vrbe abfuiſſe proponeretur,ſi modò Senatus vnquàm abeſſe dici poteſt,vt puta , cum latinarum cauſa creato præfecto , omnes in montem Albanum concedebant, contrarium reſpondendum exiſtimatum.Veruntamen ſiue reſignatio imperij in manu principis, aut Senatus fieri debeat , ſiue alio quocunque modo facta valeat,vt imperium admittat is qui ſe abdicat , non rectè videtur Iacobus Butrig.hoc reſponſum inducere aduerſus donationem vrbis Romæ Pontifici maximo à Conſtantino factam. Non enim Conſtantinus donando vrbem Romam abdicabat à ſe imperium,ſed vnius vrbis dictionem dumtaxat,quæ particularis alienatio,ſaluo in cæteris vrbibus & prouincijs Romano imperio,cur fieri non potuerit ? non ſecus ac ſi quælibet alia vrbs ab Imperatore donata decederet.Nam & ratio ſupraſcripta in hac donatione ceſſat,cùm imperiū in ſuſpenſo non remanſerit, ſed in Rom.Pont.illico tranſlatum fuerit. Enimuerò cùm quæritur an Imperator res ad Rom.imperium pertinētes,alienare poſſit? de rebus ſoli expedita quæſtio eſt.l.cùm multa.vbi notant omnes C.de bon. quæ liber.poſſe ſcilicet Imperatorem eas in quem velit conferre : ſic denique Imperator Iuſtinianus Conſtantinopolitanæ & alijs eccleſijs permultas poſſeſſiones & prædia donauit.Sic poſt eum & ante eum alij fecerūt.Sed & ſi regno aliquo iure belli potitus ſit,non videtur prohiberi id alienare,antequàm in prouinciæ formam redactum ſit. Nam Auguſtum Cæſarem hoc interdum feciſſe legimus,apud Suet.in Augu.cap.XLVIII.Cæterùm ſi ditionis antiquæ populi Rom.prouincias,aut ciuitates alteri ſubijcere velit,vt Imperator Conſtantinus vrbem ipſam Syſueſtro Papæ donaſſe dicitur,cuius donationis exemplum, verum an falſum Albericus refert,in l.j.ff.de offi.præf.vrb.non putat Iacobus Butrig.Imperatori hoc facere licuiſſe,arg.huius reſponſi,debuiſſe enim ſi imperij, vel partis alicuius adminiſtrandæ eum pœnitebat,populo Romano,à quo acceperat,id reſtituere,non aut alteri tradere , aut illius quaſi vacuam & deſertam poſſeſſionem relinquere.Nam & Cicero ad Quin.fratrem Cæſarem,vel mortuum reprehendit,ob talem cauſam:Minuebat,inquit,vectigalia,donabat ciuitates ex cōmētario &c.Ego ad ea quæ ſuprà dixi,illud quoq; cōſiderandum arbitror,non ex toto ſimilem hac in re præſidis & Imperatoris cauſam eſſe.Præſidem enim præfinitam & quaſi præcariam poteſtatem habere,prouinciam vt regat atque adminiſtret:res verò principis,aut fiſci , quarum ad procuratorem Cæſaris adminiſtratio & cura pertinet,ne attingat quidem.l.nec quicquam.in princip.ſuprà de offic.proconſ.At Imperator propriam & perpetuam atque,vt videtur,infinitam poteſtatem habet , quantam ſcilicet vniuerſus populus:cùm enim lege Regia omnis poteſtas populi in ipſum tranſlata eſſe intelligatur.lege prima.vbi dixi ſuprà de conſtitutio.princip.conſequens eſt , vt omnia facere poſſit , quæcunque vniuerſus populus vnquàm potuit. Non dubium autem eſt,quin populus tale aliquid facere potuerit.Præterea ſiue populus Romanus, lege illa poteſtatē omnem perpetuò ab ſe abdicaſſe intelligitur:certè nihil poſt hac eius interfuit , ſiue ſolam duntaxat procurationem & adminiſtrationem, quod verius eſt,cur quemadmodùm nationes & gentes ciuitate Romana donando

nando

nando participes imperij facere ſuperioribus Imperatoribus licuit.l.in orbe.ſuprà de ſtatu hominum.non ſic vrbem, aut prouinciam vnam alienare potuit Conſtantinus? Quid enim intereſt rem meam alteri communicem, an pro concurrenti quantitate donem, aut alio quouis titulo tradam? l.j.& ij.infrà pro ſoc. Quòd ſi ita planè res eſt, vt poſt legem regiam imperij ius penes populum nihilominus remanſerit, nulla iam relinquitur dubitatio, ſi quis id quoque ęquus iudex inſpiciat, quod eam vrbis Romæ donationem diuturnus quoque non ſolùm populi Roma.conſenſus, hoc eſt, totius Italiæ & Occidentalium populorum, qui tam ſub Imperio Romano erant, verùm etiam Imperatorum omnium qui poſt Conſtantinum fuerunt, tacitus conſenſus atque expreſſa quorundam approbatio confirmauerit: vt ex hiſtorijs rectè memorat Idem Alber. in rub.ante proœm. Digeſt. Illud potius dubitari conuenit, num creandi Imperatoris ius Romanus Pontifex ad Germanos transferre, ſeu certè eorum principibus delegare potuerit. Sed hoc quoque ratione illa defendi poteſt, quia vniuerſus populus, & quod reliquum erat Romani orbis Pontificum, arbitrio ac fidei & poteſtati tūc ſe commiſerant, atque etiam decretum & legem illam diuturno ac tacito conſenſu poſteà approbauerunt. Ex his apparet, non ſolùm diuino iure, quo maximè Pontifices nituntur, verùm etiam humanis conſtitutionibus & legum noſtrarum placitis, Romanorum Pontificum cauſam defendi, vt etiam ab eorum nutu pendeant Imperatores. Hæc de alienationibus quas antiqui Imperatores fecerunt, in vniuerſum dicta ſint. Hodie non viderentur Imperatores citra periurij reatum, quicquam ex pertinentibus ad imperium alienare poſſe, cùm id nunquàm ſe facturos, electi ſtatim iurare & conceptis verbis obligare ſe ſoleant. Reliqua ad hunc locum pertinentia, quæ nobis in mentem venire potuerint, ſuperius ſcripſimus, in l.non ambiguitur.de legibus. & in l.j.de conſt.princip.

## *DE OFFICIO PROCONSVLIS CAESARIS vel rationalis.* TITVLVS XIX.

L. I. VLP. LIB. XVI. AD EDICTVM.

QVAE ACTA GESTAQVE SVNT A PROCVRATORE *Cæſaris, ſic ab eo comprobantur, atque ſi à Cæſare geſta eſſent.* Primus Imperator Claudius tantam hanc poteſtatem procuratoribus ſuis dedit, vt ſcribit Tacitus, lib.XII.ann. Eodem anno ſæpius audita vox Principis, parem vim rerum habēdam à procuratoribus ſuis iudicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet, ac ne fortuito prolapſus videretur, Senatus quoque conſulto cautam plenius quàm anteà, & vberius. Et paulò pòſt, præualida nomina referre, nihil attinuetit, cùm Claudius libertos quos rei familiari præfecerat, ſibíque & legibus adæquarit. Quæ verba ideò referre placuit, quoniam originem ac poteſtatem procuratorum Cæſaris mirè indicant. Videntur autem Imperatores, non in ſingulis modò prouincijs, ſed Romæ quoque complures interdum habuiſſe diuerſarum veluti negotiationum procuratores. Qui & Curatores ſimpliciter appellabantur:

vt curatores hæreditatum, Curatores ad bona damnatorum, quorum mentionem in antiquis inſcriptionibus vidimus. Dicitur procurator Cæſaris etiam rationalis, & Comes rerum priuatarum, ſacri palatij ſacríque patrimonij. rub. hîc & C. de offic. com. rerum priu. ſac. pal. ſac. patr. per totum ſit. Appellatur & fiſcus & diſpẽſator, & Actor rerum Cæſaris, l. j. C. ſi aduer. fiſc. l. ſi fiſcus. de iure fiſc. Præſides verò prouinciarum non ſolùm admonentur, in l. nec quicquam. §. j. ſuprà titu. II. ſed videntur etiam tam ipſi quàm vrbani magiſtratus interminatione grauis pœnæ. l. iij. C. eod. titu. de offic. com. re. priu. abſtinere cognitionem ac nec tuitionem quidem adhibere cauſis fiſcalibus. Nam inter fiſcum & priuatos cognoſcit procurator Cæſaris adiuncto (vt putant) præſide prouinciæ, ac præſente aduocato fiſci. l. j. vbi not. C. ſi aduer. fiſc. ſed ego præſidem interueniре oportere non exiſtimo, niſi certo caſu, cùm ſcilicet in integrum reſtitutio aduerſus fiſcum poſtulatur. d. l. ij. argu. l. fin. C. vbi & apud quem. Cuius rei ſpecialis illa eſt ratio, quòd in integrum reſtituere magis imperij, quàm iuriſdictionis eſt, dicta l. fina. Non enim imperium habet procurator Cæſaris, ſed iuriſdictionem tantùm. Quare nec mulctã irrogare poteſt, l. ij. C. de modo mult. Ideò eam rem apud præſidem tractari oportuit. Cura & tractatio pecuniæ publicæ, antiquitus ad Quæſtores pertinebat, quos magiſtratus ſecum in prouincias ducebant. Horum in locum procuratores poſteà ab Imperatoribus mitti obtinuit. Hi præſidibus & rectoribus prouinciarum ſalaria ab Imperatoribus conſtituta ſoluebant. Ea cuiuſmodi eſſe cõſueuerint, indicant Epiſtolæ frequentes in vita quorundam Imperatorum. Ipſi tamen procuratores Cæſaris, quandoque etiam prouinciam regendam accipiebant. Atque hi procuratores, vice præſidum agentes, in iure appellantur. l. j. C. de ped. iud. l. iij. vbi cauſæ fiſcales.

## L. II. Pavl. Lib. V. Sententiarvm.

Qvod si ea bona, &c. Vide Auguſtinum qui eximiè hoc caput ex Thuſſis libris corrigit & declarat. lib. III. emend. cap. VI.

## L. III. Callistratvs. Lib. VI. De Cognitionibvs.

Cvratores Caesaris ivs deportandi non habent: *quia huius pœnæ constituendæ ius non habent.* Pœnæ conſtituendæ ius accipere oportet, pro facultate inſulæ aſſignandæ. Id enim hoc loco ſignificat pœnam conſtituere. arg. l. j. in princip. infrà quando appellandum ſit. Alioquin idem fruſtra repetere videretur. Accur. enim propterea interpretatus eſt, quia pœnæ conſtituendæ ius non habent, id ſignificare, quia denegatum hoc eis eſt. Sed violenta eſt hæc interpretatio, & melius conuenit quod nos exiſtimamus. Nam inſulam aſſignare, nec præfectus quidem vrbis poteſt, quanuis deportandi ius ei conceſſum ſit. Sed vt à principe aſſignetur, expectare debet. l. j. §. relegandi. ſuprà de offic. præfect. vrb. Quare apparet generaliſſimam eſſe hanc rationem, atque omnino latiorem quàm ſi dixiſſet, quia ius deportandi non habet.

Dediſſe hunc iuridicum Alexandrinis Caium Cæſarem, ſignificat Spartianus in Seuero his verbis. Deinde Alexandrinis, ius Buleutarum dedit, qui ſine publico

publico conſilio,ita vt ſub Regibus antè viuebant, vno iudice contenti, quem Cæſar dediſſet,quo loco Egnatius Buleutas,ſeruatores interpretatur,ſed magis proprium erat,decuriones.Latinè enim ordinem ipſum Bulem,& Buleutas,decuriones dicimus,vt ex Plinij ad Traianum epiſtolis cognoſci poteſt. Huic Iuridico, & ſi qui alij per Ægyptum anteà iudices conſtituti erant, Præfectum Auguſtalem quodammodò ſuperintendiſſe puto.Nam quia nunquàm in prouinciæ formam Ægyptus redacta fuerat (vt prædiximus) maioris dignitatis hi iudices habiti erant,quàm vt Præfectus ex toto ſubiectos eos haberet: erant enim omnes Equeſtris ordinis ex quo ordine & Præfectus ipſe, vt ſuprà oſtendimus,rub.de off.præf.Aug.Propterea factum vt eorum delicta examinandi,& ſuper his,quæ comperiſſet,duntaxat referendi, non etiam amouendi, vel puniendi eos Præfectus Auguſtalis poteſtatem nactus ſit.l.ij.C.de off. Præf.Aug. Quamuis præfecti alij,vtputa orientis,aut Illyrici, plenam cognitionem de ordinariis iudicibus ſub ſe conſtitutis habeant.l.penul.C.de offi.præf.Præt.Orien. Antiquitus enim ducta conſuetudo eximij iuris hos Ægyptiacos iudices feciſſe videtur, atque eius conſuetudinis ſpecialis ratio hæc fuiſſe, quam diximus, quicquid Accurſius & cæteri commententur. gloſ. in d.l.ij. & l. illicitas. §. qui vniuerſas.ſuprà de offic.præf.vbi doct.

## DE OFFI. EIVS CVI MANDATA EST IVRISDICTIO. TIT. XXI.

DIFFERENTIAM inter hanc Rubricam & illam quæ lib.1. Codicis inſcribitur, *De officio eius qui vicem alicuius Iudicis, vel Præſidis obtinet.* Illam veriſſimam arbitror,quòd ſub illo titulo tractatur de eo qui pro tēpore in prouinciam miſſus eſt ab Imperatore,vel alicui tribunali,aut iuriſdictioni præpoſitus, non vt ipſe,vel Præſes eius prouinciæ ſit,vel magiſtratum eum gerat,ſed vt pro tempore,ac velut aliud agens illo munere fungatur, donec proprium Præſidem,vel magiſtratum Imperator creauerit.Exempli cauſa Procurator Cęſaris, defuncto vel remoto Præſide prouinciæ, vel omnino in eius defectum. Nam his ſæpenumero vt & vice Præſidum in prouinciis agerent, mandabatur.l.j.C. de ped.iud.l.iij.C.vbi cau.fiſca.Nonnunquàm etiam Romę conſtitui vſitatum, qui vice præfecti Prætorio ageret.l.j.§. à Præfectis. de leg. iij. Præfecto fortè diem functo, vel finito eius magiſtratu,dum princeps de alio conſtituēdo maturius deliberaret.Sub hoc autem titulo de his agitur,qui aliis gerentibus magiſtratum,atque etiam præſentibus in prouincia,vel in ciuitate,ipſi eorum iuriſdictionem exercent. Titulus in Codice etſi non omnino ad verbum huic conſimilis,tamen ſub quo eadem quæ ſub hoc noſtro materia tractatur: ille eſt lib.III. *qui pro ſua iuriſdictione iudices dare dariue poſſunt.* Nam vnica ſub illo titulo conſtitutione non aliud agitur, niſi vt hoc doceamur, neminem qui non propriam iuriſdictionem habeat,hoc eſt,cui ab alio mandata ſit iuriſdictio,cauſas alij delegare poſſe, niſi à Principe Iudex datus fuerit, quamuis interpretes vulgo alia quędam in illius conſtitutionis interpretatione commenti ſint.

L. I. PAPINIANVS LIB. I. QVAESTIONVM.

QVAECVNQVE SPECIALITER LEGE, VEL *Senatuſconſulto, vel conſtitutione Principum tribuuntur: mandata iuriſdictione non transferuntur.* Videntur ferè omnes exiſtimaſſe, Papinianum his verbis idem ſignificare voluiſſe, quod alibi relatum eſt: Neminem poſſe merum imperium, hoc eſt, gladij poteſtatem ſibi conceſſam in alterum transferre. l. ſolent. in principio. ſuprà de officio Proconſu. l. nemo poteſt. infrà de regulis iuris. Et quærenti mihi cur, & an omnino ſpecialiter hanc ipſam gladij poteſtatem lege, Senatuſconſulto, aut conſtitutione Principum tribui neceſſe fuerit, veniebat in mentem, quod antiquitus in caput Ciuis Romani iniuſſu populi, animaduerti non liceret. l. ſecunda. §. initio. ſuprà de origine iuris. vt ſuperiore libro plenius admonuimus, in l. illicitas. §. qui vniuerſas. de officio Præſidis. Idcirco euenire potuiſſe, vt de ſingulis, ſingulorum commiſſis, vbicunque de capite ciuis agendum eſſet, aut ad populum diem dici, & cum populo agi, aut ſi ſpeciales iudices conſtituere viſum foret, ſpeciales leges ferri neceſſe fuerit, quibus tum alios iudices, tum in primis eum qui quæſitor, hoc eſt, quæſtionis iudex appellabatur, creari, & iudicio certam formam dari mos erat, donec P. Corn. Sylla primò, deinde Pompeius, & Cæſar publicorum iudiciorum quæſtiones, vt aduerſus quemlibet ſtatæ ac perpetuæ eſſent, conſtituere. l. ij. §. deinde Cornelius. ſuprà de origine iur. Hactenus opinionem meam etiam Duareno probari animaduertebam, cap. LIII. Anniuerſ. diſputat. Quemadmodùm verò in ciuilibus cauſis nemo ſine certa actione experiri poteſt, quinetiam qua quiſque actione agere velit, nominatim edere debet. l. prima. infrà de edendo. Sic in criminibus quoque æquum viſum eſſe reputabam, neminem ſine certa lege damnari. l. aliud. l. ſi qua pœna. infrà, de verborum ſignificatio. vnde frequens illa loquendi formula, hac, vel illa lege reum facere. l. hos accuſare. §. omnibus. de accuſationibus. l. Senatus. de public. iudic. Ea propter vt ſingulis atrocioribus criminibus puniendis, ſingulæ publicorum iudiciorum leges proditæ ac fixæ eſſent, obſeruarum exiſtimabam, veluti Iulia contra adulteros, Pompeia contra parricidas, Fabia contra plagiarios. Harum in ſingulis non ſolùm de pœna, verùm etiam de iudicibus, ac magiſtratibus, qui cuiuſque legis exercitationi quæſtioníque præeſſent, ac deinceps comperto crimine animaduerti iuberent, cautum fuiſſe, veriſimile mihi fiebat. argumento dictæ l. aliud. in fine. Cæterùm cùm multæ aliæ iuris partes ſint, ideò ferè aliqua earum, quæ hîc memorantur, contigiſſe videbatur, vt delicta coërcerentur, quòd aliæ iuris ſpecies ad eam rem minus efficaces eſſent. Nam Prætoris officium, iuriſdictioni & cauſarum ciuilium diſceptationi proprio munere incendebat. Ideò nullum Prætoris edictum de crimine publici iudicij, vel ad publicam vindictam principaliter pertinens relatum inuenias. Multò minus prudentum reſponſis ſanciri hæc poterant. Plebiſcita autem de criminibus puniendis fieri non contingebat, proptereà quòd plebs licentiæ ſuæ tenax, potius aduerſaria iis qui hæc ferre voluiſſent, quàm fautrix erat. Nam per hæc quaſi

tela quædam in ſeſe ac mucrones & ſeruitutem parari ſibi exiſtimabant: ob id non à Tribunis qui plebi ſe placere ſtudebant, ideóque ferentibus potius intercedebant, ſed à Senatu, Conſulibus, Dictatoribus, poſtremò ab Imperatoribus ipſis ſtatuta hæc fuiſſe animaduertere eſt. Porrò quia de ſingulis grauioribus criminibus, vt diximus, aut ſunt, aut eſſe debent certæ leges, quæ facinoroſos teneant. dicta l. ſi qua. verbo, ſingulorum criminum. de verborum ſignificationibus. Idcirco bona ratione effici putabam, vt de ſingulis generibus criminum, quæ mero imperio coërceri oporteret, ſpeciales leges exiſtere & conſequenter ſingulas huiuſmodi quæſtiones atque exercitationes, ſpecialiter aliquibus iudicibus tributas eſſe intelligere deberemus, argumento dictæ legis, aliud. in fine. Sed plenius & maturius reputanti mihi verius eſſe apparet, nec omnibus publicorum iudiciorum quæſtionibus exercendis merum imperium neceſſarium fuiſſe, verum his duntaxat quibus, aut vita adimitur, aut corporalis cruciatus infertur, nec Papinianum tam anguſtam definitionem alienis, ac parùm propriis verbis tradere voluiſſe, ſed generaliorem quandam iuris conſtitutionem & regulam iudicare, qua effici poſſit, vt & alia ſint, quæ à magiſtratibus mandari non liceat, quamuis non meri imperij ſint, ſed vel miſti tantùm, vel ſimplicis iuriſdictionis, vel certè, neque iuriſdictionis ſint, neque imperij. Quando & huiuſmodi quædam eſſe memorantur, veluti tutoris datio. l. muto. §. tutoris. de tutoribus. Præterea nec illud verum eſt, de ſingulis ſingulorum capitalibus delictis antiquitus neceſſarias fuiſſe leges, quinimò ſacratis legibus duodecim tabulis prohibitum erat. Priuilegia irrogati, quod nihil aliud ſignificat, quàm de ſingulis leges ferri, vt Cicero oſtendit, in Orationibus ad Pontif. pro domo ſua, Et in Oratione pro Milone. Cæterùm paulò nobilioribus ciuibus dies ferè ad populum dicebatur. De his populis iudicabat, & populi ſuffragiis res tota tranſigebatur. Generaliter autem quod ad cæteros obſcuriores, fures fortè, aut effractores nocturnos ac latrones, alióſque ex infima plebe homines attineret, primò Quæſtores parricidij fuerunt, qui à populo conſtituebantur, vt capitalibus rebus præeſſent, quorum etiam legem duodecim tabularum meminiſſe Pomponius ait, ſuprà de origine iuris. l. ſecunda. §. & quia. Hos veriſimile eſt & de capite, tanquàm ordinarios iudices iudicaſſe, & animaduerti in damnatos iuſſiſſe, ſi quibus legibus pœna mortis propoſita erat. Nam quibuſdam fuiſſe argumento illud eſt, quod poſterioribus temporibus velut adagio vſurpatum eſt, more maiorum in aliquem animaduertere, pro eo quod eſt, Carnificis manu ſtatim necare, & de ſaxo deiici ſolitos fuiſſe conſtat damnatos quoſdam. Deinde creatis Prætoribus, videntur creati deſiiſſe Quæſtores parricidij. Ideò rara horum mentio apud ſcriptores. Prætores autem cœpiſſe capitalium iudiciorum & quæſtionum ex legibus exercendarum prouincias ſortiri, atque ita deinceps factum etiam vſque in tempora Imperatorum, vt ſuperius demonſtrauimus, dicta l. ſecunda. de origine iuris. Nam triumuiri capitales, qui & nocturni dicti, leuiora tantùm crimina caſtigare poterant, non atrociter verberare, nec capitis

damnare: quemadmodùm nec hodie Præfectus vigilum poteſt, qui in eorum ſucceſſit locum. Vbi Prætores iudicaſſent & damnaſſent reum, tum interuentu ipſorum triumuirum capitalium, qui & carceri præeſſent, animaduertebatur: vt Budæus quoque & Zaſius rectè adnotarunt. dicta l. ij. §. eodem tempore. de origine iur. l. finali. §. iudicandi. de mun. & hon. Enimuerò raras fuiſſe arbitror leges veterum, quæ naturalis mortis pœnam continerent. Nec mouet me quòd de capite agi frequenter dicerent. Nam aut ad arbitrium populi iudicantis id referebatur, aut quòd capitalia iudicia & quæſtiones etiam quæ vitam non adimunt, interdum appellari conſtat, vt aquæ & ignis interdictio, & exilium. l. capitalium. vbi not. infrà, de pœnis. l. ij. de publicis iudic. Cæterùm leges illæ quæ vetabant necari ciues, ſine dubio extra eos caſus loquebantur, quibus pœna mortis delinquentibus ex aliis legibus propoſita eſſet. Erant enim factæ, ne magiſtratus imperium arbitratu ſuo in caput ciuium exercerent, id quod ſoli Dictatori permiſſum erat. dicta l. ij. §. itaque Dictatores. de origine iur. non autem vt legitimas & antiquas pœnas capitales, ſi quæ aduerſus facinoroſos legibus ſtatutæ eſſent, tollerent. Quinimò nec alias quidem pœnas licebat iudicibus vbi cognouiſſent infligere, quàm quæ legibus ſancitæ eſſent. Quare cùm apud eos ageretur, ſatis erat pronuntiari factum, vel non factum maleficium: tunc enim pœna legis ſtatim ſuccedebat, magiſtratuum autem arbitrio ſola dicendæ mulctę poteſtas relicta erat. Quę omnia & hodie obtinent. dicta l. aliud. & l. ſi qua. de verborum ſignificatio. l. ordine. ad Municip. l. j. §. penultimo, ad Tertulianum. Illud tamen amplius hodie habent magiſtratus, quibus ius gladij datum eſt, quòd in quibus caſibus pœna delicto legibus nominatim impoſita non eſt, iis caſibus arbitratu ſuo punire, & pro qualitate ac conditione rei erga nocentem ſtatuere poſſunt: vt Bartolus notauit, in l. j. verſ. idcirco. de effractor. Igitur (vt ad propoſitum redeamus) vera eſt huius capitis ſententia ad verbum ſumpta, quam Raphael Fulgoſius pridem, ac poſt eum nuper Alciatus agnouit, libro ſecundo Parad. cap. primo. Ea ſcilicet in alium transferri non poſſe, quæ his tribus iuris partibus ſpecialiter, hoc eſt, expreſſim & nominatim magiſtratibus mandantur. Nominatim accipe, non vt nomen proprium eius qui magiſtratum gerit, exprimatur: quî enim fieri hoc poſſit, cùm perſonæ quotidie mutentur eorum, qui magiſtratus gerunt: ſed nominatim de hac, vel illa re, aut cognitione actum eſſe: vti ea Prætori, Proconſuli, aut Præfecto competat, vel per eum expediatur, quod verbum eodem modo & aliis locis in iure accipitur. l. aut damnum. §. Præfecto. de pœn. l. neque mater. C. de iur. dot. l. ij. §. inter filium. & l. diuus Claudius. ad legem Corneliam. de falſ. l. quæro. de act. empti. l. ſed etſi quis. §. quæſitum. ſi quis caut. Exempli cauſa, alienatio rerum pupillorum ne fiat, niſi interpoſito decreto Prætoris vrbani, tranſactio de alimentis adhibita Prætoris notione atque autoritate celebretur. Nam diui Marci hæc inducta ſunt. l. j. de rebus eorum. l. cùm hi. de tranſactio. Ideò hæc atque alia huiuſmodi mandari non poterunt. dicta l. cùm hi. §. ſed nec mandato. l. ij. infra eodem. l. j. §. abolitio. ad Turpil. ſunt & alia exempla quæ in hanc partem colligunt Fulgoſius & Alciatus. Quare idem in omnibus di-

dicendum

cendum erit, vbicunque per aliquam harum iuris partium aliquid magiſtratui cuipiam permitti, vel tribui relatum eſt, etſi non imperij ea res ſit, vt prædiximus. Talia fuiſſe videntur eorum multa, quę mandatis Principum continebantur, iis quæ præſidibus in prouincias proficiſcentibus dabantur. Nam hæc mandata paulatim obtinere cœperunt vim principalium conſtitutionũ. Quæ autem ad merum imperium & coërcitionem attinent, ea tametſi non his, nec fortè aliis iuris partibus tributa ſint, minimè tamen mandare poterunt, propter aliam ſcilicet generalem iuris regulam quæ in vniuerſum transferri hæc prohibet, quæ imperij ſunt: nec diſtinguit quomodò cui conceſſa ſint. l. ſolent. §. j. ſuprà de offic. Proconſ. l. nemo poteſt. de regulis iur. Quare etſi priuato homini, vel magiſtratibus quibuſdam quamuis generaliter merum imperium, aut coërcitionem in aliquos, codicillis fortè, vel priuatis reſcriptis princeps dederit: non tamen poterunt hi partes ſuas in alios transferre. Nec mouet me quod traditum eſt, à principe iudicem datum, alium rurſus in ea re iudicem dare poſſe. l. à iudice. C. de iudi. Cùm enim ſpecialis iuris conſtitutio imperium transferri vetet. dicta l. nemo. & dicta l. ſolent. Conſentaneum eſt, vt dicamus generale illud pronunciatum, per hoc ſpeciale reſtringi & coarctari: vt minimè in hoc verificetur. c. generi. de reg. iur. lib. vi. Idem conſtanter affirmauerim, etſi magiſtratus, vel perſonæ hæ quæ ius gladij habent, proficiſcantur. Nec tunc quidem poſſe eos alteri id mandare, ſcilicet imperium mandare omnes expreſsè prohibentur, nec diſtinguitur, proficiſcantur, an maneant. Nec enim exceptio illa quam hoc loco ſubiicit Papinianus, *Non aliter itaque mandare poterit, quàm ſi abeſſe cœperit*, ad exercitationem meri imperij pertinet. Hoc ex eo planum fit quòd pœna legis Iuliæ, aut Turpiliani Senatuſconſulti, non erat gladij animaduerſio: vt dicam in l. imperium. Exiſtimo tamen merum imperium eadem ratione initio in alium transferri prohibitũ fuiſſe, qua & cætera hoc loco prohibita ſunt, quia ſcilicet non niſi legibus, Senatuſconſultis, aut principum conſtitutionibus, vel mandatis ſpecialiter concedebatur: vt ſuperius admonui, in l. illicitas. §. qui vniuerſas. de officio Præſidis. Sed hanc rationem ſcrutari hodie non conuenit, ne ſubuertamus generalem ſententiam Imperatoris, qui gladij poteſtatem, aut alterius coërcitionis nullo modo transferri voluiſſe oſtendit. Nec diſtinguit quomodò cui conceſſa ſit. l. non omnium. de legibus. Non mouet me quòd hac ſententia recepta, haud videbuntur Duces, Comites & Marchiones noſtri temporis, qui vrbes, aut prouincias in feudum, vel quo alio titulo ab Romanis Imperatoribus acceperunt, etiam eo addito, vt in his locis merum Imperium habeant atque exerceant, haud videbuntur inquàm, alteri id delegare poſſe, quod tamen omnes indifferenter faciunt. Ego enim conſtanter admiſerim, id eis non licere, niſi ſpecialiter hoc ipſum quoque eis conceſſum ſit: vt & merum ipſum imperium aliis delegare poſſint, quod omnibus ferè eodem diplomate indultum inuenias, dum capitalium quæſtionum æquè & ciuilium per alios expediendarum Princeps poteſtatem eis facit. Hoc excepto rationem nullam inueniri puto, qua delegationes huiuſmodi defendantur, niſi quis fortè inter eos di-

ſtinguat, qui titulo lucratiuo, quíque oneroſo acceperunt, vt hi quidem loco Imperatoris quaſi domini conſtituti delegare poſſint, cæteri autem non poſſint, quaſi vicarij & precario habentes quos minimè æquum fuit, alios rurſus in tanta re vicarios ſubſtituere poſſe. Quòd ſi qui feuda huiuſmodi ab Imperatore ſine mentione imperij acceperint, ego nec in ipſos quidem transferri imperium exiſtimauerim, quamuis Oldradus Baldúſque & plerique alij contrarium affirmauerint, rationibus quidem (vt mihi videtur) non ſatis validis in vſibus feu.tit.de cap.quæ cur.vend. Quæ autem ratio fuerit, cur ea quæ his iuris partibus ſpecialiter conceſſa ſunt, in alium tranſire prohibeantur, Quæ verò iure magiſtratus competunt, non item, Sed indiſtinctè mandari poſſint, mox, quoad eius fieri poterit, explicabimus. Nam ſubiicit Papinianus in hæc verba.

QVAE *verò iure magiſtratus competunt, mandari poſſunt.* Iure magiſtratus ea competere accipiendum eſt, quæ antiquis inſtitutis & more ciuitatis generaliter ad officium alicuius magiſtratus pertinent. Veluti de ciuilibus cauſis iuriſdictio, ad Prætorem vrbanum inter ciues, inter peregrinos ad peregrinum. Non ſi quid poſteà ſpeciali alicuius legis, Senatúſve conſulti, aut principalis conſtitutionis prouidentia illi magiſtratui iniunctum eſt, vt in exemplis ſubiectis. Clara eſt enim Papiniani ſententia, quam calumniari non oportet, quod quidam faciunt, dum ſic interprerantur, quaſi ea quoque, quæ magiſtratibus per aliquam iſtarum iuris partium ſpecialiter in perpetuum conceſſa ſunt, iure magiſtratus eis competere iam inceperinr. Nam expreſſis verbis id agit Papinianus, vt inter hæc diſtinguat. Ratio autem differentiæ illa proprior eſſe videtur, quòd moribus ciuitatis ita comparatum fuerit. Nam totum hoc ius mandandæ iuriſdictionis, moribus introductum eſt, & ex non ſcripto conſtat: vt ex eodem Papiniano & ex Iuliano paulò pòſt ſignificatur. §.verius. verbo, *More maiorum*, infra eadem l.& l.more maiorum.de iuriſdictione omnium iudicum. Non enim placet noua ratio quam Alciatus comminiſcitur, cur merum imperium transferri non poſſit, libro ſecundo Parad. cap. ſexto, in fine. quòd magiſtratus, inquit, nudum imperij vſum habeant, & ob id alium rurſus in ea re vſuarium conſtituere non poſſint, quòd ea facultas vſuario iure denegata fuerit. Inſtit.de vſu & habitatione.in principio. Quid enim hoc eſt, Imperium vſus conceſſum eſſe dicere, ac non potius oneri & labori, præſertim in perſona magiſtratuum? Nam vtentis emolumento, aut voluptati vſus ſeruit: imperium verò alienis commodis & ſecuritati potius conſulit atque inuigilat, quàm propriæ commoditati. Ratio autem huius ipſius moris introducendi quæ fuerit, tametſi parùm attinet quærere. l.non omnium. ſuprà de legibus. tamen eam fuiſſe arbitror, quòd legibus, Senatuſconſultis, & Principum conſtitutionibus grauiſſima quæque ſtatuebantur, qúæque ad vnguem obſeruari expediret. Propterea Gordiani conſtitutio, vacationem publici muneris cuipiam conceſſam, ea tantùm continere declarat, quæ non lege, non Senatuſconſulto, aut Principis conſtitutione imponuntur. l. prima.C. de vacat. public. mun. libro decimo. Nam verè hoc quidem dicere poſſumus, cæteras

iuris partes ad res magnas conſtituendas ferè inefficaces fuiſſe. Prætoris enim edictum ſuapte natura, vt prædiximus, ad nudam inter priuatos iuriſdictionē, Reſponſa prudentum, ad interpretationem pertinebant. Plebiſcita autē de magnis rebus nulla ferè vnquam facta ſunt, quia ſenatus potentia plebis conatus ſemper luſit, aut fregit: & translata Rep. ad Imperatores, Tribunitia poteſtas ab his ſtatim occupata eſt. Ideò nec vlla ferè in iure noſtro relata ſunt plebiſcita, pręter legem Aquil. & de munetibus nō capiendis. l. plebiſcito. ſupra de of. Pręf. l. j. ad leg. Aquil. Cæterùm cùm aliqua earum iuris partium, quas Papinianus hoc loco memorat, aliquid non ſtatuitut modò, verùm etiam ſpecialiter alicui magiſtratui iniungirur eius rei exequutio & cura, tunc ſine dubio magni momenti id eſſe apparet: notabilia enim atque inſigniora ſpecialiter ac nominatim attingi ſolent, quamuis & ſub generalibus diſpoſitionibus alioqui comprehenſa forent. l. item apud. §. air prætor. de iniuriis. Hinc eſt quòd verbum illud, *Specialiter*, antiqui interpretes ſic exaudierunt, quaſi priuilegij, & prærogatiuę cuiuſdam cauſæ: quod & nos probauimus, in l. illicitas. §. qui vniuerſas. de officio Præſ. At ex contrario, eorum quæ iure magiſtratus competunt, pleraque inueterata conſuetudine, multa prudentum reſponſis atque interpretationibus aceruatim ac populariter (vt ita dicam) delata ſunt. Igitur in propoſito etiam ea quæ miſti Imperij ſunt, mandari poterunt, ſi modò iure magiſtratus competant: veluti, Prætori bonorum poſſeſſionem dare: Prætoriis ſtipulationibus caueri iubere, & ſi qua ſimilia quæ edicta eius paſſim oſtendunt. Prætori enim ea competiſſe iure magiſtratus apparet: vt & ſuis locis deinceps declarabimus, l. tertia. §. finali. infra eodem. l. iubere. titulo ſecundo. Nihil enim quominus hoc admittamus repugnat, vt poſt Fulgoſium Alciatus rectè docet, libro ſecundo Parad. capi. primo. Nam eorum ſententiam in hac parte ſequimur. Sed in interpretatione conſtitutionis Diocletiani & Maximiani Aug. ſub titulo, de pedaneis iudicibus l. placet. quæ huic concluſioni contradicere videtur, prorſus ab Alciato diſſentimus. *Placet nobis*, aiunt Imperatores, *Præſides de iis cauſis, in quibus, quod ipſi non poßent cognoſcere, antehac pedaneos iudices dabant, notionis ſuæ examen adhibere, ita tamen vt ſi vel propter occupationes publicas, vel propter cauſarum multitudinem huiuſmodi negotia non potuerint cognoſcere, dandi iudicis habeant poteſtatem.* Pedaneos iudices & iudices datos eoſdem appellat. Hi etiam ſuperiore conſtitutione diſceptatores dati appellati erāt, & omnino omnes eius tituli conſtitutiones de iudicibus datis intelligi debent. Nam hi propriè pedanei dicuntur. argumen. l. Prætor. de tut. & cur. da. ab his. iuncta l. fina. ſuprà de officio Præt. vt Alciatus libro παρέργων. 1. capi. XLI. & Auguſtinus libro 1. Emend. cap. VIII. & ad Modeſtinum. l. non ſolùm. §. ſimiliter. de excu. tu. declarauerunt. Hi ab Aulo Gellio iudices à Prætoribus lecti, Romę autē hodie iudices commiſſarij vulgo dicuntur, eorúmq; magnus numerus eſt, quibus Vicecancellarius, vel qui eius loco cançellariam apoſtolicam regit, Pontificis mādato cauſas audiendas committit. Non autē de his intelligi debet conſtitutio, quibus mandata ſit iuriſdictio, vt eorum vſum prohibeat, quales ſunt legati Proconſulum, aut Prætorum. Non enim de his agit. Quod ergo hactenus dicit, conſtitutio, de cauſis miſti Imperij ac iuriſdictionis

paulò grauioribus accipiendum puto. Nam de leuioribus Iuliani conſtitutione paulò pòſt ſubiecta.l.fi.eod.tit.vt hæ pro voluntate Præſidum pedaneis delegari poſſint, expreſsè cautum eſt. De cauſis autem meri Imperij (vt prædixi) Alciatus falsò exiſtimat, ſuadet primò quòd in criminalibus nequaquam accipiendam eſſe conſtitutionem, id quod nunquam iudices dare conſueuiſſe legimus. Præterea quod vetere iure prohibita eſſet cauſarum huiuſmodi delegatio, non veriſimile eſt tam temere eum morem aduerſus iure præſcriptum inualuiſſe, vt Præſides paſſim in talibus cauſis iudices darent. Cauſæ igitur de quibus loquitur conſtitutio, hæ ſunt, quæ iure magiſtratus competunt, quas mandari poſſe Papinianus indiſtinctè tradit, in l. noſtra. Conſtitutio autem iudices in his dari prohibet. Quamobrem ſciendum eſt, aliud eſſe iudices in cauſis dari, a iud iuriſdictionem mandare: vt ſuperius adnotauimus, in l. legatus. de officio Proconſu. & leg. Nec ratio quæ iudices dare impedit, poteſt impedire ne mandetur iuriſdictio, præſertim vniuerſa. Nam legati & quicunque mandatam habent iuriſdictionem, velut vicario nomine ex ſenſu mandantis ius dicunt. At iudices dati velut à ſeipſis pendent, & ex ſententia ſua ſtatuunt: vt mox dicam. Ideò ab illis appellantur Præſides ipſi & Proconſules qui eos dederunt. A iudicibus autem datis hi prouocantur, qui ſupra Præſides, aut Proconſules ſunt, qui eos dederunt. Si quis tamen eandem vim atque effectum eſſe pertinaciter contendat, dicamus ſanè inconueniens non eſſe, vnam legem per aliam ſuppleri, declarari, aut etiam reſtringi. Ideò cùm cauſarum earum quæ iure magiſtratus cōpetunt, duæ velut ſpecies ſint, humiliores & grauiores. Ac grauiores quidem antiquitus ferè ſub obtentu illo mandari conſueuiſſent, quòd Prçſides aliis curis impediti de his cognoſcere non poſſent, reſtringatur generale pronuntiatum Papiniani per conſtitutionem Imperatorum: vt in his ipſis grauioribus non procedat: niſi publicis occupationibus, aut cauſarum multitudine Præſides ipſi deſtineantur, vt tunc demum iudices in his dare poſſint: quare & iuriſdictionem mandare poterunt. Deinde ſubiiciunt Imperatores, *Quod non ita accipi conuenit, vt etiam in iis cauſis in quibus ſolebant ex officio ſuo cognoſcere, dandi Iudicis licentia permiſſa credatur. Quod vſque adeò in Præſidum cognitione retinendum eſt, vt eorum iudicia nō diminuta videantur.* Loquuntur hîc de cauſis iis quæ magiſtratibus ſpecialiter tributæ ſunt, ſiue hæ iuriſdictionis, ſiue miſti, ſiue meri Imperij ſint. Eas Prçſides & antè conſueuerant, & nunc quoque debent ex officio ſuo cognoſcere, non autem aliis mandare, cùm non competant iure magiſtratus. Ita enim accipienda cenſeo illa verba, *Ex officio ſuo*, vt ſignificent quæ proprio munere propriáque ſolicitudine & ſententia Præſides expedire ſolebant, & debebant. Voluerunt enim Imperatores per hanc clauſulam cauere, ne quis putaret propter ea quæ ſuprà dixerant, permitti in his quoque iudices dari ſub prętextu occupationum, aut cauſarum affluentium multitudinis. Quippe in his iuriſdictio mandatur tunc demum cùm Præſides proficiſcuntur. Nec obſtat quod legato procōſuli audientia cuſtodiarum permittitur, nec requiritur Proconſulem profectum eſſe. d.l. ſolent. l. j. C. de off. Proconſ. & leg. Non enim legatus propterea animaduertendi, aut atrociter verberandi, vel coërcendi ius habet: quod potiſſimùm eſt eorum quæ

ſpecia

ſpecialiter tributa ſunt.l.ſi quid erit.ſuprà eod.tit.de off. Proconſ.Ideò rectè dictum eſt,ad officium Præſidum hæc ſpecialiter mandata pertinere,& in eorũ cognitione retinenda eſſe,ne ſcilicet conſtitutio quæ Præſidum iudicia & cognitiones augere vult,ſiniſtra interpretatione accepta diminuere ea videretur. Proſequuntur deinde Imperatores, *Dum tamen de ingenuitate ſuper qua poterant & antè cognoſcere,& de libertinitate præſides ipſi dijudicent.* Hæc limitatio ad primam conſtitutionis clauſulam pertinet.Nam media illa clauſula , quam proximè retulimus,quaſi per parentheſim interſeritur,hoc enim amplius prohibent Imperarores,libertinitatis quoq; & ingenuitatis cauſis iudices dari,nec ſub prætextu quidem publicarum occupationum,aut cauſarum affluentium multitudinis,ſuper qua,inquit,poterant & antè cognoſcere,hoc eſt,ſolebãt cognoſcere,cùm nemo illorũ quòd non ſibi ocium eſſet,ſe excuſaret. Non enim id ſignificat,quod quidã credunt,dubitatũ olim fuiſſe,an notionem de his haberint Præſides.Nam generaliter traditum eſt,de omnibus cauſis , de quibus Romæ Præfecti,Prætores,aut conſules cognoſcunt:Præſides in prouinciis cognoſcere poſſe.l.de omnibus,ſuprà de off.Præſ.Cæterùm quamuis cauſæ huiuſmodi iuriſdictionis ſint,non aut miſti,aut meri imperij,competantq́ue iure magiſtratus,vt ego ſentio,voluerunt tamen Imperatores eas per Prȩſides ipſos cognoſci,nõ autem iudices his cognoſcendis dari. Mandari autem in his iuriſdictionẽ poſſe & mandata generaliter iuriſdictione,eas quoq; in legatos tranſire crediderim,quia diuerſa horum inter ſe ratio eſt,iudicum datorum,& eorũ quibus iuriſdictio mãdatur.Si quis tamen quia idem ferme ab vtriſque effectus produci videtur,cùm vtrique pariter ſententia ſua cauſas terminẽt:Idcirco nec iuriſdictionem ipſam in his cauſis mandari poſſe interpretetur,idq́ue admittere placeat,equidem rurſum haud inconueniens exiſtimo,vt in his quoque generale Papiniani pronuntiatum non procedere declaretur.Huius enim reſtrictionis & limitationis euidens ratio aſſignari poteſt,quod ſcilicet in huiuſmodi cauſis,non eorum ſolùm qui inter ſe litigant priuatorum,ſed totius omnino ciuitatis præiudicium agatur,quòd ſententia etiam inter alios de his cauſis dicta aliis prȩiudicium pariat.l.ingenuum.ſuprà de ſtatu hom.Quemobrem publice in primis intereſt,diligenter hæc cognoſci & diiudicari,ne ciuitatis ordines confundantur,ea propter etiam tormentis(ſi opus ſit)veritas in his cauſis inueſtigari ſolet.l.ſuper ſtatu.C.de quæſt.Nam etiam generaliter alibi traditum eſt,cauſam liberalẽ ingenuitatiſque & libertinitatis maiores iudices habere meruiſſe.l.non diſtinguemus. §.Iul.de arb.qua de re aliis etiã in locis plenius diſputabimus.l.j.C.de ord.iud.l.ij.& l.iamdudũ.vbi cauſæ ſtat.Enimuerò de Pædaneis iudicibus cõſtitutione hac quã modò interpretati ſumus,necnõ aliis duabus,aut tribus quæ ſub eodẽ titulo collocatæ ſunt,de Pædaneis iudicibus reciſius loquutus eſt Iuſtinianus.Cæterũ de his plenius poſteà nouellis duabus conſtitutionibus proſpexit ac ſtatuit.auth.vt defuncti ſeu fu.eorũ. §.porrò.& auth. de iudicibus.per totum tex. Earũ alteram generalẽ fuiſſe,alteram ſpecialẽ quȩ in vrbe Conſtantipolitana duntaxat obſeruaretur,rectiſſimè Alciatus monet. Ex illis mens Imperatoris(quòd ad dandos iudices attinet)plenius cognoſci poteſt.ſic & de legatis,hoc eſt,de his quibus iuriſdictio à Præſidibus mandatur,

alia quoque nouella conſtitutione nonnihil cauit. auth. c x x x i i i i. Sed interpretatio earum eò cùm venerimus, commodius fiet. Hactenus de his, ſequitur deinde Papinianus.

E t *ideò videntur errare magiſtratus, qui cùm publici iudicij habeant exercitationem, lege, vel ſenatuſconſulto delegatam, veluti lege Iulia de adulterijs, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles, iuriſdictionem ſuam mandant.* Supplendum ex ſententia ſcribentis, mandata iuriſdictione, exiſtimantes & hæc transferri. Quò fit, vt videatur Papinianus ſignificare iuriſdictionis appellationẽ generalem eſſe, atque etiam imperium continere. Hoc & Accur. & plerique alij crediderunt. Sed ego minimè verum puto. Nam iuriſdictionis nomen in cauſis controuerſiiſque ciuilibus propria ſignificatione vſurpari video, à iure dicundo, quam loquendi formam de criminalium iudicioru quæſtionibus vſitatã non inuenias: niſi rarò atque impropriè, vt cùm Pomponius ſuprà l. ij. §. & quia. de orig. iur. dixit, conſuli non fuiſſe permiſſum, vt iniuſſu populi de capite ciuis Romani ius diceret. cùm enim ita ſcribat Vlpianus. l. muto. §. tutoris. infrà de tut. Tutoris dationem neque imperij, neque iuriſdictionis eſſe, apertè docet, diuerſa eſſe hæc inter ſe. Nec mouet me, quòd magiſtratus hi de quibus Papinianus loquitur, mandãdo iuriſdictionem exiſtimarent, etiam merum imperium per hoc transferri. Notantur enim hi tanquàm imperiti: qui vt in re, ſic etiam in verbo errabant. Veriuſq; arbitrior, imperij verbo, iuriſdictionem contineri, quàm è contrà iuriſdictionis verbo imperium. Nam nemo imperium habet, quin idem & iuriſdictionẽ habere videatur: iuriſdictio verò ſine imperio eſſe & poteſt, & ſolet. Sed hac de re etiam paulò pòſt plenius diſſeram, in rub. de iuriſdi. om. iud. Sanè ſciendum eſt, in Pandectis Florentinis ſcriptum eſſe, *Adulterijs, &c.* Quæ lectio & ſequenti exemplo magis congruit, lege Iulia de vi, nominatim cauetur vt is cui contigerit exercitatio &c. Quamquàm non, contigerit, ſed, optigerit, in illis libris legatur. Florentinam ſcripturam probo. Nam ſententia Papiniani ad morem antiquum referri debet, quo ſpecialibus legibus, aut ſenatuſconſultis, capitales quæſtiones ex ſolennibus & perpetuis publicorum iudiciorum legibus exercendæ, magiſtratibus quotannis mandabantur. Cùm quidẽ in illis perpetuis legibus de iudice quæſtionis, qui Quæſitor dicebatur, nominatim nihil cautum eſſet, nec Prætor eius legis Vindex, aut cuſtos hîc magis quàm ille eſſe iuberetur. Vnde quia plures Prætores creabantur, & alia quoque negotia ad Prætorũ officium pertinebant, ſortiri eos ſingulis annis inter ſe Prouincias neceſſe erat, quæ ſortitio & prouinciarũ diſtributio, rurſum ex ſenatuſconſultis, aut tẽporalibus legibus fiebat, ſecundũ ea quæ ſuperius annotauimus. l. ij. de orig. iur. Hac quoq; ratione ſpecialiter lege, aut ſenatuſconſulto conceſſa hęc eſſe intelligi poteſt. Ex his præterea (vt opinor) falſa deprehenditur opinio interpretum noſtrorum, quorũ plerique exercitationis verbũ non ad deciſionẽ & ſententiam, ſed ad examẽ cauſę tantũ pertinere exiſtimarunt. Ego enim & ſententiã ferre poſſe arbitror hos magiſtratus, quibus exercitatio legũ mandata eſt, vt & olim poterant. arg. l. ordo. de publ. iudic. iuncta l. hodie. de pœn. argu. etiã. l. de qua re. infrà de iud. Quippe tunc potiſſimùm exercetur lex, cùm ſententia fertur, & commiſſum, vel non commiſſum eſſe crimen ad legem pertinens pronuntiatur.

Hoc

Hoc etiam Fulgoſius probat,argu.l.& non cognitio. & l.ſeq. C. ſi cont.ius,vel vtil.pub.ſequitur deinde Papinianus.

H v i v s *rei fortiſsimum argumentum eſt,quod lege Iulia de vi nominatim cauetur,vt is cui contigerit exercitatio,poßit eam ſi proficiſcatur,mandare:non aliter itaque mandare poterit quàm ſi abeſſe cœperit,&c.* Quia refertur hîc lege Iulia de vi nominatim cautum fuiſſe,vt is cui contigerit exercitatio,poſſit eam ſi proficiſcatur mandare,dubitari poteſt,an idem & de aliis omnibus lege ſpecialiter tributis dici conueniat,vt ſi magiſtratus proficiſcantur,ea mandare poſſint.Et Bar.quē ferè alij ſequuntur hîc & in l.imperium,poſſe putat,quòd & ipſe probo.Sic enim & alibi,quod eadem leg.Iulia de vi cōprehenſum erat,ne perſonæ quædam ad teſtimoniū ferendū admitterentur,generaliter in aliis quoq; publicorū iudiciorum legibus receptū video l.iij.§.lege Iulia.de teſtib.Sanè hoc de aliis ſpecialiter tributis cōſtitui poſſe arbitror,excepto meri imperij, hoc eſt, iuris gladij exercitio.Hoc enim nec à proficiſcētibus quidē magiſtratibus mandari poteſt,vt ſuprà dixi.Nam pœna legis Iuliæ de vi non erat gladij animaduerſio,ſed publicatio bonorū cū relegatione,vel deportatione.l.ij.C.ad leg. Iul. iuncta glo.Inſt.de pub.iud. §.Item lex Iulia.quæ res longè mitior eſt,quàm vltimum ſupplicium.arg.l.quoniam. C.eo.tit.At quia ſenatuſconſulti Syllaniani pœna erat,vltimū ſupplicium,idcirco non repetiit Papinianus hîc in fine,mandari hanc cognitionem à proficiſcente magiſtratu,ſed ſimpliciter dixit,cognitionem Prætor quā ex ſenatuſconſulto habet,mādare nō poterit. In hoc tamē nonnihil ſubſiſto,quia ſuppliciū ex illo ſenatuſconſulto non de liberis hominibus,ſed de ſeruis tantùm ſumitur,antiquitus quidem de omnibus indiſtinctè, quicūq; ſub illo tecto fuiſſent,ſub quo dominus occiſus eſſet,ſiue noxij eſſent, ſiue nō.Hodie de noxijs tantùm,vt videtur,& de iis qui cùm poſſent,auxilium domino nō tulerunt.l.cùm dominus.ad Sillan.qua de re plenius ad rubricam illius tituli dicendū erit.Quod ait lex, *Si proficiſcatur*,ſic exaudiēdū eſt,ſi nō ita cito rediturus diſcedat.l.j.§.ſi pupillus.de tutel.& rat.diſtrahen.Reliqua vſq; ad finem ex his quæ hactenus dicta ſunt,facilè intelliguntur.Sed vbi dicit:

V e r i v s *eſt enim.* Ego legendum ſuſpicor, *verius eſt tamen.* Qui error & multis aliis locis obrepſit,vt aliàs annotauimus.l.Lucius. §.fi.mand.ob ſimilitudinem quandam compendiariæ vtriuſq; verbi ſcripturæ en. & tn.Quo ſcribendi modo antiquiores vtebantur,ſunt igitur Papiniani verba.

Q v i *mandatam iuriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet,ſed eius qui mandauit iuriſdictione vtitur.Verius eſt tamen*,vel ſi mauis enim.*Maiorū more iuriſdictionem quidem transferri, ſed merum imperium quod lege datur,non poſſe tranſire.* Falſo exiſtimant interpretes,his verbis idem repeti,quod ſuperius dixerat,ſpecialiter conceſſa,non poſſe mandari.Nam Papinianus hîc ſeorſim loquitur,de mero imperio,quod tranſire non poſſe dicit,nec diſtinguit ſpecialiter conceſſum ſit,an quo alio modo. Merum imperium autem eſt,gladij,ſeu animaduertendi poteſtas in facinoroſos homines.Ideò ſubiungit ſtatim,Quare nemo dicit animaduerſionem legatum Proconſulis habere mandata iuriſdictione. Quia ſcilicet merum imperium tranſire non potuit, ob id non habent animaduerſionem. Quòd idcirco admonendum putaui, quia videntur

omnes ferè ad hanc diem ex his verbis argumentum ſumere,vt dicant merum imperium verſari,in quacunque publici iudicij quæſtione exercenda,quia ſcilicet ſuperiore paragrapho de exercitatione publicorum iudiciorum Papinianus loquutus erat,& poſteà ſtatim loquitur de mero imperio. Non enim hæc ſententia vera eſt, niſi de præſenti cruciatu atque animaduerſione corporali ex pœna criminis irroganda tractetur, quales pœnæ olim ex vetuſtis legibus aduerſus ciues Ro.exerceri prohibebantur.Publica autem iudicia multa eſſe, quorum neque mors,neque membri abſciſſio pœna ſit,ignotum non eſt, etſi alioqui cauſa mortis præbeatur,vt cùm deportatur quis.In his merum imperium exerceri non rectè dicas,vt ego vel aduerſus omnes ſentio.

L. II. VLPIA. LIB. III DE OMNIBVS TRIBVNALIBVS.

MANDATA IVRISDICTIONE A PRAESIDE, CONSILIVM *non poteſt exercere is cui mandatur.* Conſilium exercere,id propemodùm ſignificat,quod conuentus agere. Id quibus anni temporibus & quomodò fieret,qui homines in conſilium adhiberentur,declarat Theophilus in Inſtitu.tit.quibus ma. non licet. §.eadem lege.Igitur legato proconſulis conſiliũ habere non licet, vt hoc loco vides.Quomodò ergo poterit vindicta apud eum manumitti , quod tamen fieri poſſe Vlpia.ſcribit.l.apud proconſulem.de manumiſſ.vind. Siquidem manumiſſionem vindicta illam dici Accur.autumat,quæ apud cõſilium cauſa probata fit.glo.Inſt.de libert. §.multis autem modis.Reſpondeo, vindicta manumiſſio propriè illa dicitur,quæ apud magiſtratus fit,cauſæ verò apud conſilium probatio ita demum neceſſaria eſt,ſi minor ſtatuto tempore ſit qui manumittit,non ſi maior,vt nos dicimus,in Rub.ff.de manumiſſ.vind. Quare hęc manumiſſio apud legatum fieri poterit.d.l.apud.illa non poterit:cùm præbendi conſilij legato non ſit facultas.Non enim veram exiſtimo eorum opinionẽ, qui putant apud legatum neminem omnino poſſe manumittere.l.ij. ſuprà de off.conſulis.Nam id procedit quamdiu nec proconſul prouinciã ingreſſus eſt, nec legato mandata eſt iuriſdictio,vt prædiximus.Conſilium exercere nec imperij videtur eſſe,nec iuriſdictionis.Sed ad dignitatẽ & decus proconſulis duntaxat pertinere,vt quæ ab eo ſtatuta fuerint,firmiore iudicio perpenſa eſſe videantur.arg.l.cuſtodias.infrà de pub.iud.non mirum ergo ſi hoc legato,vel alteri,cui mandata ſit iuriſdictio,non permittitur.

L. III. IVLIA. LIB. V. DIGESTORVM.

ETSI PRAETOR SIT IS QVI ALIENAM IVRISDICTIO*nem exequitur,non tamen pro imperio ſuo agit,ſed pro eo cuius mandato ius dicit,quoties partibus eius fungitur.* Videtur hîc in fine à contrario ſenſu ſignificare,poſſe aliquem mandato alterius ius dicere,vt tamen partibus eius non fungatur.Hoc nos verum exiſtimamus in iudicibus datis,inter quos & eos quibus mandata eſt iuriſdictio,inter cætera quæ modò annotauimus,etiã hoc intereſſe putamus,quòd qui mandatam iuriſdictionem habet,veluti vicario nomine,atque ex ſenſu mandantis ius dicit,iudex verò datus tanquam à ſeipſo pronuntiat.Meritò ab hoc appellatur is qui eum iudicem dedit,ab illo autem is qui ſupra mandantem eſt.l.j.

infrà

infrà quis & à quo appell. Vtile ergo hoc reſponſum eſt, vt ſciamus ſi Prætor ex delegatione cognoſcens, contra nos pronuntiauerit, quis appellãdus ſit. Sic etiam quãdoq; dubitatũ vides, an prætor ſpecialẽ iudicem ſeipſum dare poſſit. l.fi.de off.prętο.quòd ex eo fortè quæſtionis captaretur vtilitas, vt prętor quaſi per indirectum tolleret auxilium appellationis, dum ipſemet, qui ſe iudicẽ dediſſet, ab ſua ipſius ſententia prouocaretur. glo.in d.l.fi. Quod ait, *non pro imperio ſuo agit*. Simile huic eſt, quod alibi ſcribitur. l.iudiciũ ſoluitur. infrà de iudi. *Qui maius imperium in ea iuriſdictione habet*. Imperium autem his locis accipiendum eſt, pro autoritate.

L. IIII. MACER. LIB. I. DE OFFIC. PRAESIDIS.

COGNITIO, &c. CVM *propriam iuriſdictionem legatis tuis dederis, conſequens eſt vt etiam de ſuſpectis tutoribus poſſint cognoſcere.* Scripſerat Præſes prouincie ad Imperatores, ſe iuriſdictionẽ ſuam legatis mãdãſſe. Ideò quærebat, an de ſuſpectis tutoribus poſſent cognoſcere. Reſpondent Imperatores, Cùm propriam iuriſdictonem dederis, &c. hoc eſt, tuã ipſius. Nam alioqui propriũ dare idem ſignificat, quòd perpetuò tradere. Virg. Propriamq́; dicabo, & da propriã Tymbræ domum. Et propria hæc Sidona fuiſſent. legato autẽ à Procõſule adimi iuriſdictio quandocunq; poteſt, vt tamen cõſulto Principe id fiat. l.ſolent. § j.ſuprà de off. proconſulis. Sed an interim procõſul ipſe, qui iuriſdictionẽ mandauit, ius dicere poſſit. Dubiũ facere videbatur, quòd vbiq; ſic loquuntur iuriſconſulti veteres, vt hoc loco legimus, propriã à proconſule iuriſdictionẽ trãsferri. Et officiũ totũ iuriſdicendi ad legatũ tranſire. hîc & l.j.ſuprà eo.l.j. §.damus autẽ. infrà de ſuſp. tut. quare nõ videbatur (ſaltẽ vbi legatus exequi mandatã iuriſdictionem cœperit) proconſulẽ intempeſtiuè ſe immiſcere poſſe. Res enim iam nõ eſt integra. arg.l.& quia.de iuriſd.om.iud. vt de eo dicimus, qui procuratorẽ datũ reuocare vult, poſteaquã iudiciũ accepit. Nam nõ niſi ex cauſa id iudiciũ in ſe transferre poteſt. l.ante. & ll.ſeq. de procu. Sed verius eſt pręſidẽ, aut proconſulẽ mandãdo alteri, à ſe nõ abdicare iuriſdictionẽ. Nã vice eius, legatus dehinc cognoſcit. glo. in l.ſolet.de iuriſd. ideò arbitratu ſuo cognitionẽ, aut totũ, aut eius articulũ quẽlibet ad ſe aduocare quãdocunq; poſſe. arg.l.iudiciũ ſoluitur. vbi notauimus, infrà de iudi. dum tamen ſi totã prorſus iuriſdictionẽ, hoc eſt, omniũ cauſarum in vniuerſum tractandarũ facultatẽ, legato ſuo adimere vult cõſulto principe id faciat. d.l.ſolent. §.ſicut. infrà de off. proconſulis. quia ſcilicet legatos quoque approbat Princeps, vt Dion ſcribit, lib. LIII. Hiſtoriarum.

CONSEQVENS *eſt, vt de ſuſpectis tutoribus poſſint cognoſcere.* Subaudi & pronuntiare. Inſti.de ſuſp.tuto.in prin. nã de qua re iudex cognouerit, de ea quoq; pronuntiare debet. l.de qua re. infrà de iud. Sed obſtare videtur, quod Marcellus ſcribit, ſuſpecti tutoris accuſationẽ, pro tribunali tantũ examinari, & nullũ aliũ de huiuſmodi quæſtione quã præſidẽ prouincię pronũtiare poſſe. l.j. §.ſuſpecti. infrà ad Turp. ſoluit Bar.in dicto §.ſuſpecti, diſtinguẽdũ eſſe, criminaliter ne an ciuiliter agatur, vt ſi qdẽ ad ſolã remotionẽ actũ ſit, poſſit legatus cognoſcere: & hoc cõtineat reſcriptũ, quod hoc loco refertur. Si verò ad vindictã actũ ſit, nõ

poſſit legatus pronuntiare, ſed ſolus Præſes. Nam putat ſuſpecti crimen tam ciuiliter,quàm criminaliter intendi poſſe.l.j.ff.de ſuſpectis tut. Eius rei etiam argumentum eſſe,quòd procurator aliquando in cauſa ſuſpecti interuenire ſoleat.l.non ſolùm. §.fina.de procuratoribus.Sed ego vt verum non negauerim,quibus caſibus tutor vltra remotionem cum infamia,etiam atrociter puniri debet,non poſſe legatum proconſulis in eum ſtatuere,quia ius coërcendi non habet.Sic falſum exiſtimo,ſuſpecti crimen dupliciter intendi poſſe, cùm hoc nuſquam legerim,nec vſquam ciuiliter agi memoratum ſit. Nec mouet me quòd procurator nonnunquam interueniat. Nam procuratoris vſus tam in criminalibus vſque ad pœnam relegationis,quàm in ciuilibus negotiis indifferenter permittitur.l.j.an per alium cau.appel.red.poſſ.vbi glo.Sed nec veram eſſe puto rationem qua vtitur Bartolus, quòd interdum ſic agi poſſit, vt nihil aliud quis petat,niſi priuatum commodum & vtilitatem pupilli. Nihilominus enim infamiam ſequi puto,quamuis actor expreſsè profiteatur nolle infamem fieri,ſi tutor vti ſuſpectus remotus fuerit.l.enim.de ſuſpect. tuto. Quin etſi iudex cupiat efficere, id non poteſt,vt ſic remotum,infamia nō ſequatur, cùm facti quidem quæſtio in poteſtate iudicantis ſit:iuris verò autoritas,in poteſtate legis.l.j. §.j.ad Turpil.l.ordine.ad muni.Verius ergo arbitror,ſuſpecti poſtulationem,atque accuſationem(nam plerunque ſic appellatur)miſtam quandam naturam obtinere,vt de inofficioſi querela dicimus.glo.in l. Papinianus. in prin.de inoff.teſt.& in c.tuæ.extrà de procur.Nam & priuatum pupilli commodum reſpicit.Idcircoque & vindictæ publicæ exequutionem ſemper vniformem eam eſſe,cùm hæc duo ſemper reſpiciat. Quotiens verò tutor Romæ ad Præfectum puniendus remittitur,vt l.j.§.Item ſolent.de offic.præfect. vrb.toties in prouinciis Præſides,per ſeipſos id exequi debere.d. §.ſuſpecti.non ideò tamen actionis naturam immutari,quamuis grauior interdum vindicta immineat.Ideò nec inſcriptionem vnquam neceſſariam eſſe non magis quàm in querela inofficioſi,vt diximus,inſti.eod.tit,in prin.& l.fi.de pri.deli. ſanè hoc reſcriptum refertur etiã ab Vlpiano,in l.j.de ſuſpect.tut.Sed Vlpianus dubium olim fuiſſe refert,an mandata iuriſdictione,legatus cognoſcere poſſet de ſuſpecto tutore.Id dubium,vt coniicio,oriebatur,aut quia quibuſdam legibus ſcriptum erat,dari hanc cognitionem præſidibus & prætori.argu.d. §. damus. & §.ſuſpecti.& per hoc videbatur ſpecialiter eis conceſſa eſſe,quare nec ab ipſis transferri poſſe,propter generalē iuris regulam,quæ ſpecialiter mãdata transferri impedit.l.j.ſuprà eod.vel quia non putabant per generale mandatum iuriſdionis transferri ea quæ miſti imperii ſunt, hoc eſt, quæ magis imperio quàm iuriſdictione explicantur,qualem hanc accuſationem eſſe non ineptè exiſtimabant.propterea quòd cognoſcentis iudicis ſententia tutor & remouetur ſimul & abſtinere iubetur à tutela.Igitur reſcriptum fuit,vt hîc vides.Vlpianus autem hoc reſcriptum quod de legatis proconſulum loquebatur,etiam ad legatos prætorios extendit,propter generalē ſcilicet iuris regulam.l.de his.ſuprà de off.pręſ.qua pręſides &Vrbani magiſtratus æquiparãtur.Tacito autē quodã modo,cùm ait,quia totũ officium iuris dicendi ad eum tranſit:à iuris cōmunis

diſpo

diſpoſitione alienum non fuiſſe hoc reſcriptũ ſignificat:quaſi & hæc ipſa cognitio tranſire potuerit, vel quòd iuriſdictionis magis quàm imperij fuiſſe eam credit, vel etſi magis imperij ſit, venire tamen debuiſſe in mandato generali. Nullo autem modo intelligi oportere, eam ſpecialiter tributam fuiſſe his magiſtratibus, quãuis nominatim illis legibus Prætor, vel præſes prouinciæ recenſeretur. Vlpiniani ſententiæ cõueniunt reſcripti verba: *Cùm dederis iuriſdictionem, conſequens eſt, &c.* Sed legis noſtræ autor Macer, non putat obtinere potuiſſe illam ſententiam, ſine adiumento reſcripti, propter tot difficultates, quæ obſtabant, maximè verò propter illam, quòd in generali mãdato iuriſdictionis, non putat venire hæc quæ magis imperij ſunt, quàm iuriſdictionis, qualem eſſe exiſtimat hãc accuſationem. Idcirco ait, ob vtilitatẽ pupillorum hoc cõſtitutũ fuiſſe. Illa autẽ quæſtio nunquam ab antiquis deciſa legitur, an in generali mandato iuriſdictionis ea transferantur, quæ ſunt miſti imperij. Ego quod ſentio dicam, in l. iubere. de iur. om. iud.

V T *poſſeſſio bonorum detur, vel ſi cui damni infecti non caueatur, vt is poſſidere iubeatur, aut ventris nomine in poſſeſſionem mulier, vel is cui legatum eſt, legatorum ſeruandorum cauſa in poſſeſſionem mittatur, mandari poteſt.* Ita legendũ eſt: vt Auguſtinus docet, lib. 1. emẽd. c. 1 x. quicquid Haloander mutauerit, qui non boni Codicis autoritatem ſequutus eſt. Hęc autem omnia intellige ad literam, prout iacent de omnibus bonorum poſſeſſionibus indiſtinctè. Accurſio erroris cauſam in interpretatione huius loci prębuit, quòd legerat, per libellum expediri non poſſe, quæ cauſæ cognitionẽ deſiderant. l. nec quicquã. §. j. ſuprà de off. Proconſ. Nam antiquiores crediderant libellum appellari eum ipſum iudicem, vel legatũ, cui iuriſdictio mandata eſſet. Quo quid abſurdius dici, aut audiri potuit? hodie inter omnes conſtat longiſſimè eam interpretationẽ à vero abeſſe: ideò nihil obſtat quò minus hoc reſponſum indiſtinctè de omnibus bonorum poſſeſſionibus accipiamus: vt & Alciatus docet, lib. 11. parad. c. 1. & 1111. & libro 111. παρέργων. cap. 111.

L. V. Pavlvs. Lib. XVIII. Ad Plavtivm.

MANDATAM IVRISDICTIONEM MANDARE ALTERI *non poſſe, manifeſtum eſt.* Hic quoque clariſſimè docemur, iudicem datum, iuriſdictionem non habere, ſed notionem tantùm. l. ait prætor. de re iud. vt & ſuperius oſtendimus. l. legatus. de off. proconſ. & leg. Nam legatũ proconſulis qui mandatã gerit iuriſdictionem, iudices dare poſſe conſtat. d. l. legatus. & l. cùm prætor. infrà de iudi. At iuriſdictionem in alterum transferre non poteſt, vt tam hoc, quàm aliis reſponſis traditum eſt. l. mo te. & leg. ſeq. de iur. om. iud. l. j. C. qui pro ſua iuriſdi. iud. da. poſſ. Ergo iudex datus, iuriſdictionem non habet. Ego puto eum quoque, cui iuriſdictio ad vnam tantùm ſpeciem, vel cauſam mandata eſt, quãuis eam iuriſdictionẽ alteri mandare non poſſit, iudicem tamen in ea dare poſſe, queãdmodũ in omnibus dare poteſt, cui de omnibus iuriſdictio mãdata eſt. argu. l. ſi duo. in fin. de adm. tut. l. quæ de tota. de rei vendi. Differentiæ an vt

iudex datus quis cognouerit,an vt mandatam iuriſdictionem gerens, multæ ſunt.Nam hic quidem exequi ſententiam ſuam poteſt,vt & mox dicam,infrà titu.11.l.ij.& l.à diuo Pio.de re iud.At iudex datus non exequitur. Item poteſt ille iuriſdictionem ſibi mandatam defendere, etiam pœnali iudicio.l.j.ſi quis ius di.non obtemp.Prætereà contra contumacem quod iuri conuenit ſtatuere atque decernere,vt puta in poſſeſſionem bonorum eius mittere, latitantis bona poſſideri,vendi diſtrahíque iubere,quorũ nihil iudici dato facere licet.auth. de exhib.reis. §.vbi verò. Quippe iſte ad hoc tantùm datus eſt, vt ſententiam dicat,qua dicta illico functus eſt officio ſuo.l.iudex. de re iud. Sententiam autem dicere non poteſt,niſi apud eum lis conteſtata ſit.d.§.vbi verò. Et hic eſt quaſi voluntarius quidam actus partium,vltro ei ſe ſubmittentium.Qua de re etiam ſuprà diximus.d.l.legatus.ſecundum Alciati ſententiam,libro ſecundo Parado. cap. IIII.

MANDATA *iuriſdictione priuato,etiam imperium quod non eſt merum,videtur mandari, quia iuriſdictio ſine modica coerctione nulla eſt.* Iuriſdictio ergo ſemper particeps imperij eſt,ſiquidem ſine imperio explicari,aut omnino eſſe non poteſt.Quod & alibi ſcriptum eſt.l.j.in fi.ſuprà eo.l.ij.infrà tit.11.Cùm hoc ita ſit,quæro quid interſit inter iuriſdictionem & imperium,quod nõ eſt merum,quod ſcilicet vocamus miſtũ,idcirco quia iuriſdictio ei ineſt? Reſpondeo, quæ magis imperij ſunt quàm iuriſdictionis,ea miſti imperij dicuntur.l.j.§.fi. ſuprà eo.l.iubere.de iuriſd.om.iud.quæ verò magis ad iuriſdictionem,quàm ad imperium attinent,ea iuriſdictionis eſſe dici conſueuerunt,indito vtriſque vocabulo à potentiore parte,vt ego arbitror.Sed horum exempla paulò pòſt videbimus,in l.imperium.titulo.j.

## *DE OFFICIO ADSESSORVM.* TIT. XXII.

ADSESSORES dicũtur iuriſperiti,quos præſides in prouincias ſecũ ducunt: vt eorũ conſilio ius dicant,& ciuilia negotia cõſtituant. Hi quà adſeſſorũ officio fungantur,præter conſiliũ nihil præſtant,dum præſidẽ admonent,quid iuri publico,atque officio eius conuenire videatur. Omnia verò nomine Præſidis ſine dubio aguntur.Quin & pœna propoſita eſt,ſi adſeſſoris nomine ſubſcriptiones mittantur,vel aliud quodlibet conſtituatur.l.ij.C.de aſſeſſo.& dom.Hi etiam conſiliarij dicuntur.l.Conſiliarios.eod.tit.Eiſdem nonnunquam à præſidibus proficiſcentibus,cauſas decidendas delegari conſueuiſſe, & tunc pædaneos proptiè dictos eſſe,Alciatus & Auguſtinus annotauerunt. Alciat.libro 1. παρέργων.cap. XLI.Auguſt.l.non ſolùm.§.ſimiliter.de excuſ.tutor. Nos hac de re ſuperius abundè diximus,in l.j.de offi.eius cui mand.eſt.iur.

L. IIII. PAPINIA. LIB. IIII. RESPONSORVM.

DIEM FVNCTO. Lege textum vt Auguſtinus docet ex Tuſco libro,hoc modo, *Papin.lib.1. reſponſorum: Diem functo legato Cæſaris, ſalarium comitibus reſidui temporis,quod à legatis præſtitum eſt,debetur, modo ſi non poſteà comites cum alijs eodem tempore fuerunt.* Relatum eſt hoc reſponſum etiam eodem ſenſu ſub titulo locati.l.ſed addes.§.fina. vt mirum

rum

tum ſit interpretes noſtros hac in re tantopere laboraſſe. Alciatus verè lectionis rationem primus inijt.lib.IIII.diſpunct.c.xx.prætercuàm quòd legatis non à legatis edidit. Nunc particula illa, A, omnem dubitationem tollit, ſi qua ſuperat. Sanè comites propria ſignificatione accipiendos puto omnes omnino, qui legatum in prouinciã ſequuti ſunt, ſiue aſſeſſores ſint, ſiue cancellarij, vel domeſtici quilibet. Nec incongruum eſt, ſub Rubrica, de officio aſſeſſoris, etiam de his tractari. Nam & in Codice conſtitutionum idem factum eſt. Quinimò Rubrica expreſſim ita inſcribitur, *De aſſeſſoribus domeſticis & cãcellarijs iudicium.* Præſertim verò hoc admittendum, cùm eadem in his ratio vigeat, quæ in aſſeſſoribus. Sanè inter aſſeſſores & alios arbitror hoc intereſſe, quòd aſſeſſores quidem ex publico ſalarium accipiebant, cæteri autem priuatim ab ipſo præſide, vt inferius declarabo.

L. VI. Papinianvs Lib. I. Responsor.

IN consilium cvratoris reipvblicae, vir eivs *dem ciuitatis aſſidere non prohibetur: quia publico ſalario non fruitur.* Curatorem reipublicæ falſò accipit Accurſius, pro rationali principis, qui procurator Cæſaris appellatur ſuprà titu.iij.& l.ij. C.de offi.aſſeſſo. Verius eſt enim curatorem reipub.intelligi, ſuæ quemque ciuitatis, aut municipij pecuniarum & bonorum procuratorem, quę bona abuſiuè publica dicuntur.l.bona ciuitatis.de verb.ſig. Id etiam ſignificat illud verbũ, *eiuſdem ciuitatis.* Nec nouũ eſt in iure curatores hos appellari.l.curatores.l.ſeq.& l.fi.de adm.re.ad ciu.pertin.l.curatoris.C.de modo mul.l.ad curatoris.ff.de dam.infe.l.Lucius.§.Sempronij.de adm.tu.Corraſius lib.III.Miſc.c.vj. Accur.errorẽ etiã Caſt.animaduertit. Sed difficilius eſſe videtur defendere hãc rationem, quam Papin.affert.*quia publico ſalario non fruitur.* Videtur enim eſſe vitioſa, ne dicam inuida & maligna. Cùm non ideò prohibeatur quis in prouincia ſua aſſidere, quòd ſalario, aut publico, aut priuato fruatur. Quid enim hoc ad rem pertineat? Sed quòd ſuſpitio fuiſſe videatur, ne gratioſus, aut factioſus quis inter populares ſuos quandoq; futurus eſſet.arg.l.fi.C.de offi.rect.prouin. Fuit cùm exiſtimarem Alex.Imperatorem, qui aſſeſſoribus ſalaria primus inſtituit, vt Lampredius in vita eius ſcriptum reliquit, non ex ærario & fiſco ſuo, ſed ex pecunijs ciuitatum exolui voluiſſe, proptereà prouincialibus cõceſſum, vt non niſi ex eorum conſenſu eligerent ſibi præſides huiuſmodi conſiliarios. Nam generali conſtitutione prohiberi Præſides animaduertebam, cancellarios & domeſticos in prouincias ſecum ducere.l.nullus.C.eo.tit.vbi dixi. Et domeſticorum appellatione, etiã aſſeſſores contineri putabam.arg.l.j.C.ad leg.Iul.repet. Sed verius eſt, nec prohiberi præſides, quominus aſſeſſores arbitratu ſuo in prouincias ſecum ducant.l.liceat.C.eo.arg.etiam l.liberti.ſuprà eod.tit.nec ſalarium his à prouincialibus, aut municipibus, ſed ex fiſco & ærario principis ſolui conſueuiſſe.Rubri.& l.j.C.de anno.& capitatione adminiſtrantium. Quod & Alciatus probat. Cur enim grauaret princeps prouinciales, vt vltra ſolitas penſitationes, hoc quoque præſtarent. Igitur rationem hanc à remotis ductam arbi-

tror, ſecundum Hugonis antiqui interpretis opinionem. Is hoc ſibi voluiſſe Papinianum interpretatus eſt: quia publico ſalario non fruitur hic aſſeſſor: ideò neminem aliunde facilè adduci potuiſſe, ob id ciuibus exercere hoc officium permitti. Quòd ſi ita ſcripſit Papinianus, vt nonnunquàm ſuſpicatus ſum, *Qui à publico ſalario non fruitur*, vt particula illa, à, diſtincta ſit à relatiuo, quo, & hoc relatiuum, quaſi pro taxatione accipiatur, de illo videlicet aſſeſſore tantùm, qui ex publico, hoc eſt ex fiſco (nam ita accipi debet illud verbum, arg. l. in omnibus. C. de cur. pub. lib. XII.) ſalarium non capit, iam expedita & clara erit huius capitis ſententia, nec ratio vlla repugnare videbitur. Nam in Pandectis Florentinis vnde omnes libri noſtri emanauerunt, continua literarum ſerie omnia deſcripta ſunt. Quod dicit de curatore reipublicæ, id & de alijs magiſtratibus muninicipalibus ſine dubio intelligendum eſt.

# PANDECTARVM LIBER SECVNDVS.

## *DE IVRISDICTIONE OMNIVM iudicum.* TITVLVS I.

HAEC Rubrica lib.iii.Cod.inſcribitur cum illa adiectione: *Et de foro competenti*.quòd propemodùm etiam in Cod.Theodoſiano factum erat. Nam ibi eſt, *De iuriſdictione, & vbi quis conueniri debeat*. Sed hæc poſterior pars conſulto amiſſa eſt,propterea quòd ſub alio titu.collocatur,qui eſt inferius. *De iudicijs, & vbi quis agere, vel conueniri debeat.* Huius autem tractatus potiſſima pars in eo conſumitur,vt doceamur,quis,qua de re,& ad quantam vſque ſummam magiſtratus ius dicere poſſit, quanuis & de foro competenti nonnihil apponatur,quia ſcilicet coniuncta hæc ſunt ratione perſonarum,inter quas ius dicitur,adeò quidem vt vix inter ſe diſtingui poſſint. Cæterùm iuriſdictionem nos hoc modo diffinimus,quicquid Accurſ.& cæteri in l.j.infrà eo.tit.dicāt:Iuriſdictio eſt magiſtratus, vel eius qui in ea re magiſtratus vice fungitur, notio. Cuius diffinitionis rationē paulò pòſt pleniusexplicabimus,in l.imperiū. Illud quoque conſtantiſſimè affirmauerim,ridiculum eſſe quod de iuriſdictione generaliſſima confixerunt Doct.noſtri:quod verbum à iure & ditione compoſitum exiſtimauerūt,vt ſumma & maxima poteſtas,ditio iuris appellaretur. Hoc enim verbum nuſquàm apud latinos ita compoſitum,nec hoc ſenſu compertum eſt.Sed ditionem ſimpliciter dici imperium & poteſtatem contenderim, veluti cùm in ditionem Pomp.Rom.veniſſe Carthaginenſes dicimus:& Cæſarem Gallias in ditionem Po.Rom.redegiſſe,ideſt,in poteſtatem.Virgilius quoque, *Vaſtabat Ciprum, & victor ditione tenebat.* Puto itaque in omnibus locis tam apud Iureconſultos noſtros,quàm apud cæteros latini ſermonis authores, legendum eſſe iuriſdictionem,à iuridicendo , animaduertíque ad hanc diem, vbique ita accipi. Nec me mouet,quod Accur.& cæteros in errorem pellexit, glo.in d.l.imperium.& in authen.de defenſor.ciuit.§.iuriſiurandum.in glo.magna.quod ſcilicet Papinianus ſcribit,in l.j.de offi.eius.iuriſdictionem ſuam mandabant &c. Nam hoc ſibi voluit Papinianus errare magiſtratus,qui cùm habeant exercitationem publici iudicij,mandant iuriſdictionem ſuam , hoc ipſo exiſtimantes,merum quoque imperium transferri poſſe,ignari non ſolùm iuris conſtitutionis,qua imperium tranſire prohibetur:ſed in verbo etiam errantes,dum non animaduertunt aliud eſſe iuriſdictionem,aliud imperium,ſeparatámque eorum cauſam eſſe. Sed interpretes Papiniani ſermonem captarunt,

Nos ibi quoque ad hunc modum ſumus interpretati. Illud præterea animaduerti, verbum, Dictio, hoc plus, quàm imperiũ ſignificare, quòd certos quidem magiſtratus imperium habere rectè dicimus, vt proconſules & Præſides prouinciarum, ditionẽ verò habere eos nemo dicit. Quoniam hoc verbum, ditio, ſoli populo imperanti, vt pop. Rom. aut Carthaginenſi cõuenit, aut Regi, vel Imperatori, aut cuilibet principi, qui per ſe alioqui ſit liber, & à nemine pendeat. Sic Iuſtinianus in prooem. Inſt. vtitur, *Ditionis noſtræ ſubactis*. Sic Virgil. exemplo ſuperius relato. Sic alij alijs in locis. Nam quod ait Vlpianus, in l. ſi in aliquam. in fin. de offi. proconſ. cùm plenam iuriſdictionem proconſul habeat, omnium partes qui Romæ, vel quaſi magiſtratus, vel extra ordinem ius dicunt, ad ipſum pertinere: ſubijcitúrque ex alio eiuſdem Vlpiani libro, *Et ideò maius imperium in ea prouincia habet omnibus, poſt principem.* Id etſi vulgarem opinionem adiuuare videtur, me tamen haud quaquàm mouet. Non enim veriſimile eſt iureconſultum fuiſſe ita dicturum, ſi ipſe ſua verba continuaſſet, vt inferret, quia habet pleniſſimam iuriſdictionem: ideò habet imperium, cum nihil commune habeat, vt dixi, iuriſdictio cum imperio. Poſtremò vel aliter legendũ initio eius capitis exiſtimauerim, ad hunc modum, *Et idem maius imperium &c.* Vel certè nõ ex eo infert, quod dixit, quia habet iuriſdictionem pleniſſimam, ſed ex eo quod dixerat, omnium partes, qui Romæ ius dicunt, procõſulem ſuſtinere, hoc modo. Quia ſuſtinet partes omnium, qui Romæ ius dicunt, ideò habet maius imperium &c. Idem enim qui Romæ ius dicebant, plerunque etiã in cauſis capitalibus iudicabant, vt prætores & præfecti prætorio, & ſi qui alij alio tempore: qua de re abundè ſuperius diſſeruimus. l. ij. de orig. iur. §. deinde. & l. illicitas. §. qui vniuerſas. de offi. præſ. Ad hoc tamen Vlpiani reſponſum, vulgares doctores non animaduerterunt. Rurſus non mouet me Papiniani pronunciatum, l. inter tutores, de adminiſtra. tuto. quo diuiſionem tutelæ non iuris, ſed iuriſdictionis eſſe ſcribit. Nam ibi ad loca, in quibus vnuſquiſque tutor pro parte ſua agat, aut conueniatur, reſpexit, non ad imperium. Sententiam autem noſtram confirmat etiam iureconſul. in l. ait prætor. de re iudic. in princ. iuncta leg. notionem. de verb. ſignifi. in princip. cùm iuriſdictionis verbum ceu minus plenum reprehendit in edicto prætoris: quod proculdubio facere non debuiſſet, ſi iuriſdictionis verbum, in genere accipi potuiſſet, ſecundum vulgatam opinionem. Quare his quoque capitibus euidenter apparet, iuriſdictionem dici illam ipſam iuriſdicendi poteſtatem, quemadmodum & ius dicere tantummodò de ciuilibus diſceptationibus vſurpatum eſt apud aurores latinos, excepto Pomponio noſtro, apud quem legimus, in l. Neceſſarium itaque. §. & quia, vt diximus, de capite ciuis Romani. ff. de orig. iur. Non permiſſum fuiſſe conſulibus iniuſſu populi de capite Ciuis ius dicere, pro eo quod eſt, iudicare: impropriè (vt ego arbitror) cùm apud alios hoc ſenſu nuſquàm inueniatur. Et fortaſſè initio ſcripſerat Pomponius, iudicare, & verba eius per compilatorum tranſlationes mutata ſunt. Cicero Verrina tertia de lege Cornelia loquens, quæ proſcriptum iuuari vetabat. Lex eſt, pœna eſt, quid ad eum qui ius dicit? Quo loco Pedianus Aſconius, qui ius dicit, inquit, factorum iudex eſt, non futurorum, duntaxat in ciuilibus cauſis.

L. I. VLPIANVS LIB. I. REGVLARVM.

IVS DICENTIS. Iuriſdicendi munus propriè ad prætorem pertinebat.arg.in l.pen.ſuprà de iuſt.& iure.Plau.ius dicis. Reſpódetur ergo ego ſum Prætor. Prætores autem generali nomine dicti ſunt, qui iuriſdictioni præeſſent. Perinde ergo eſt ac ſi dicat,prętoris,vel cuiuſuis alterius qui prætoria poteſtate iuriſdictioni præeſt : vt cùm duæ ſpecies magiſtratuum ſint, maiores & minores.l.nec magiſtratibus.de iniur.de maioribus duntaxat iudicibus hoc accipiamus.

OFFICIVM. Duo ſimul ſignificat, facultatem cum neceſſitate ſtatuendi.nam ferè ſic accipimus hoc verbum,vbicunque de officio alicuius iudicis, vel magiſtratu Rubrica inſcribitur.

LATISSIMVM EST.Latè patet,cùm etiam ea facere poſſit,quæ iuriſdictionis terminos excedunt,vt ſubiecta exempla demonſtrant.

NAM *& bonorum poßeßionem dare poteſt.*Subauditur,quod magis imperij, quàm iuriſdictionis eſt,quãuis iuriſdictio inſit.Nam ideò miſti imperij hoc eſſe dicitur.l.imperiũ.infrà eod.Dabant enim antiquitus prætores bonorũ poſſeſſionem ex edictis ſuis,nõ decreto ſolũ,ſed & re ipſa exequẽdo,quod decreuerãt,in quo principaliter vtebantur imperio.Eam rem plenè(vt cætera)declarat præceptor meus Alci.lib.III.*παρέργων*.c.iij.hodie ſufficit agnitio corã iudice,vt quæſitum ſtatim eſſe vniuerſale ius bonorũ poſſeſſionis intelligamus.l.fi.C.qui admitti.Inſt.de bon.poſ.in fi.l.iij.§.hæreditas.de bon.poſ.Tũc vel interdicto,Quorum bonorũ,ſi non iuris hæreditarij cõtrauerſia fiat,ſed ſingulæ res vindicẽtur, vel petitione hæreditatis agere poſſumus.Si quiſquã fortè ex aduerſo hæredem ſe,aut bonorũ poſſeſſorẽ contendat,quæ actiones ſine dubio ad iuriſdictionis ordinariæ formam pertinent. Quare fruſtra quæritur,an bonorum poſſeſſionem dare, hodie ſit miſti imperij,cùm ea datio principalibus conſtitutionibus ſublata ſit. Si tamen detur, etiam nunc exequutione ipſa, ſine dubio miſti imperij videbitur dicenda eſſe,vt ex hoc loco cognoſci poteſt.

ET IN *poßeßionem mittere.* Subaudi, quod & ipſum magis imperij quàm iuriſdictionis eſt.l.iubere.infrà eod. Quibus autem ex cauſis id fiat, habes ſub titu.ex quibus cauſ.in poſſ.eatur.l.j.

PVPILLIS *non habentibus tutores conſtituere.*Hoc verò neq; imperij, neq; iuriſdictionis eſt,ſed cùm his ſolis cõpetat hæc facultas,quibus nominatim dedit lex, Senatuſconſultũ,aut princeps.l.muto.§.tutoris datio.infrà de tute.Cur iure magiſtratus cõpetere eã ſignificat,dum iuſdicẽtis officio & hanc ſubiũgit? Reſpõdeo,quia data erat maioribus his magiſtratibus,de quibus iuriſcõſultũ hoc loco agere diximus,vt prætori,procõſuli,præſidi,prefecto.l.j.vbi gl.de tut.& cura.Inſt.de Attil.tut.in prin.&.§.ſed de his. Hoc intuitu ad officiũ eorũ pertinere hanc rem dixit.Cæterùm non id agit,vt diſtinguat ſpecialiter competẽtia ab his,quæ competũt iure magiſtratus, verùm id duntaxat,vt oſtendat quædam eſſe ſupra iuriſdictionis munus, quæ tamen & ipſa iuſdicentis officio incumbant,ſiue ei magiſtratus munere, ſiue ſpeciali iure iniuncta ſint.

IVDICES *litigantibus dare.* Hoc quoque miſti imperij eſt:vt mox dicemus. infrà eod.l.ij.in fi.& proprium quidem hoc prætoris munus erat. Nam de eo in XII.tabulis ita ſcriptum fuiſſe apparet. *Iuris diſceptator qui priuata iudicet, iudicarive iubeat, prætor eſto*: nec præter maiores hos magiſtratus cuiuſquam ius dandorum iudicum eſt,niſi cui ſpecialiter.l.ſenatuſconſulto.aut conſtitutione principali conceſſum eſt.l.cùm prætor. §.j.infrà de iud.nec de omnibus cauſis vtique iudices dare poſſunt,ſed cum diſtinctione quadam:vt ſuprà tit.ij.l.j.Sanè quid interſit inter iudicem dare & iubere iudicare ac iuriſdictionem mandare,ſatis ſuperius demonſtratum eſt.l.fi.de offic.præf.vrb.l.legatus.de offic.procõſ. Ideò nihil eſt quòd hîc repetamus.

L. II. IABOLENVS LIB. VI. EX CASSIO.

QVI IVRISDICTIO DATA EST. Loquitur de eo cui mandata eſt iuriſdictio. Nam dare iuriſdictionem ſæpe vtimur,pro eo quod eſt,mandare.l.cognitio. §.cùm propriam.ſuprà tit.ij.l.& quia.in princ.infrà eod.quamuis & de eo cui principaliter lege datur,idem dicendum ſit,ſed plus dubitationis erat de magiſtratuum legatis.

EI QVOQVE *conceſſa videntur, ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit.* Subauditur exempli cauſa,ex omnium ſententia,modica coërcio , ſine qua iuriſdictio nulla eſt.l.j.in fin.& l.fina.ſuprà tit.ij.Sed qualis erit hæc coërctio ? Reſpondeo,quamcunque inferre poteſt iudex ordinarius,explicandæ iuriſdictionis ſuæ cauſa.Quare in ius vocatos,qui neque ire, neque ſatiſdare curauerint, prehendi & ad ſe duci iubere poterit.tit. In ius vocati,vt eant,aut ſatiſdent,per tot.arg.l.ſi verò. §.qui pro rei.qui ſatiſd.cogant. Item contumaces litis damno afficere poterit,prout contumax tali damno coërceri ſolet,qua de re alibi dicetur.de re iud.l.contumacia.Item debitore latitante,creditorem in poſſeſſionem bonorum eius mittere poterit,ex edicto perpetuo,quod eſt de bonis autoritate iudicis poſſidendis. Hæc inquam facere poterit,tametſi magis imperij eſſe videantur,quàm iuriſdictionis:quemadmodùm & eos qui falſis inſtrumentis vti voluerint,quadam tenus coërcere poteſt.l.diuus Pius.infrà ad leg.Corn. de falſis.Nam certè non aliter explicari poteſt iuriſdictionem.arg.l.quoties.C.de iudic.Prætereà quod iudicauerit,ſi ab eo prouocatum non ſit,exequutioni mandare poterit,vt ſuprà diximus.l.legatus.de offic.proconſ.quod & Alciatus probat,lib.parad.11.c.iiij.Sanè ſi ſit iudex datus,non poſſe eum hæc facere verius eſt.auth.de exhib.reis. §.ſi verò.l.à diuo Pio.infrà de re iud.nam iuriſdictionem hunc non habere,ſed notionem tantùm exiſtimamus.l.fi.C.vbi in integ.reſtit.l.ait prætor.de re iudic.vbi dixi niſi à principe iudex datus ſit. Nam tunc iuriſdictionem quoque huic eſſe datam intelligo.arg.l.à iudice.C.de iudic.auth.de litigioſ. §.ſi verò cauſam.Alciat.loco ſuprà citato.videtur tamen & iudex datus quædã iubere poſſe,hoc intuitu,quòd aliter res apud ipſum explicari nequeat: vt cùm iudicialem cautionem interponi iubet. Cautio enim hæc ideò à mero iudicis officio pendere dicitur,quod iudex aliter explicare negotium non poſſit.

ſit.Inſtit.de diuiſ.ſtip.in princip.& §.pen.Et iudicis appellatione,iudicem datum plerunque accipimus.Quid enim ſi iudicio finium regundorum arbiter datus ſit,eóque iubente agrum metiri tu non patians? Certè ille contumaciæ nomine te condemnare poteſt.Inſt.de offi.iud.§.fi.Sed ego hæc omnia efficaciter iubere poſſe iudicē datum puto,ſententia demū ipſa diffinitiua. Nam ita ferè loquuntur exempla omnia,quibus iudiciales cautiones exiguntur,d.§.fin.l.poſt rem.de rei ven.l.ſi creditor.de pig.act.l.ſed & cùm.§.quòd ſi homo.quod met. cau.debet enim plenam ſententiā dicere.Pendente autem iudicio,ſi quid incidat quod omnino fieri neceſſe ſit,nec iudici pareatur,debere eum qui iudicem dedit prouidere.argu.d.§.ſi verò. Idq́; etiam ſi à principe iudex datus ſit:cùm enim proprios exequutores hic non habeat,conſentaneum eſt,vt ab ipſo principe,vel ab ordinario magiſtratu impetret. Magiſtratus autem ordinarius (ex ſententia eorum qui inter iudicem datum, & eum cui mandata ſit iuriſdictio, non deſtingunt)exequutores delegato iudici commendare etiam tenetur.c.j. de offi.otdi.ne quid ſcilicet per turbam fiat,arg.infrà de regu.iur.l.non eſt ſingulis.Sed apponitur prædictis hoc modo. Magiſtratibus municipalibus vtique iuriſdictio eſt.l.j.infrà ſi quis ius dicenti.l.ea quæ.ad municip.cur ergo eadem, his quoque facere nō permittitur.quinimò expreſſè prohibetur dicta l.ea quæ. Reſpondeo magiſtratuum municipalium iuriſdictio ſpeciali prouidentia coarctata & limitata fuit:nec ea quæ plus imperij quàm iuriſdictionis habent,attingere,néve niſi intra certam quantitatem ius dicere poſſent.argu.infrà eod.l.ſi idem.Nam cùm antiquitus municipia ſuis legibus in omnibus vterentur, nec populo Romano ſubeſſent,ſed honores duntaxat eis communicati eſſent: vt Gell.lib.xvi.c.xiij.Noct.Attic.ſcribit:veriſimile eſt municipiorum magiſtratus, etiam imperium in ſuos ex ſuis legibus habuiſſe,nedum plenam iuriſdictionem.Quin & ſenatuſconſultis ac legibus quibuſdam olim cautum fuiſſe,ne iuriſdictio à magiſtratibus Romanis in liberis ac ſocijs ciuitatibus exetceretur conſtat, vt Bud.adnotauit,in l.non dubito.de capti.poſteà reſtricta eſt magiſtratuum municipalium poteſtas,per legē generalem municipalē,de qua ſuperiore libro diximus,in l.omnes populi. Quare non tam data his eſt iuriſdictio, quàm non ex toto adempta.Ex his apparet falſò exiſtimaſſe Bartolum, ſolam verbalem coërctionem,mādata iuriſdictione transferri. Quid eſt enim verbalis coërctio,niſi inanes minæ?quæ quid ad explicandam iuriſdictionem pertinere poſſunt?verius eſt ergo etiam corporalem datam intelligi:ſiquidem corporalis vſquam coërctio in ciuili negotio adhiberi poteſt,quod in illa ſpecie permiſſum eſt,ſi ea rei conditio ſit,vbi arenarium teſtem, vel ſimilem perſonam admittere cogimur.l.ob carmen.§.j.infrà de teſtibus.poterit talem teſtem is qui mandatam iuriſdictionē gerit,torquere. Ad quem ſenſum etiam Nouel.Iuſtiniani conſtitutionem pertinere arbitror,de ea re loquentem,authen.de teſt.§. ſi verò ignoti.nec mouet me, quòd ſola coërctio per ſe mandari non poteſt.l. ſolent.§.j.ſuprà de offic.proconſ.l.nemo poteſt.de regu.iur.Nam quædam ſola dari non poſſe,quæ tamen cum alijs tranſeant,non ignotum eſt.l.quædam.infrà de acquirendo rerum domi.Sanè mandatam iuriſdictionem cùm dicimus, quamuis plerunque totam ſignificemus,& de legatis proconſulum,aut prætorum

rum intelligamus,ſi tamen vel ad vnam modò ſpeciem mandata ſit,quod fieri poteſt,l.ſolet.infrà eod.differtq; à datione iudicis nonnihil,vt ſuperius docui, d.l.legatus.Ratio efficit,vt huic quoque eadem omnia conceſſa intelligantur, ſine quibus,illa pars iuriſdictionis explicari nequit.arg.l.ſi duo.in fi.infrà de adminiſt.tut.l.quæ de tota.de rei vendic.

## L. III. VLP. LIB. II. DE OFFIC. QVAESTO.

IMPERIVM AVT MERVM, AVT MISTVM EST. MERVM *imperiū eſt,habere gladij poteſtatem,ad animaduertendum inſacinoroſos homines.* Imperij vox,ſine vlla adiectione,cùm de populo,aut principe loquimur,vniuerſam eius poteſtatem & ditionem ſignificat.l.j.ſuprà de conſti.princi.quemadmodùm & cùm de alijs quibuſuis ſermo eſt,vniuerſum eorum ius quodcunque in alios habent,comprehendit:veluti cùm dicimus imperium magiſtratus,imperium patris in filios,domini in ſeruos,& ſi qua ſimilia. Quamobrem apparet lato imperij Romani ſignificatu etiam iuriſdictionem contineri,quæ ad cauſarum ciuilium diſceptationem propriè pertinet,vt ſæpius admonuimus,non autem iuriſdictioni imperium ſubeſſe.Nec mouet me reſponſum Papiniani, ſuprà tit.ij. l.j.quo contrarium ſignificare viſus eſt, cùm manifeſtè appareat, alium fuiſſe Papiniani ſenſum quàm vt iuriſdictionis verbo,imperium contineri ſignificaret:vt eo loco diximus.Nec obſtat,quod rubri.hîc inſcribitur. *De iuriſdictione*, quæ hac ratione de imperio potius inſcribi debuiſſe videatur : cùm generaliorem rubricam eſſe debere traditum ſit,quàm tractatum ipſum. Soluitur enim non id agere Iuſtinianum hoc loco, vt de vniuerſo populo Romano imperio diſſerat,ſed de poteſtate & facultate iudicū duntaxat,quæ vt in pluribus conſiſtit in iuriſdictione.Enimuerò iuriſdictio iure noſtro,quamuis re ipſa in inuitos exerceatur,tamē perinde expediri ſolet,vt ſi inter volentes res agatur.Hinc accipiendi iudicij & conteſtandæ litis vſus,ſine quo ad ſententiam veniri non poteſt,quia ſcilicet ea ſpecies eſt cuiuſdam veluti ſponſioni partium promittētium adquieſcere ſentētiæ quam iudex dixerit,quod & Alc.docet.lib.III. παρέργων. c.ij. Propterea factum eſt,vt quibuſdam locis ita ſcriptum ſit,quaſi iuriſdictio nihil cōmune habeat cum imperio.l.muto.§.tutoris datio.infrà de tut. Sed re uera de Imperio ſic participat,non vt ſpecies de genere,cùm nō eadem ſit ſubſtantia,ſed velut compoſitum de ſimplici,vel vt ſubiectum de qualitate. Nam notio eſt iuriſdictionis velut ſubſtantia.l.notionem.de verb.ſignifi.qualitas vel miſtura eius imperium id quod non eſt merum,ſine quo iuriſdictio explicari nequit.l.fi.ſuprà titu.ij. Cùm imperij miſturā & veluti ſequelā qui non habent notioni ſuæ adiunctū,quales ſunt arbitri ex cōpromiſſo ſumpti,atq; (vt ego arbitror) etiā iudices dati,hi quāuis quid iuris ſit inter partes dicere poſſint,& dicant,non tamē iuriſdictionē habere dicuntur,ſed notionē tantùm.l.ait prætor. de re iud.Igitur iuriſdictio ad verbū ſumpta,notionē ipſam ſignificat,& diuerſa res ab imperio eſt,quippe quid iuri cōueniat,dici etiā citra imperiū,vel ab homine priuato poteſt.Sed iuris intellectu appellatione imperij continetur quòd

nemo

nemo efficaciter ius dicere poſſit, aut ſoleat:niſi magiſtratus,vel qui in ea re vicem magiſtratus obtineat,vt cui mãdata eſt iuriſdictio.Nam magiſtratuũ proprium eſt iudicare,ac pro poteſtate imperare,vt ex Ariſtot.ſententia Bud.rectè docet.l.fin.verbo,elœemporij,de mu.& hon.Ideò autem imperium diſtinguitur in merum & miſtum,vt merum illud nihil commune habere cum iuriſdictione,hoc eſt,pecuniariorum negotiorum diſceptatione, intelligamus, quaſi purum & germanum imperium. Quo ſenſu & meras proſcriptiones, & meroſſyllas,& merum bellum,& multa his ſimilia dixit Cicero.Martialis quoque de caupone Rhauennate. *Cùm peterem miſtum, vendidit ille merum.* Nam hæc inter ſe quodammodò relatiua ſunt,merum & miſtum. Neque verò maior imperij vis cogitari poteſt,quàm quo hominem,cuius cauſa omnia à natura creata ſunt,necari pręcipitur,neque magis à priuatæ rei reſpectu ſeiunctum quàm quod ſolam publicam vindictam atque exemplum à facinoroſo exigit. Nam vt Cicero ſcribit in orat.pro domo ſua, quum tam moderata iudicia populi eſſent,à maioribus conſtituta.Primum illud erat, vt ne pœna capitis cum pecunia coniungeretur.Igitur rectè dictum merum hoc imperium eſſe, quod ad gladij poteſtatem in facinoroſos exercendam pertineat,vt hoc totum ſecernatur à iuriſdictione,& aliam prorſus rem eſſe intelligatur. Sanè cùm capitalium pœnarum multa ſint genera.l. capitalium. infrà de pœn. etſi non gladio quis conſumi iubeatur,dum tamen capitali cuilibet pœnæ adiiciatur, merum nihilominus imperium exerceri puto:ſed etſi membrum abſcindatur perforetúrve,aut inuratur,idem arbitror,etſi flagellis,aut fuſtibus quis cædatur. & generaliter vbicunq; liberi hominis corpus ſupplicio,aut cruciatu ob vindictam publicam afficitur,quam pœnam corporalem vocamus, nõ ab alio talem pœnam,quàm ab eo qui ius gladij habeat imponi atque explicari conſueuiſſe,neque potuiſſe verius arbitror. Nam quemadmodùm in maiore ſumma minorem ineſſe dicimus,ſic in mero imperio inſunt hæc omnia pœnarum genera, quæ olim aduerſus ciues Romanos ex lege Portia,& Semproniis rogationibus exerceri prohibebantur,pręter quàm quòd vinciri,aut in carcerem duci ad ius ipſum gladij pertinere ineptè dixeris:quod & ipſum tamen eiſdem legibus prohibebatur.Meri autem imperij verbum hîc & duobus tantùm locis ſuperiore libro legimus.l.j.& l.fina. de off.eius.quibus in animaduerſione id conſiſtere ſignificatur,ſi rectè intuearis.Animaduerti autem tunc dicitur, cùm talia huiuſmodi,qualia memorauimus,fiunt. Quare impropriè adſcribitur hoc verbum, cauſis ipſis,quod magiſtratibus propriè cõuenit,vt ius gladij habeant, vel non habeant.Etſi in metallum quis damnetur,vel vt beſtiis obiiciatur, vel vt in inſulam deportetur,nõ propriè tamen merum imperium exerceri exiſtimo, cùm hæ pœnæ quaſi in fraudem legum receptæ fuerint,ne ciues necari viderentur: vt ſuprà dixi,in §.qui vniuerſas.Effectus igitur meri imperij hi ſunt:alius pręterea eſt,vt ab eo cui datum eſt,in alium transferri nequeat, de quo ſuprà abundè diſputauimus.l.j.tit.11.Sequitur deinde Vlpianus,*Quod etiam poteſtas appellatur*,hoc eſt,quod & Paulus ſcribit,Poteſtatis verbo in perſona magiſtratuum imperium ſignificari,l.poteſtatis.de verb.ſig. Sed & ius, vel poteſtas gladij frequentius dicitur.l.ſolent.in prin.ſuprà de off.proconſ.l.illicitas.§. qui vniuerſas.

de off. præſ. l. nemo poteſt. de reg. iur. Lampridius quoque in Seuero, honores iuris gladij nunquàm vendi paſſus eſt, dicens neceſſe eſt, vt qui emit vendat, ego non patiar mercatores poteſtatum fieri. Conuertuntur enim hæc inter ſe atque idem ſignificant, ius gladij, gladij poteſtas, & merum imperium. Et hoc quidem nemini initio competebat, niſi cui lege, aut Senatuſconſulto mandatum eſſet, hodie etiam mandatis & conſtitutionibus principũ quibuſdam magiſtratibus perpetuò conceſſum eſt, quibuſdam verò etiam priuatis diplomatibus & codicillis, aut reſcriptis à principe mandari ſolet. Nam quæ populus, aut Senatus antiquitus faciebãt, ea omnia aut legibus, aut Senatuſconſultis ſanciebant, ſiue ad tempus, ſeu perpetuò, ſiue generaliter, ſeu priuatim de quibuſdam ſtatuerẽt. At hodie priuata hæc & tẽporaria, priuatis reſcriptis & codicillis principes ſtatuunt, vt ſuprà diximus in d. §. qui vniuerſas. & l. j. de offic. eius.

MISTVM *Imperium eſt, cui etiam iuriſdictio ineſt, quod in danda bonorum poßeßione conſiſtit.* Inter miſtum imperium & iuriſdictionem hoc intereſſe videtur, quòd iuriſdictio quidem, quamuis ſine modico imperio eſſe non poſſit, tamen ipſa ſui principalis pars eſt. Nam ſubſtantia iuriſdictionis eſt ipſa notio, vt prædiximus. Imperium verò tanquàm acceſſoriũ habet & veluti ſequelam quandam iuriſdictionis ipſius explicandæ cauſa additam. Hæc particula imperij iuriſdictioni veluti ſubſeruit & famulatur. At miſti imperij res imperio principaliter expeditur: iuriſdictionis quod habet, id rurſum velut appoſititium atque acceſſorium ſecum fert. Imperium autem in genere, ſic opinor rectè diffinias: iuſtam poteſtatem eſſe cogendi faciendíque quod velis. Verbum, *velis*, ita accipe, vt accipitur in diffinitione iuſtitiæ voluntas. l. j ſuprà de iuſt. & iure. Merum imperium cùm dicis, generale verbum ad gladij exercitium reſtringis. Miſtũ porrò appellatur, quoties imperio in genere ſumpto, iuriſdictionis figura quædam ineſt. Vt hoc loco planè atq; eleganter definiri vides, quicquid interpretes obturbent: clarè enim dicitur, miſtum imperium id eſſe, cui etiam iuriſdictio ineſt. Non enim vulgare Bart. & aliorum interpretum, ac nec Alciati quidem diffinitionem probo. lib. II. Parad. c. VIII. quum miſtum imperium dici voluit, quòd cohæret iuriſdictioni, quippe hæc ipſa iuriſdictio eſt. l. fi. & l. j. in fi. de off. eius. vel potius iuriſdictionis qualitas. Nam hoc pacto quomodò diſcerneremus miſtum imperium à iuriſdictione: ergo miſtum imperium in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit: vt hîc vides. quia ſcilicet ea res, origine quidem ſua ſolo prætoris imperio explicabatur, qui edictum ſuum, vt volebat componebat: ex cóque bonorum poſſeſſionem, vel contra tab. vel ſecundum tab. dabat. Poſteà autem facto edicto perpetuo, & quaſi ad formã ordinarij iuris redacto, cœpit ei rei etiam iuriſdictio ineſſe, quæ (vt prædiximus) conſiſtit in controuerſiis pecuniariis diiudicandis, ſecundum leges. Quamobrem niſi ad actum ipſum inducendi in poſſeſſionem reſpicias, hodie bonorũ poſſeſſionem ſimplicis iuriſdictionis eſſe, poſſes dicere. Sed quia inductio vtiq; vel poſt agnitionem neceſſaria eſt, & hodie quoque fieri ſolet, vel per interdictum, quorum bonorum, vel per remedium nouel. conſtitutionis. C. de edi. diu. Adr. toll. l. fina. quam inductionem ſtatim ac fieri decreuit prætor, imperio eius ita fit, vt nec appellari quidem poſſit. l. fin. infrà de appel. recip. vel non. l. quiſquis. C. quot. ap-

pel. non

pel.non rec.l.j.C.ſi de mom.poſſ.Ideò rectè etiam inſpectis recentioribus temporibus dictum eſt,miſtum imperium in tali re explicanda conſiſtere. Cæterùm non in hoc ſolùm,verùm & in prætoriis ſtipulationibus interponi iubendis,& in integrum reſtitutionibus concedendis, & in mittendo aliquo in poſſeſsionem,vt quia damni infecti,aut legatorum nomine non caueatur,vel quia debitoris bona in ea cauſa ſint,vt poſsideri debeant, & in aliis huiuſmodi cauſis,ſine dubio miſtum imperium conſiſtit.l. ſeq. & l.ea quæ. ad Municip. Nam horum omnium eadem vel ſimilis ratio eſt,quę dandæ bonorum poſſeſsionis. Non enim in decernẽdo ſolùm,verùm etiam in exequendo omnia conſiſtunt. Et prætoriæ huiuſmodi exequutiones imperio potiſsimùm explicantur:vt à ſuperiore exemplo inita ratione, facilè conſiderari poteſt.quia tamen ſecundum formam iuriſdictionis atque edicti perpetui hodie hæc omnia fiunt, viderentur poſſe dici iuriſdictionis eſſe:ſed originem & modum cuiuſque rei inſpicere oportet.Imperio enim & interuentu prætoris magíſque iudicum datorum diſceptatione,antiquitus hæc explicabantur, quæ doctores noſtri nobili officio iudicis expediri dixere. Alia autem mercenario officio attribuerunt,ei videlicet quod propoſitis legis actionibus deſeruiret. Eadem & Alciati ſententia eſt,libro III.παρέργων. cap.III.

V T *iuriſdictio iudicis dandi licentia.* In antiquis exemplaribus ſcriptum erat, *Iuriſdictio eſt, etiam iudicis dandi licentia.* Id an rectè mutauerit Haloan. nobis parùm liquet.Sed quia non valde diuerſam efficit ſententiam,ideò minus laborandum videtur. Viglij doctiſsimi viri opinionem certè non probamus, Inſtit. quibus non eſt permiſſum facere teſt. §.pręterea.dum penitus corruptum Codicem exiſtimauit, & iuris dicendi licentia legendum eſſe, atque eo modo iuriſdictionem ab Vlpiano prorſus definiri.Nam Codicum etiam Florentinorum fides in hæc verba, *Iudicis dandi,* vbique conſtat. Et iuriſdictionẽ hoc loco non diffiniri,omnibus in confeſſo eſt:quippe eam aliter diffinit Accur. & qui eum ſequuti ſunt,in l.j.ſupra eod.Poteſtatem ſcilicet eſſe iure publico introductam, cum neceſsitate iuris dicendi,& æquitatis tanquàm à perſona publica ſtatuendæ.Nos tamen aliter,vt diximus in rubrica,quia ſcilicet iuriſdictionis ſubſtantiam non eſſe nec dandi iudicis licentiam, nec poteſtatem ipſam arbitramur, ſed notionem:quo verbo tam cognitionem quàm definitionem cauſæ contineri conſtat.l.notionem.de verb.ſignific.Amplius illud puto, nunquã ad hunc modum ſcripſiſſe Vlpianum,vt licentiam,pro facultate dandi iudicem vſurparet:nam hæc facultas, ius dandi iudicis propriè dicitur.l. cùm prætor. infrà de iudic.l.legatus.ſuprà de offic.conſul. Licentiæ autem verbum potius in malam partem,quàm in bonam Latinè accipitur. Terentius, *Deteriores omnes ſumus licentia.* Quamobrem à compilatoribus,aut conceptam, aut alioqui mutatam fuiſſe hanc clauſulam ipſe exiſtimo. Ac fortaſsè ita eos ſcripſiſſe. Iuriſdictio eſt etiam in iudicis dandi licentia.Facile enim fuit ſcribendo,aut punctum, aut m, vel z, quo pro m, vtebantur intercidere, vel certè quaſi ſuperfluum, conſultò omitti, quòd iuriſdictionem definiri Librarius exiſtimarit, quando ſuperius imperium deſcriptũ erat.Quoquomodò res ſe habeat, Alciati ſententiam ſine dubio probandam cenſeo,lib.II.Parad.c. VIII. Sexto ſcilicet caſu verbum

illud, *licentia*, accipiendum eſſe: vt ſit ſenſus quemadmodùm in miſto imperio, quod conſiſtit in danda bonorum poſſeſſione, ineſt iuriſdictio: ſic ineſſe etiam in licentia dandi iudicis: vt hæc facultas miſti imperij ſit. Nam qui dat iudicem principaliter iudicare eum iubet: vt diximus ſuprà l. fin. de off. pręf. vrb. quod ſine dubio ad imperium pertinet, & in ea re aliqua etiam diſceptatio & cognitio adhiberi ſolet, ne ſcilicet is detur, qui iure dari nõ poſſit. d. l. cùm prætor. nec de ea re quę ad delegantem non pertineat. C. qui pro ſua iuri. iud. l. j. Secundum communem intellectum, néve is quẽ altera pars nominatim petit. l. obſeruandum. infrà de iud. Poſtremò vt ſolenni ritu ſortitio fiat, vel ſaltem appareat nihil eſſe, quòd dato tali iudice partes iure conqueri poſſint, quæ omnia ad notionem pertinent, meritò dictum eſt, miſti imperij & hanc delegationem eſſe.

## L. IIII. Idem Lib. I. Ad Edictum.

IVBERE CAVERE PRAETORIA STIPVLATIONE, ET IN *poſſeſſionem mittere, imperij magis eſt, quàm iuriſdictionis.* Hoc eſt, magis ad naturam imperij accedit, quàm iuriſdictionis, ducta ſcilicet ratione eo modo quo ſupra l. proxima, de danda bonorum poſſeſſione admonuimus. Sed dubitari poteſt de iudiciali ſtipulatione, quæ à mero iudicis officio pendere dicitur, quando & iudex datus caueri iubet de dolo malo, vel de perſequendo & reſtituendo ſeruo, qui in fuga eſt, aliíſque exemplis in Inſtitutionibus relatis, tit. de præt. ſtip. vbi glo. Reſpondeo hæ omnes ſtipulationes propoſitæ actioni ſeruiunt, & arbitrio magis quàm imperio continentur. l. ſed ſi cùm. §. quod ſi homo. quod met. cau. Quare & iudici dato competit eas interponi iubere, licet imperium non habeat. Arbitrio enim hac in re vtitur, ſententiam ſuam dicendo, quam non ipſe, ſed is qui eum iudicem dedit, poſteà exequitur, vt dixi ſupra in l. ij. & in l. imperium. Ideò autẽ has diſtinctiones hactenus tradidit Imperator, vt ſciamus, quæ duumuiris, hoc eſt, magiſtratibus municipalibus relicta ſint, quæ non. Nam omnia quæ magis imperij ſunt, quàm iuriſdictionis, attingere his nõ licet, quod alibi clarè exprimitur. l. ea quæ. infrà ad municip. vt & Fulgoſius hîc animaduertit. Id quo iure prohibitum eis fuerit, mox exprimere conabor: hæc autem, quæ hîc recenſentur, magiſtratibus municipalibus non competere etiam ſub tit. de damno infecto docemur. l. iij. in princ. & §. ij. quæ tamen eis à præſidibus mandari poſſe ſignificatur. Sed tunc non ſuo iure habent, ſed alieno beneficio, hoc eſt, vt præſidis, vel proconſulis partibus in re mãdata fungantur. l. & ſi prætor. ſuprà de off. eius. Nam quia iis tẽporibus Coloniæ & municipia pleraq; per duumuiros & magiſtratus ſuos regebantur. Præſides autem & proconſules vniuerſis prouinciis potius, quàm ſingulis locis præerant atq; intendebant, eíſque ſolis imperiũ erat: ideò diligenter hęc, quę imperij & quę iuriſdictionis ſunt, diſtingui oportuit. Falſa enim deprehendſtur opinio antiquorũ, per d. l. ea quæ. qui exiſtimauerunt, idcirco hæc deſignari, vt ſciremus, quæ mandari poſſint, quæ nõ. Si tamẽ quærimus, an hæc quę miſti imperij ſunt, mandari poſſint, expedita res eſt, ſi nominatim mandari proponas, cùm ſuperius. l. fi. §. vt bonorum. de off. eius. clarè expreſſum ſit, mandari hæc poſſe. Cõpetunt enim prætoribus & maioribus his iudicibus iure ma-

giſtra

giſtratus,quamuis imperij ſint,cùm proprium ſit magiſtratuum huiuſmodi,vt imperium habeant,ſine quo prouincias adminiſtrare non poſſunt. Non enim ſunt meri imperij eius quod ſpecialiter tributum eſſe, & in alium tranſire non poſſe intelligitur,ſed an generaliter mandata iuriſdictione,hęc quoq; quæ miſti imperij ſunt,tranſeant,plus dubitationis eſt. Vidimus enim ſuperiore lib.l.fi. in prin.de off.eius.Macrum Iuriſconſ.in ea opinione fuiſſe,vt nõ tranſeant.Ideò reſcriptum fuiſſe ab Imperatoribus,propter vtilitatẽ pupillorum id cõſtitutum eſſe,vt generali iuriſdictione mandata,ſuſpecti cognitio transferatur.Et fortaſsè etiam hæc intuitu diſtinguit Vlpia.hoc loco ea,quæ magis imperij ſunt,quàm iuriſdictionis:vt generali mandato res miſti imperij nequaquàm tranſire intelligamus.Quippe iuriſdictio mandatur:iſta autẽ magis ad imperium pertinent.Ættereà ſi tranſire dixeris,ſimile quoddã accidit ei,quod Caſtellius interrogatus,an nux pinea pomum eſſet.Reſpondit,ſi in Vatinium miſſurus es,pomum eſt:vt iuriſdictionis verbum,in perſona quidem magiſtratuum municipalium, ea quæ miſti imperij ſunt,nõ contineat:in perſona verò legatorum contineat. Sed tamen hæc quoque tranſire & legato competere, verius arbitror, hoc & Alciato placet,lib.11.Parad.c.1.Rationes tamen quibus ille mouetur, mihi non ſatisfaciunt:vt in ſuperioribus ſæpe dixi.Nam etſi mandata iuriſdictione,imperium quod non eſt merum transferri ſcriptum ſit,l.j.& l.fi.ſuprà de offi.eius. tamen id de eo imperio intelligitur, quod iuriſdictioni cohæret. Hæc autem de quibus nos quærimus non tam iuriſdictioni cohærent,quàm cohæret ipſis iuriſdictio: quòd magis imperij ſint, quàm iuriſdictionis. Verior ergo ratio eſt, quia more maiorum ſolum merum imperiũ tranſire prohibetur,necnon quęcunque ſpecialiter tributa ſunt magiſtratibus,cuiuſcuiuſmodi ſint.d.l.j. de off. eius.& l.nemo poteſt.de reg.iur.Et quidem vtraque horum ſuis rationibus, vt in ſuperioribus diximus.At neque hæ rationes, neque adeò verba eorum, qui eas retulerunt,in hoc valẽt,vt hæc,quæ miſti imperij ſunt,tranſire prohibeant, vel impediant. Prætereà proconſulem ipſum generali mandato hæc quoque concedere voluiſſe credibile eſt,modo ſi non ſpecialiter ſibi tributa ſint. Specialiter autem tributa fuiſſe quis vnquàm dicat,cùm pleraq; ab ipſiuſmet prætoris edicto atque officio pendeant?Nam ipſum ſibi ſpecialiter ea tribuiſſe non rectè dixeris.Quod autem ad magiſtratus municipales attinet, quibus etſi iuriſdictio ſit,tamen hæc non competere conſtat.d.l.ea quæ. differentiæ ratio illa videtur eſſe,quòd legato iuriſdictionem proconſul mandat eam propriè, quam ipſe habet.l.cognitio.§.cùm proprium.ſuprà de off.eius. Quare officium totum iuris dicendi ad eum tranſit.l.j.§.j.de ſuſp.tut.At iuriſdictio in proconſule vtique plenior eſt,quàm in duumuiris.Multò enim maximam partem imperij habet. In perſona autem duumuirum limitata & coarctata eſt, vt penè ſola notio & diſceptandi facultas relicta eis eſſe videatur:vt ſuprà diximus.l.ij.eo.tit. Eius rei argumentum eſt, quod mandata iuriſdictione, legatus iudices dare poteſt,d.l.cùm prętor.& d.l.legatus.quod miſti imperij eſſe conſtat.l.prox.in fi. & legis actionem apud eum eſſe iam demonſtrauimus.l.ij.de off.proconſ.quod quid aliud ſignificat,quàm vt legibus & remediis iuris omnibus apud eum agi poſſit,exceptis ſcilicet quibuſdam quæ ad eum tranſire prohibentur: at legum

potiſſima virtus eſt in imperando.l.legis virtus.ſuprà de legib.l.fin.de iuſt.& iure.meritò ad legatum hæc quoque tranſeunt,quæ imperij non meri ſunt,mandata ei iuriſdictione.Illud hoc loco quæri poteſt,multæ indictio, punitio criminis,cuius pœna capitalis non eſt,nec corporalis,ſed vel pecuniaria, vel æſtimationis tantùm iure ſcripto definita,miſti an meri imperij ſit, an iuriſdictionis?Sed imperij eſſe verius eſt,non tamen meri,cùm id ad gladium, hoc eſt,ad ſeueriorem animaduerſionem pertineat:ſed nec miſti,quippe nulla ineſt iuriſdictio,ſiquidem criminaliter actum ſit.Nam iuriſdictionem ad ciuilia pertinere declarauimus.Eſt igitur imperij in genere ſumpti,quod licet arbitratu iudicantis exerceatur:tamen ſecundum leges moderari & temperari debet.l.hodie. infrà de pœn.Multa enim imperij eſſe, quod nec merum, nec miſtum ſit, neceſſe eſt dicere,vt leges ferre,bellum decernere, tributa imponere,magiſtratus creare.Ipſis quoque magiſtratibus eiuſmodi quædam, licet non perinde grauia ſint,competunt,vt lictoribus atque inſignibus ſuis vti,ædificia ſacra & publica inſtaurari,furioſos contineri iubere, annonæ proſpicere, & alia quorum mentio eſt ſub titulo,de officio præſidis,& de offic. proconſu.& leg.

L. V. Ivlianvs Lib. I. Digestorvm.

More maiorvm ita comparatvm est, vt is demvm *iuriſdictionem mandare poſſit.* Totum hoc ius,quod ad mandandam pertinet iuriſdictionem,ex non ſcripto conſtat. Eſt enim ius veterum conſuetudine & moribus conſtitutum: vt ex Papiniani verbis alias admonuimus.l.j.§.verius.de off.eius.Ideò ait, More maiorum &c.

Qvi *eam ſuo iure,non alieno beneficio habet.* Idem quoque ſuperius expreſſum eſt,de off.eius.l.fin.eadem ſententia conſtitutionis Theod.& Valent.C.qui pro ſua iur.iud.l.j.vt nos interpretamur.Suo iure, dicitur habere is, cui vt propria conceſſa eſt à principe,vel à populo,vel à lege,quod ferè non niſi maioribus magiſtratibus contingit.Nec Iuriſconſulti verba calumniari oportet, dum ſic opponunt,quaſi princeps quoque & iudices ordinarij,non ſuo iure,ſed alieno beneficio,hi videlicet à principe,princeps à populo,lege regia in ſe translatam.Nam vt propria his conceditur,nõ vt precaria,aut quæ alieno nomine ab his tractetur.Et hoc ſanè illud eſt quod iidem tamẽ hîc reſpondent & ſoluunt, in perſona talium fundatam eſſe iuriſdictionem,non item in perſona vicariorum.Sed præſtitiſſet,calummiam non addere,quàm idcirco addere, vt dilueres & confutares.l.pen.ad exhib.Huc pertinet quod antiquitus diſtingui ſolebat, auſpiciis ſuis quis,an alienis bellũ geſſiſſet.Nam ſi alienis geſtũ erat bellum,non ipſe triumphabat,qui geſsiſſet, ſed is tantùm cuius nomine geſtum erat:vt Imperator,vel proconſul,qui per legatos geſſerat,non aliter acſi ipſemet geſsiſſet.

L. VI. Pavlvs Lib. VI. Ad Edictvm.

Et qvia nec principaliter ei ivrisdictio da*ta eſt,nec ipſa lex defert,ſed confirmat mandatam iuriſdictionem.* Falsò putat Accurſius reddi rationem,eius quod ſuperiore capite dictum eſt.Nam pro illius ratione ſufficit, quod initio dixit,*more maiorum*,ita obſeruatum eſſe. Quare verius eſt ad ſequentem clauſulam hæc pertinere.Ita enim ſubiicit Iuriſconſultus.

Ideo

I D E O *Si is qui mandauit iuriſdictionem deceßerit, antequàm res ab eo cui mandata eſt iuriſdictio geri cæperit, ſolui mandatum Labeo ait, ſicut in reliquis cauſis.* Antiquiores tamen videntur habuiſſe, *Ideóque*. Haloander, *ídque*, quod quidem verioris ſcripturæ coniecturam nobis præbuit. Facilè enim fuit verti, *Ideò*, in, *Ideóque*, vel in, *ídque*, quòd antiquitus Compendio ſæpe ſcriberent. Nam nec Haloandri ſcriptura ſententiam vllam efficit, & antiquiores vel de induſtria videntur addidiſſe particulam illam, *que*, quod non ſatis intelligerent, quonam modo à ſuperiore capite hæc concluſio duceretur. Sed Enthimema rectiſſimè ſic concluditur. Quia non principaliter, id eſt, non recta, ſeu, vt nunc dicunt, non de directo ipſi legato iuriſdictio datur, nec ipſa lex, ſcilicet qua Proconſuli, vel Prætori Imperium in hac, vel in illa prouincia rogatur: nam lege rogari ſolitum fuiſſe oſtendunt hiſtoriæ, in cuius legis locum codicilli & mandata principum poſteà ſucceſſerunt, dum prouincias curæ ſuæ reſeruatas mandant. Et de huiuſmodi aliqua lege loquitur. Papinianus quoque ſuprà de officio eius. l. j. cùm ait, *Imperium quod lege datur, non poße tranſire*. Fiebátque interdum de ea re non lex, ſed Senatuſconſultum, veluti, ſi prouinciæ cura ad Senatum ſpectaret, vel ſi mauis, accipe de lege, qua alicuius criminis pœna ſanciretur, eiúſque exequutio alicui magiſtratui perpetuò mandaretur, vt Proconſulibus, quia inquam, nec ipſa lex iuriſdictionem legato defert, ſubaudi, ſed duntaxat ſi ei à Proconſule mandata ſit, confirmat, hoc eſt, perinde ratum habet, ac ſi à Proconſule ipſo res expediretur (Nam opinor in his legibus, Senatúſque conſultis, & mandatis principum, aliquod verbum apponi conſueuiſſe, quo Prætor, vel Proconſul, more maiorum generaliter omnia agere, admonetentur, argum. ſupra l. prox. & l. penul. in fin. de iuſt. & iur. alioquin non rectè diceret, confirmari lege, quod per legem non infirmatur: vt Accur. exiſtimat, nec ſibi conſtaret Imperator, cùm ex Iuliano & Papiniano hoc totum ius mandandæ iuriſdictionis, moribus receptum eſſe ſignificauerit, ſi nunc diceret, qua lege prouincia alicui committitur, eadem quoque expreſſim, aut tacitè confirmari, quatenus ab eo iuriſdictionē mandari contingeret. Nam hac ratione potius ex ſcripto, quàm ex nō ſcripto hoc ius veniret) Cùm hæc inquam ita ſint, ideò nihil omnino ſuo nomine incipere, aut gerere legatum videri, ſed vice ac mandato proconſulis omnia agere: vt procurator vice ac nomine domini agit. Eapropter ſi deceſſerit proconſul, ſolui mandatum placuiſſe Labeoni, vt in reliquis cauſis accidit. Et hunc veriſſimum eſſe huius reſponſi ſenſum interpretamur. Illud quoq; ſequutus rationem atque vtilitatem affirmauerim: ſi vniuerſa iuriſdictione mandata, legatus vel vnā modo cauſam cognoſcere cœperit, mox proconſul deceſſerit, poſſe eum & reliquas cauſas cognoſcere, in quibus viuo proconſule nihil omnino geſſit, ita accipiendum eſſe illud verbum, res geri cœperit: ſatis enim cœpiſſe videtur qui vel tribunal modò cognitionibus operam daturus aſcenderit. Nam iuriſdictionis verbo, ſi de tota actum ſit, non ſingulas, ſed vniuerſas cognitiones contineri puto. argumen. l. penult. §. infrà de ſuſpectis tutoribus. hoc eſt, quod gloſſæ & vetuſtiſſimi quique interpretum multis locis vniuerſitatem cauſarum vocant. Magis probet hanc ſententiam, qui conſiderauerit, conſueuiſſe olim proconſules, non totum annum ſed ſtatis

duntaxat temporibus iuriſdictioni vacare: quod cõuentus agere & iuriſdictione abſoluere dicebant. Nam maiorem anni partem rebus bellicis occupati, diſtinebantur: vt & Theophilus docet in Inſtitutionibus. Tunc potiſſimum legatis ſuis iuriſdictionem mandabant: eáque illo conuentu, quaſi vnico contextu atque (vt ita dicam) vno ſpiritu, abſoluebatur. Vtilis eſt hæc ſententia, conueníitque exemplis hiſtoriarum, quibus multa per legatos, defunctis olim aut bellorum caſibus interceptis ducibus aut proconſulibus, bene geſta leguntur. Nam legatis ſiquidem nulla inter milites & prouinciales defuncto proconſule reliqua autoritas fuiſſet, ſine dubio maiora detrimenta accipi potuiſſent, dum Senatus aut Imperatoris decretum in periculo expectaretur. Hanc ſententiam & pleriſque Canoniſtis probari poſteà animaduerti, quos Felinus recenſet, in c. licet. in principio, de offic. deleg.

L. IX. Pavlvs Lib. III. Ad Edictvm.

SI FAMILIA ALICVIVS ALBVM CORRVPERIT, *non ſimiliter hîc edicitur, vt in furto ne in reliquos actio detur.* Hoc eſt, ne reliquorum nomine actio detur, noxalis ſcilicet aduerſus dominum. Edicitur autem, edicto illo, *Si familia furtum feciſſe dicetur.* l.i. eod. tit. *Familia*, verbo & hic & in illo edicto intelligere debemus non corpus quoddam ſeruorum, vt familia publicanorum eius rei cauſa parata, ſed plures vnius ſeruos. hoc non obſcurè paulò pòſt ſignificatur, cùm tactam à pluribus ſeruis iniuriam vel damnum datum comparat huic, quod à familia tactum initio proponit. In verſi. quemadmodùm. Id etiam Vlpia. declarat ſub tit. de verb. ſignifi. l. pronuntiatio. verſ. alia. Nam in cæteris partibus edicti, præterquàm vbi agitur de familia publicanorum, familiæ appellatione, omnes ſeruos ſignificari, ſcribit, vt de hominibus coactis, & vi bonorum raptorum. Per hoc multæ diſtinctiones à doctoribus ingeſtæ reprobari poſſunt.

Qvemadmodvm *& cùm plures ſerui iniuriam fecerunt vel damnum dederunt, plura facta ſunt.* Plures dicit, quos familiam anteà dixerat. Zaſius autem putat, lib. i t. intellect. ſing. cap. pen. Interrogationem exaudiendam ſtatim poſt verbum illud, quemadmodum, vt dubitet Paulus, quomodo, quod ſuperius dixit, admitti poſſit, cùm in exemplis quæ ſtatim ſubiicit, etſi plura facta ſint, tamen quod ad pœnam attinet, pro vno accipiantur: & hac ratione putat, Octauenum motum contra Pauli ſententiam ſtatuiſſe. Sed ego ab Haloandri editione non diſcedo, quæ communi interpretationi magis congruit. Nam ipſemet quoque Zaſius ſenſum illum orationis totius filo non ſatis conuenire ad extremum confitetur. Quod ergo ait, *Quemadmodùm & hic plura facta ſunt*, de pluralitate factorum tantũ exemplum eſt, non etiam de iuris diſpoſitione, de qua Iuriſconſ. hîc non agebat, ſed tantummodò vt inueſtigaret, an plura facta eſſent, & hoc eſt quòd omnes ferè ſimilitudinem facti, non iuris eſſe tradunt. Si tamen quærimus quid iuris ſit, de damno dato, expeditum eſt, tum ipſius Vlp. tum etiam Caij ſententia. d. l. j. §. ſi plures. ſi famil. furt. l. illud. ad leg. Aquil. Idem ſcilicet quod defuncto obſeruari, ſi autem de iniuria quęritur, conſentiunt plerique etiam idem eſſe. Sed ego contrà puto, cùm videam ab eodem Caio ſcriptum.

ptum. Si plures ſerui iniuriam intulerint,tot eſſe iniurias quot perſonæ faciẽtes fuere,ſignificatq́ue omnium nomine actionem dari & pro ſingulis pœnam ſolui.l.ſi plures.de iniur. Nec mirum videri debet,non idem ſtatui de actione iniuriarum,quod de actione legis Aquiliæ & furti. Hæ enim principaliter ad emendationem damni inſtituuntur,pœna veluti acceſſoria eſt.actio autem iniuriarum principaliter ad vindictam & pœnam datur,quãuis priuatim actum ſit.l.prætor edixit.§.ſi dicatur.de iniur.vbi Bar.Illud recte interpretes adſcribere arbitror,intelligenda hæc non eſſe cum quilibet ſeruorum motu ſuo proprio, non communicato cùm cæteris conſilio delinquit.arg.l.ſemper.§.ſi quis in ſepulchro,quod vi aut clam,vt dominus hoc caſu pro ſingulis præſtare teneatur. Nam neque idem furtum,nec eadem iniuria facta,nec idem denique damnũ datum eſſe videri poteſt à pluribus, ſi conſilium non communicauerint. Sed omnes per ſe furtum,omnes iniuriam feciſſe,non quidem vna & eandem,ſed alius aliam,præſertim ſi non omnes eodem tempore fecerint,quamuis in eadẽ re aut in eiuſdem perſonam furtum aut iniuriam commiſerint.ſunt enim hæc plura furta pluresq́ue iniuriæ.Sed etſi idem edictum plures ſerui nec eodẽ tempore,nec eodem conſilio corruperint,veluti ſi per partes lacerauerint, vel deleuerint:tunc primi nomine ſatis eſſe præſtari,cæteri enim corrupiſſe edictum, quod iam corruptum erat,non videtur dici poſſe.Decio quoque aſſentior, vt ſiue vniformiter ſiue difformiter idem maleficium à pluribus ſeruis admiſſum ſit,tamen procedat ſententia legis noſtræ,ſed in facultate actoris eſſe arbitror cuius nomine experiatur.l.ſi quis quid perferendum.§.fin.de furt.Præterea & his aſſentior,qui furti nomine vel damni iniuriæ ſi criminaliter actum ſit, omnes ſeruos caſtigari poſſe exiſtimant, argu.l.hos accuſare.§.omnibus.de accuſat.l.fin.de furt.

OCTAVENVS *hic quoque domino ſuccurrendũ ait,ſed hoc poteſt dici ſi dolo malo curauerit,vt ab alio album corrumperetur.* Curauerit ſubauditur familia,& ita omnes interpretantur.Ego Paulũ ſcripſiſſe puto, *curauerint.* Quod etiam elegantiæ latini ſermonis magis conuenit.Sed & quod dicit, *ab alio*, legendum puto. *ab aliquo*, vel *ab vno.* Scilicet ſeruorum ex familia. nam communem interpretationem vtique veram arbitror.Illud tenendum,de ſeruis hæc ita ſtatui.At ſi plures liberi tale aliquid commiſerint,ad ſuperiorum capitum interpretationem & tractatum id pertinet.

L. X. VLPIA. LIB. III. AD EDICTVM.

QVI IVRISDICTIONI PRAEEST. Veriſſima eſt interpretatio illa,quæ de iudice ordinario accipiendum tradit.Nam iuriſdictioni pręeſſe propriè hîc dicitur,veluti prętor,proconſul aut præſes prouinciæ,vt ſuperius admonuimus.l.nõ poſſunt.de legib.Senatuſconſultum enim huius rei prohibitorium de his nominatim factum fuit.l.ſenatuſconſulto.de off.præſ.legati quoque proconſulum iuriſdictioni præeſſe dicuntur.arg.l.qui neque.vbi dixi,de iudic. Nam de iudicibus datis quos delegatos vocant:nihil obtinebat dubitari,ſiquidem ſpecialiter delegati proponantur à principe,vel quouis maiore magiſtratu,cui id facere liceat. Nõ enim talem iudicẽ dabit niſi ex cauſa,vt quia partes in hunc con-

ſentiant:vel certè ſi talis iudex datus non recuſetur,vt ſuſpectus , per hoc ſatis approbari videbitur.Tunc & filius in cauſa patris,& in cauſa filij pater,iudicare poterunt,vt alibi docebimur.l.quin etiam.de arbitr.& de iudic.l.in priuatis. Hoc etiam Duarenus probat.c.LI.& LIII.Anniuerſat.diſput.qui iuris dicendi verbum ad prætorem propriè referri exiſtimat, eóque ſignificari aut præſcribendarum formularũ & dandarum actionum morem,aut iudicum dationem, cognitioné verò atque examen cauſæ ad iudicem datũ propriè pertinuiſſe,nec ferè prætoris curam huc deſcendere cõſueuiſſe,ſed hodie certè deſcendit,alioquin penè ocioſum eſſet Prætoris munus , cùm nec actiones ab eo impetrari neceſſe ſit.Quare neutrum horum facere poterit in cauſis ſuorum ex mente huius capitis.Quod ergo Africanus ita ſcribit,In priuatis negotiis pater filium vel filius patrem iudicem habere poteſt.d.l.in priuatis.ſic accipiendum eſt,ſi iudex datus fuerit,nec recuſetur. In publicis autem negotiis id non procedere ſignificat Africanus propterea quòd ſiue recuſatus fuerit,nihil ageretur,ſiue approbatus,& tunc colluſionis,vel præuaricationis ſuſpicio ſubeſſet,vt nos interpretamur.Hæc cauſa eſt quamobrem multi omnino iudices in cauſis publicis dantur.Omnia enim per magiſtratus ipſos expediri debent. Et ad hoc Africanus reſpexit,vt Duarenus tradit & nos probamus.Nec me latet quoſdá ea verba interpretari de domeſticis ipſorum patris & filij negotiis. Corraſ. lib. IIII.Miſcell.c.IX.ſed hoc mihi non probatur. Nec exempla me mouent.l.magiſtratum. de adop.l.apud filium de manu.vind.Non enim in his interuenit pater neque filius tanquàm iudex,nec forma priuati iudicij refertur, de quo tamen agitur in verbis Africani,cùm ſint poſita ſub Rurb.de iudiciis.ſed ſpecies quædam imperij quo apud magiſtratus adoptari vel manumitti ſolet, in his exemplis exprimitur.

L. XI. GAIVS. LIB. I. AD EDICTVM PROVINCIALE.

SI IDEM CVM EODEM PLVRIBVS ACTIONIBVS AGAT, *quarum ſingularium quantitas intra iuriſdictionem iudicantis ſit , &c.* Etiam paulò poſt diſputationem aliam ſuper hoc inducit.l.pen. §.fin.infrà eod.Quæro ergo qui nam hi eſſent iudices,qui limitatam habebant iuriſdictionem intra certam ſummam?Exiſtimo Romæ fuiſſe triumuiros capitales,& eorum loco creatum Pręfectum vigilum.Nam cùm criminaliter quadamtenus cognoſcere poſſent,etiá ciuiliter intra certam quantitaté ſtatuere potuiſſe credendũ eſt.arg.l.iij. §.fi.ſuprà de off.præfe.vig.In prouinciis auté fuiſſe Duumuiros,quos in ſingulis municipiis iuriſdictionem habuiſſe,mox docebimus.l.j.ſi quis ius dic.non obtem. Nos enim præfinitam & limitatam habuiſſe iuriſdictionem,generali lege municipali,qua de iure omnium municipiorum cautũ fuiſſe ſuperius diximus.in l. omnes populi.Argumentũ huius rei quod ſcribit Paulus l.inter.ad municip.inter conſentientes & de re maiori apud magiſtratus municipales agi poſſe. Et quod vltimo capite huius tituli,cùm extra territoriũ ius dicenti impunè nó pareri dixiſſet,ſtatim ſubiicit,nec ſi qua ſupra iuriſdictioné ſuam ius dicere velit. Nam ſingulorũ municipiorum & ciuitatum propriè territoriũ eſt.l.pupillus.§. territoriũ.de verb.ſig.Quare eadem quoq; ſententia conſtitutionis lib.x.Cod.

ſub

ſub tit.de decur.l.duumuirum.vbi etiam territorij mentio eſt. Cōfirmatur hoc ex eo quoq; quòd Iuſtinianus poſteà magiſtratuum municipalium poteſtatem nouella conſtitutione ſua, De defenſoribus ciuitatum, his attribuens, qui defenſores ciuitatum dicti erant, eorum quoque iuriſdictionem anteà intra ſummā quinquaginta ſolidorum conſtrictam, per l.j.C.eo.tit.de defenſorib.ciuit.latius aliquanto extendit, & tamen intra ſummam trecentorum aureorum contineri voluit. Nam alios fuiſſe defenſores ciuitatum, alios Magiſtratus municipales, qui Duumuiri appellantur, doctorū hominū lucubrationibus hodie ſatis cōſtat. Alcia.lib.III.diſpunct.c.v.Aug.ad Modeſtinū.Corraſſij lib.III.Miſſell.c.VI.vt Romæ alij erant Tribuni plebis tenuiorum defendendorum cauſa initio parati, alij Conſules & Prætores. Nam exemplo vrbis principis, magiſtratus in municipiis creabantur. Sanè de pedaneis iudicibus nullo modo niſi impropriè intelligi poſſe hoc reſponſum arbitror. Nam eos dici iudices datos ſupra oſtēdi, qui nec iuriſdictionem quidem habere dici poſſunt, ſed notionem tantùm. Neque non niſi ad controuerſias iam natas nominatim inter illos & illos de illa re, aut de illo negotio dari ſolent. quare vix conſtringere poteſt, vt dubitetur, an quantitas de qua agatur, ſit ſupra notionem iudicis dati. Nam Iuliani conſtitutio l. fi.C.de ped.quæ præſidibus poteſtatem dat cōſtituendi pedaneos iudices, qui humiliora negotia diſceptent, quia quedam, inquit, negotia ſunt, in quibus ſuperfluum eſt moderatorem expectare prouinciæ, aut ita accipienda eſt, vt de ſingulis controuerſiis vilioribus poſſit præſes arbitratu ſuo pedaneum conſtituere, aut ſi generaliter de omnibus etiam futuris controuerſiis conſtituere poſſe vult, iam pluſquàm pedaneus hic erit, qui quaſi mandatam in illis cauſis atque inter tales perſonas iuriſdictionē habere videri poterit. Præterea in cauſis appellationum obſeruabatur, ne niſi ſupra certam quantitatem, princeps cognoſceret.l.ſi qui ſeparatim. §.j.de appel.l.in offerendis.C.eo.tit.hodie nec præfecti quidem aut alij ſupremi magiſtratus, qui in comitatu principis ſunt, niſi ſupra certam magnam ſummam ex appellationibus cognoſcunt, nec niſi poſteà quàm per præſides cognitū eſt, quod nouellæ conſtitutiones definierunt.auth. de appel.per totum. Sed harum cognitionum exempla non niſi conuerſo caſu ad hoc reſponſum applicari poſſunt, vt quamuis pluribus actionibus in prima inſtantia actum ſit, quarum ſingularum quantitas modum non conſtituat, omnes autem ſimul conſtituant, nihilotamen magis apud tantos magiſtratus agi poſſit. Exemplū ſanè de pedaneis iudicibus ex nouella Imperat. LXXXII. § præbebunt directò induci poterit, dum pedaneos in vrbe Conſtantinopolitana conſtitutos cauſis vſque ad trecentos ſolidos aſcendentibus, expeditiorē quandam audientiam præbere mandat, cuius tamen ſententia adhuc non ſatis eſt vt ego arbitror intellecta. qua de re abundè ſuprà dixi.

§. QVOD *ſi mutua ſint actiones, &c.* Haloander, *Sed & ſi mutuæ.* Vt quaſi ſimilis deciſio ſuperiori caſui fieri videatur, & in fine magis probat legendum eſſe, *Poßit*, quàm, *poßim.* Sed ego à vetere ſcriptura diſcedendum non arbitror, vt diuerſum quiddam inferat, hoc modo, *Quòd ſi mutua ſint actiones, & alter minorem quantitatem, alter maiorem petat: apud eundem iudicem agendum eſt ei, qui quantitatem minorem petit, ne in poteſtate calumnioſa aduerſarij mei*

*ſit,an apud eundem iudicem litigare poßim.* Iuriſconſulti ſenſus apertus eſt,oporrere minoris ſummæ petitionem,ad iudicem hunc qui de maiore ſumma cognoſcere poteſt,defetri.ne alioquin eueniat,vt aduerſarius meus, minorē illam ſummam ſibi deberi petens,efficere poſſit,vt non apud vnum & eundem,ſed apud diuerſos iudices ego litigare cogar:dum quod ille mihi debet,neceſſe habeo apud maiorem iudicem apud quem iudicium cœptum eſt,perere, quod ſibi me debere ipſe affirmat,de induſtria apud alterum quendam minorem iudicem petit,quò magis me diſtractum & ſuſpenſum teneat.Quamobrem quia qui de maiore ſumma ius dicere poteſt,poteſt vtique & de minore , cùm maiori ſummæ,minorem ineſſe dicamus,ideò æquum viſum,vr petitionem ſuam ille ad maiorem iudicem dirigat.Nam mutuas petitiones apud eundem iudicem cognoſci oportere,& de muruis præſtationibus,ſeu petitionibus eundem iudicem dati,pridem receptum fuerat,rit.de quibus reb.ad eundem iudicem eatur,per totum.l.Lucius.infrà mandati.ſed difficultas ea hîc impediebar,quòd minor magiſtratus de tanta cauſa cognoſcere non poſſet.Duabus autem rationibus impeditur magiſtratus,quominus cognoſcere poſſit,aut ratione perſonę, quæ fortè priuilegio fori vtitur,ac tunc propriè dicitur iudex non competens, & hæc hodie ſublata eſt per nouam Iuſtiniani conſtitutionem,ſi de mutua petione agatur.l.pen.& aurh.ibi poſita.C.de ſent.aut ratione rei,vel ſummæ,quæ ſupra iuriſdictionem ſuam eſt,& hanc ſublatam nō arbitror.Hic eſt verus tam Caij quàm Imperatotis ſenſus,quē quominus amplectar,non mouet me Alex. conſtit.l.quoties. C.de iudic.qua,ſi cauſa ſtatus bonorum diſceptationi cōcurrat,apud eundem quoque,qui alioquin de cauſa ſtatus cognoſcere nō poterat, terminari eam permittit.nam eò id accidit,ne eiuſdem cauſæ continentiam diuidi contingat,quod fieri prohibitum eſt.l.nulli.C.de iudic.l.j.C.de offic.præf. præt.At hîc plures cauſæ ſunt ſuper diuerſis rebus inſtitutæ.Nec tamen turbare nos debet,quòd è contrario futurum videatur in poteſtate mea,ne tu apud iudicem quem initio elegeris,agere poſſis,ac per hoc fruſtreris.Nam hoc intelligendum puto,ab initio. Quòd ſi lite conteſtata coram minore iudice, tunc demum ego maiorem quantitatem apud maiorem iudicem à te petere incipiam,non transferri petitionem tuam,nec olim debuiſſe puto,nec hodie debere conſtat.d.auth. Et conſequenter. Hæc de veriore huius capitis ſententia dicta ſint.

MAGISTRATIBVS *municipalibus ſupplicium à ſeruo ſumere non licet, &c.* Municipia propriè dictas vrbes,quæ ſaluis ſuis legibus , in ſocietatem verius, quàm in poteſtatem & ditionem populi Romani venerant,notum eſt ex Aul. Gell. libro XVI. Noct. act. cap. XIII. Eorum magiſtratus antiquitus omnia agere potuiſſe , neceſſe eſt dicere , ſed abolito pridem veteri iure Municipiorum,Romanis legibus omnia fieri cœperunt.Tunc lata lex eſt municipalis,de qua modò dixi.l.proxima.in princip.Ea lege,omnia quæ magis imperij,quàm iuriſdictionis ſunt , magiſtratibus his municipalibus adempta.l.ea quæ, infrà ad municipa. Iuriſdictio tantùm relicta eſt,ea verò intra certam quantitatem conſtricta. Igitur quòd ait , *modicam caſtigationem eis permitti* , intelligendum eſt,vt citra imperij figuram id faciant.non ſolùm autem pecuniarij negotij

gotij explicandi, ſed exempli quoque edendi cauſa hoc eis permitti puto, ſi quid deliquerint.nam de ſeruis perinde ferè ac de quibus vis iuris noſtri animalibus iudicatur.Et cùm iure ciuili pro nihilo habeantur, ſatis eſt grauiore eorum ſupplicio ſuperſederi,non autē videri poteſt exerceri imperium, ſi modica de his caſtigatio ſumatur. Nec enim tam ſcrupuloſè ac ſuperſtitioſè hæc tractanda ſunt,quæ ad ſeruos attinent.

L. XII. VLPIANVS. XVIII. AD EDICTVM.

MAGISTRATIBVS *municipalibus ſupplicium à ſeruo ſumere non licet:modica autem caſtigatio in eis non eſt deneganda.* Magiſtratibus municipalibus,hoc eſt,duumuiris.Anguſtiſſima enim horum poteſtas,vt pote,qui non niſi intra certam quantitatem ius dicere poſſunt(vt modò dixi.)Nec contumaces quidem multare poſſunt.l.j.ſi quis iuſdi.nō obtem.Extat apud Plin.Cecilium epiſtola lib.IIII.ad Semproniū Rufum,qua negatū refert,ex authoritate publica feciſſe duumuirū,qui Gymnicū agona Vienneſium ex teſtamento cuiuſdā celebrari ſolitū ſuſtulerat.taliū enim terū cura,ad Præſides pertinebat,arg.l.ſi in aliquā.ſuprà de off.proconſu.& leg.

SVPPLICIVM SVMERE. Mortem inferre,arg.l.vltimum.infrà de pœnis.

CASTIGATIO. ſcilicet corporalis. Accur.putat etiam in liberos homines duumuiris corporalem caſtigationem concedi,quia duumuiri iuriſdictionem habent.l.ea quæ.ad Muni.Iuriſdictio autem ſine modica coërctione nulla eſt, l.j.& l.fi.ſuprà de off.eius.Sed nos id non admittimus,niſi cùm iuriſdictio aliter explicari non poteſt,vt tunc incidenter caſtigare poſſint,ſecundū ea quæ prædiximus,in l.Imperium.& in l.iubere cauere.quare corpus liberi hominis ob delictum principaliter attingere nullo modò poterunt.prohibitum hoc fuiſſe generali lege municipali credimus,cùm anteà hi magiſtratus pleniſſimam in ciues ſuos iuriſdictionem atque Imperium habere ſoliti eſſent:vt & alibi dixi,in l. omnes pop.ſuprà de iuſt.& iure.

NON *eſt deneganda.* Prudentum interpretatione. Non enim tam malignè accipere debemus legem illam municipalem,vt etiam ſeruorum caſtigationē his magiſtratibus interdictam eſſe dicamus,quibus anteà etiam in liberos homines animaduertere licebat.

L. XIII. VLPIANVS. LIB. LI. AD SABINIVM.

EVM QVI *iudicare iubet, magiſtratum eſſe oportet,&c. Iudicare iubet.* Duobus modis accipi poteſt,aut qui iudices dat,aut qui datos ſententiam dicere cogit.Qui iudices dare poſſint,planè definitum alibi ex Paulò eſt.l.cùm prætor.infrà de iud.alterum hoc loco definitur,vt ego ſentio. Certum tamen eſt, magiſtratum eſſe oportere tam qui iudices dat,quàm qui datos ſententiam dicere cogit.Sed dubium erat in caſu quem ſtatim ſubiicit,vt dixi,in l.fi.ſuprà de off.præf.vrb.

MAGISTRATVS *autem is eſt.* In aliis codicibus legitur.Magiſtratus autem, vel is qui in poteſtate eſt,&c.quæ ſcriptura magis placet.ſic edictum quoque illud, *Quod quiſque iuris*, conceptum erat hoc modo,qui magiſtratum poteſtatémve habebit,&c.l.j.infrà tit.j.Eſt enim magiſtratus in vrbe:poteſtas in prouincia.Magiſtratus eſt Cōſul,aut Prętor.Poteſtas eſt proconſuli,aut prętori.quam-

uis & Prætores prouincias ſortiretur:vt Siciliam,Sardiniam,Hiſpaniam,Narbonenſem Prouinciā.l.ij.§.capta.ſuprà de iuſt.& iur.quare nō impropriè ſubiicit, puta proconſul,vel prætor,ſi prætorem hoc modo accipimus prouincialem.

NON *poſſunt iudicare iubere.* Hoc eſt,præcipere vt ſententiam dicant iudices dati poſtquā ipſi magiſtratu,vel prouincia exceſſerint,nec pœnā proponere,vel ex nunc multam dicere,ſi non iudicauerint:inefficax enim omne huiuſmodi iuſſum,quia magiſtratus vltra tempus adminiſtrationis ſuæ non poteſt pro poteſtate agere,aut imperium extendere.l.fi.infrà de pœnis.vbi plenè notatur.Si tamen iudices dederit,durare eos etiam in tempus ſucceſſoris,& ab eo cogi pronuntiare conſtat.l.venditor.§.iudices.de iud.hac interpretatione tollitur omnis repugnantia quæ hactenus ſubeſſe videbatur.Plin:lib.IIII. Epiſtola ad Romanum.Eiā tu cùm proximè res agētur,quoquomodo ad iudicandum veni,nihil eſt quod in dextram aurem fiducia mei dormias,non impunè ceſſatur,ecce Licinius Nepos Prætor acer & fortis vir multam dixit etiam Senatori, &c.Hinc quoque apparet,officium eſſe præſentis Prætoris, non præteriti, iudices ad conuentus cogere,& de quibus rebus cognouerint,ſententiam pronuntiare iubere,arg.etiam.l.de qua re.infrà de iud.

L. XVI. IDEM LIB. III. DE OMNIBVS TRIBVNALIBVS.

SOLET PRAETOR *ſuam iuriſdictionem mandare & aut omnem mandat,aut ſpeciem vnam.Nam & is cui mandata iuriſdictio eſt,fungitur vice eius qui mandauit,non ſua.*

SOLET PRAETOR. Idem ergo & de proconſule,aut præſidæ exaudiendum erit.l.de his.ſuprà de off.præſ.ſicut è conuerſo,quod de præſide conſtituitur,ad Prætorem quoque extendi vides.l.j.§.an ergo. infrà de ſuſp.tut.Sed an Præfectus vrbi mandare poſſit iuriſdictionem?(de Auguſtali enim dubium non eſt,cùm ad exemplū proconſulis omnia faciat.l.j.ſuprà de off.præf.Aug.)Puto & præfectum vrbis mandare poſſe, nec alium fuiſſe Vicarium, quem habere eum conſueuiſſe ſuprà diximus,in Rub.de off.præf. vrb.quàm velut legatum præfecti,quem & ipſum tamen probaſſet Princeps.

SPECIEM VNAM. Sequenti capite cùm hoc ipſum repetiſſet,ſubdit ſtatim exemplum illud,maximè cùm iuſtam cauſam ſuſceptæ ante magiſtratum aduocationis alterius partis habuerit:ex quo apparet intelligendū eſſe,de vna aliqua certa cauſa,nō de vna aliqua vniuerſitate cauſarū,vt Accur.priore loco interpretatur.Nā ſpecies in iure frequēter appellatur caſus ipſe,de quo agitur quā facti contigentiā vocant.Dubiū tamen non videtur,quin & formā vnā iuriſdictionis mandare poſſit,veluti omnes cauſas intra aureos decē,queadmodū & inter certas perſonas,veluti inter Lanios & Armētarios,hoc eſt enim quod eodem ſequēti capite dicitur:inter perſonas certas:idq; Acc.rectè interpretatur,veluti pauperes,aut pupillos,nā hoc ſenſu propriè perſona dicitur. Sanè ſi cui ad vnā ſpeciē,hoc eſt,ad vnā cauſam tantùm iuriſdictio manderur,inter hunc & iudicem datum,nihil intereſſe putat Alciatus lib.II. Parad.c.I.in fi.Ego tamen multùm intereſſe exiſtimo,vt hic quidem iuriſdictionē habeat,iudex autem datus non habeat:qua de re plenius ſuprà dixi,in l.legatus.de off.proconſul.& in l.ij.hoc tit.nā iudici dato antiquitus ſemper præſcribebatur formula,huic autē

latiorem

lariorem poteſtatem in cognoſcendo relictum arbitror, ſi qua res qualis eſſet, prætor fortè interim animaduertere non poſſet, vel quoad ſemel ſtatutũ eſſet, amplius ſe interpellari nollet. Quare etiam illud puto, hunc cui mandara eſt iuriſdictio, in illa cauſa iudicem dare poſſe, ſi ſibi ſederit. Nam legari prætorij, vel proconſularis partes in hac cauſa ſine dubio ſuſtinet. l. cùm prætor. §. is quoq;. infrà de iud. Quare eadem poſſe debet, quæ & legatus poteſt.

### L. XX. Pavlvs Lib. I. Ad Edictvn.

EXTRA TERRITORIVM IVS DICENTI IMPVNE NON PARETUR. *Idem etſi ſupra iuriſdictionem ſuam velit ius dicere.*

De Duumuiris, hoc eſt, de Magiſtratibus municipalibus hoc ſcripſerat Paulus. Eadem etiam cuiuſdam principalis conſtitutionis ſententia fuerat, ſub ritu. de decur. lib. x. Cod. Duumuirum, ait conſtitutio, impunè non liceat extollere poteſtatem faſcium, extra metas territorij propriæ ciuitatis. Territorium enim propriè dicitur ſingularũ ciuitatũ & municipiorum ager. l. pupillus. §. territorium. de verb. ſign. Sed Imperator etiã de prouinciarũ rectoribus accipi hoc voluiſſe videtur: quia ſcilicet eadẽ ſubeſt ratio. Qua de re ſuperius quædam diximus, in l. fi. de offi. præf. vrbi.

## *QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM STATVIT,* VTI IPSE EODEM IVRE VTATVR. Tit. II.

Translatitivm ab antiqua origine ac vetuſtiſſimum eſſe hoc edictum vſitatamque illius obſeruationem oſtendit Cicero, in epiſtola ad Q. Fratrem, quia illum Prouinciam Aſiam Proconſule obtinentem ad munus ſuum quàm rectiſſimè obeundũ & perpetuam ſibi ex eo gloriam comparandã egregiè inſtruit. Eius verba quà eum admonet, qualem ſe in iure dicendo, rebuſque ſtatuendis & decernendis præbere oporteat, hæc ſunt. Conſtantia eſt adhibenda & grauitas, quæ reſiſtat non ſolũ gratiæ, verũetiam ſuſpicioni: adiungenda eſt facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in ſatisfaciendo ac diſputando diligentia. His rebus nuper Gn. Octauius iucundiſſimus fuit, apud quẽ primus lictor quieuit, tacuit accenſus, quoties quiſq; voluit dixit, & quàm voluit diu. quibus ille rebus fortaſsè nimis lenis videretur, niſi hæc lenitas illam ſeueritatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim & metum abſtulerant, reddere: quæ in magiſtratibus iniurioſè decreuerunt, eodem ipſis priuatis erat iure parendum. Hactenus Cicero, locus tamen nonnihil deprauatus eſt: nam vulgò legitur, primus lictor qui fuit. quæ ſcriptura nullum ſenſum efficit, nos coniectura emendandum exiſtimauimus: quieuit, hic lictor, non primus, ſed proximus in Verrinis appellatur. Qui ſcilicet quaſi magiſter lictorum eſſet, & duriores litigatores, cùm opus eſſet, coërcerent. Ex hoc quoque Ciceronis loco apparet, de iuriſdictione deque his quæ à iudicibus pro poteſtate ſtatuuntur ac decernuntur in cauſis controuerſiiſque ciuilibus & iudiciariis edictum initio propoſitũ fuiſſe, quo ſenſu ferè & omnia ſub hoc tit. diſpoſita loqui apparet. ſed neſcio quo errore nõ interpretes noſtri modò, verũetiam Romani Pontifices, in c. cùm omnes de conſti. de legibus. & de legiſlatoribus, quæ

ſtatuta & ſtatuentes vocari iam diu inualuit,edictum hoc exaudiuerunt. Itaq; intempeſtiuè & acriter hoc loco,qui nam hi ſint,qui leges & ſtatuta condere poſſint quæſiuerunt.Inter hos minus vituperandus Raphael Fulgoſius.Nam is ſibi quidẽ antequàm doctorũ commentationes vidiſſet,in mente veniſſe ait,accipienda hæc eſſe de his quę à iudicantibus decernuntur,nam propriè ſtatuta ea dici animaduerterit.l.poſt ſententiam.C.de ſenten.ſed tamen doctores, inquit,ſic intellexerunt,de legibus videlicet ſtatutarijs,quaſi dicat.Et nos ne brachia contra torrentem.Cæterũ erroris cauſa doctoribus noſtris, quòd nouum ius ſtatuere poſſe neminem excepto principe exiſtimarunt:propterea quòd ad ipſum ſolũ,condendarũ legũ curam pertinere,hodie traditũ eſt.l.fi.C.de conſti. cautum etiã inſti.de off.iud.in prin.vt non aliter iudices iudicent quã quomodo legibus & moribus proditũ eſt:quare neminẽ tam inſigniter impudentem, neque iudicem,neque magiſtratum fore exiſtimarunt,qui ex profeſſo ſe & nouas leges ponere,& ſecũdum illas iudicare velle diceret,quemadmodũ Solonẽ olim interrogatum,quare non & aduerſus parricidas legem poſuiſſet,reſpondiſſe ferunt,quòd neminem ex ſuis ciuilibus parricidium admiſſurum eſſe credidiſſet.Cenſuerunt tamen iidem doctores noſtri,& ad iudices edictum pertinere,ſi quid iudicando,aut decernendo perperã,aut nouiter ſtatuiſſent,verùm id per interpretationem magis quàm directo,cùm potius contrà definire debuerint,directo teneri ius dicentes hoc edicto,cęteros autem vtiliter & per interpretationem.Hæc idcirco tam inconſultè,quia memores nõ fuerunt ac fortaſsè ne nouerunt quidẽ,latiſſimam antiquitus fuiſſe prætorum in iure dicendo poteſtatem,vtpote qui arbitratu ſuo ex quaque cauſa actiones redderent vel negarent.Quaſdã ex legibus proditas, ſi quid deeſſe videretur,ſupplerent. l.quia actionum.de præſcri.verb.vtiles porrò actiones ad exemplũ aliarum ſæpenumero darent:deniq; iudiciũ in hæc aut illa verba,purè,vel cum exceptionibus,prout æquum eſſe videretur,redderent,formulas cõciperẽt,iudicibus datis æquitatẽ & iudicij formã in omnibus ita præſcriberent,cauſamq; ad certum ſtatũ cõcluderent,vt dati iudices nõ niſi cognitores rei geſtæ eſſent,apud quos ſcilicet de facto,non de iure diſceptaretur:Prætor ipſe iuris cuſtos ac velut oraculum quoddã haberetur.Igitur cũ de his quæ certo iure cõprehẽſa nõ eſſent, ſæpenumero ſtatuendũ eſſet,eueniebat vt nouo more quędã interdũ decernere cogerentur:id etiã ex qualitate perſonarũ nõnunquã faciebant,vt cũ Verres de quodã homine dixit,ſi quis eum pulſaſſet,ſe iniuriarũ actionẽ non daturum. Nam edictũ prętor quiſq;,vt prouinciã acceperat,proponebat.nec idẽ quidem edictũ obſeruabat toto tẽpore magiſtratus ſui,ſed crebro illius partes quaſdam (vt res poſcere videretur)mutabant,donec tandẽ ex edictis ſuis perpetuis, hoc eſt,quæ cũ ſemel propoſuiſſent,amplius ipſi non mutarent,prætores ius dicere cœperunt.Eſt autẽ ius dicendi verbũ,vt ſtatuendi,in magiſtratibus generale, eoq; tota omnino iuriſdictio ſignificatur,quæ nõ tam iudicando,quã ſummatim de quibuſq; cognoſcendo,decidendo,iudices & bonorũ poſſeſſiones dando,de appellationibus cognoſcendo,res iudicatas exequendo,& cæteris huiuſmodi continetur.Deinde perpetuum & translaritium edictum factum eſt, vt vnum eſſet omnino omniũ Prætorũ. Hæc omnia doctiſſimorum hominum

Alcia

Alciati Auguſtini Duareni commentationibus hodie nota ſunt. Non tamen idcirco officiũ prætoris ceſſauit penitus,quanquàm ſublatis formulis & impetrationibus actionum, ac pleriſq; digeſto iure iam præſcriptis,magna ex parte cõquieuerit,Sed verum illud eſt. Naturam expellas furca licet,vſque recurrit. Emergunt enim quotidie in negotijs cõtrouerſiiſq; ciuilibus quædã,quæ veluti rediuiuũ prætorem poſtulent,quod vel ſatis certa forma ac iure definita,aut comprehenſa non ſint:vel ſi ſunt litigatores,tamen moleſti locorũ rectores,de rebus cauſiſq; ſuis frequenter interpellant:dum vel ordinario iure,vel apud ordinarios iudices agere,aut conueniri nolunt,vel ſubueniri ſibi quibuſdam in rebus atque articulis cauſarum, ac nonnunquàm etiam in iuris publici declaratione poſtulant.Hoc totum officium Romæ hodie Cardinalis ampliſſimus ſignaturæ præfectus,approbante & ſingulis ſubſcribente reuerentiſſimo Vicecancellario exercet.Solus olim vicecancellarius exercebat.Præſides ac legati in prouincijs & rectores ciuitatum per ſeſe, aut quas vocant ſignaturas ſuas, de conſilijs ſententia plerunque proſpiciunt.vt & Car.Romæ de conſilio Referendariorum. In his occaſio noui iuris ſtatuendi perſæpe naſcitur: ſunt enim hæc omnia in æquitatis interpretatione poſita.

L. I. Vlpia. Lib. III. Ad Edictvm.

Qvi magistratvm potestatemve habebit. Magiſtratum accipe,in vrbe.Poteſtatem etiam extra vrbem:vt ſuprà diximus,l.eum qui.titu.j.eodem modo expone quod mox ſubiungitur,ſi quis apud eum qui magiſtratum poteſtatémve, &c.Sic & tertio càpite,de arbitris, accipiendum eſt, in aliquo magiſtratu poſitus,vel poteſtate &c.Nam Accurſij interpretatio,Magiſtratum Duumuirũ poteſtatem eũ cui merum imperium cõceſſum eſt,accipientis,non placet,non quia nõ omnes etiam magiſtratus municipales edicto cõtineantur, ſed quia magiſtratus appellatio ꝓpriè ad Vrbanos pertinet,nõ ad municipales.

In aliqvem. Quid ſi generaliter & in vniuerſum nemine nominatim deſignato? vt C. Verres edicta multa nouo more nouiſque cõceptionibus,aut adiectionibus propoſuiſſe à Cicerone arguitur. Reſpondeo, non ſufficit edictum propoſitum eſſe, niſi & ſecundum illud ius dictum ſit. Verbum enim, ſtatuerit,hoc ſignificat. §.ſeq. Nam vt ſtatuatur nouum ius in aliquem, requiritur quòd contingere non niſi in perſonam certam poteſt.Illud annotandum, idcirco hoc edictum propoſitum fuiſſe: vt aut veteribus & tranſlatitijs edictis prætores vterentur,aut ſi quid noui ſtatuendum putarent,id quod æquum & bonum eſſet,vſquequaque amplecterentur,non ex libidine ſua quiduis fingerent:cui rei proſpici oportuit,cùm ob legum inopiam,quotidie multa de nouo ſtatui neceſſe eſſet.

L. II. Pavlvs Lib. III. Ad Edictvm.

Hoc edicto dolvs debet ivs dicentis pvniri. *Nam ſi aſſeſſoris imprudentia ius aliter dictum ſit, quàm oportuit: non debet hoc magiſtratui officere, ſed ipſi aſſeſſori.*

Dolvs. Quamuis in edicto prætoris,doli mentio nulla ſit.l.j.

A

ſuprà eod. quia tamen ex Paulo hîc refertur, debere hoc edicto dolum ius dicenti puniri, propterea videntur ad vnum omnes exiſtimaſſe, requiei dolo malo factum, vt priori huius edicti capiti locus ſit, aduerſus magiſtratum ſcilicet, qui nouè ius dixit. glo. & Alber. hîc. glo. & Fulgoſius in l. fin. infrà eodem. Non dubitauit tamen Paulus Caſtren. etiam ſi lata duntaxat magiſtratus culpa arguatur, affirmare nihilominus edictò locum fore, argumento vſus, quòd aſſeſſoris imperitiam hoc loco taxari viderat: nam imperitia, inquit, aſſeſſoris, nihil amplius eſt quàm lata culpa, quæ ſi in aſſeſſore retaliatur, multò magis etiam in ipſo magiſtratu puniri debet. Sed hoc intereſſe omnes cenſent, quòd iuris imperitia in magiſtratu, niſi & iuriſconſultum ſe profiteatur, & eo intuitu iuriſdictioni præpoſitus ſit, latæ culpæ non comparatur, in aſſeſſore autem comparatur. Mihi nimis exile argumentum hoc viſum eſt, quia Paulus hoc loco doli mentionem fecit: idcirco nos exiſtimare, non niſi eos qui dolo feciſſe deprehendantur, hoc edicto teneri. Non enim id agit Paulus, vt interpretatione ſubleuet hunc, qui nouè ius dixit, ſed vt inter eum qui ſua, & eum qui aliena ſententia, velut circunſcriptus ius dixit, diſtinguat. Proinde extra hunc caſum quicunque ſiue magiſtratus nouum ius ſtatuerit, ſeu priuatus impetrauerit, dummodò ex ſententia eius id factum ſit, ad edictum hoc eum pertinere arbitror, nec excuſationem ullam accipiendam, ſi fortè reſpectu aliquo, vel ſpeciali ratione, aut cauſa ſtatuiſſe, aut impetraſſe cauſari velit, dummodò ex ſententia eius id factum ſit, & termini pares ſint, vt vulgò dicimus, hoc eſt, cauſa cauſæ, vel earum articuli & circunſtantiæ inter ſe conueniant. Nam edictum prætoris nullam neque doli, neque imperitiæ, aut culpæ mentionem facit. Sed factum duntaxat requirit, vt quod cuique in alio æquum eſſe vſum eſt, id in ſeipſum obſeruari non dedignetur. Quare illa exceptio elegans eſſe dicitur, in l. fi. infrà eo. *Præterquàm ſi quis eorum contra eum fecerit, &c.* quæ exceptio non inelegans modò, ſed prorſus inepta eſſet: ſi doli verbum in edicto, vel adiectum, vel ſubintellectum eſſet: hoc & Accur. principio animaduertat. glo. in d. l. fi. Quod verò Paulus hîc dolum puniri ait, accipiendum eſt, pro verſutia & calliditate Magiſtratus, quæ affuiſſe præſumi debet ob id ipſum quòd iniquè decreuit, nec probatio in contrarium admittatur, vt ego ſentio. Nam etſi nulla fuerit calliditas, non ideò minus edicto locus erit, cùm etſi ſumma cum ratione ac ſolertia actum eſſe proponatur, nihilominus tamē ipſi eodem iure parendum ſit, quod in alio æquum putauit, vt in ipſo interpretationis limine Vlpianus ſtatim ſcripſit. l. j. ſuprà eo. Secundum hoc illud quoque rectè efficitur, vt ſi tutor nouum ius de re pupilli impetrauerit, ipſe eo iure vti debeat, non pupillus, quod in procuratore ſecus eſt, quoniam ſcilicet ex ſententia noſtra procurator impetrat, tutor non ex pupilli ſed ex ſuo tantùm ſenſu facit. l. ſeq. §. ſi procurator.

## L. III. Vlpianvs Lib. III. Ad Edictvm.

SI QVIS INIQVVM IVS ADVERSVS ALIQVEM IMPETRAVIT. Incipit exponere alterū edicti caput, de litigatore, qui nouum ius ſtatuendum curauit. Sed in edicto ſcriptum erat, obtinuerit: non, impetrauerit: vt capite primo vidiſti. Quare apparet promiſcuè

ſcuè his verbis vſum eſſe Vlpianum. Obtinere tamen magis conſummatam actionem ſignificat, quàm impetrare, quo magis mirum videtur, quod paulò poſt ſubijcit. Sed & ſiue impetrauit, & vſus eſt iure aliquo, ſiue impetrauit, vt vteretur (licet vſus non ſit) hoc edicto punitur. Nam ſi in magiſtratu, an quod ſtatuendum putauit, effectum habuerit, vel habere potuerit, inſpicitur. l. j. §. fin. ſuprà eo. cur non & in litigatore idem quæri conueniat? Accur. planè hoc admittit. Itaque diſtinguendum putat, an vti potuerit ſi voluiſſet, an non: vt ſi à iuriſdictionis, aut ſolennium defectu laboraret. Amplius putat Zaſius in intellectibus, etſi cùm vti potuit, integris tamen omnibus conſilium mutauit, non puniri edicto, arg. d. §. fi. & l. quamuis. de in ius voc. Quare ita accipiendum hoc cenſet, vt vſus non fuerit, quia non potuerit: per eum tamen nō ſteterit, quominus vteretur. Sed alia huius verbi ſignificatio eſt, vti enim propriè is dicitur, qui decreto vel ſemel nititur, quod Vlpianus minimè requiri tradit. Quare pœnitentiam quidem manifeſtam re integra excuſare exiſtimo, ſi vltro approbetur argumentum, dict. l. quamuis. Sed ſi hæc non appareat, nō ideò minus edicto locum fore, quamuis non vltra Imperator conatus fuerit.

*FINIS.*

# Lugduni,

Excudebat Matthias Bonhomme.

# ANTONIO VACCAE IVRISCONS. CLARISS. ET VENAYSSINAE PROVINCIÆ PRÆSIDI DOMINO SVO COLENDISSIMO IACOBVS CONCENATIVS, S. P. D.

VT Sunt res humanæ, mihi videtur gloria præcipuum quoddam ornamentum eſſe virtutis, quæ non aliter gaudet agnoſci, quàm Sol amat lucere. Nullam enim virtus aliam laborum periculorúmque mercedem deſyderat, præter hanc laudis & gloriæ. Qua detractâ, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam breui, tantis nos laboribus exerceamus? Omnes quidem noſtri ſtudiorum labores, omnes conatus & vigiliæ non ſuſciperentur, ſi nihil efficere, nihil parere aliquando poſſe crederemus. Maximè quòd vnuſquiſque noſtrum ita natus & inſtitutus ſit, vt ferè nemo niſi mercedem aliquam laborum ſuorum ſperet, de aliquo bene mereri velit. Quæ verùm magis virtuti, quàm felicitati & fortunæ tribuenda ſit, neſcio. Hoc vnum ſcio, Nòn ſatis eſſe virtutem colere, autoritatem habere, niſi etiam felicitas inſit. Omnibus enim ſummis viris quædam ad amplitudinem & gloriam, & ad res bene gerendas diuinitus adiuncta fortuna eſt. Vt in teipſo mihi exemplum ſumo, Præſes obſeruandiſs. Qui præterquàm quòd iura reipub. municipales ſanctiones, probatos mores diligentiſſimè retines ac conſeruas, in omni doctrinæ genere præſtantiſſimus es. Teſtes erunt tuæ LOCORVM OBSCVRIORVM IN PANDECTAS EXPOSITIONES, Quas legi & relegi cùm libenter, tum quadam cum admiratione. Nullum inueni digreſſionis diſpendium, ſcopum tetigiſti, & quæ tibi ſuccurrerunt, adiecisti his, quæ variis diſcrepantibúſque noſtrorum ſententiis fuerunt deprauata. Quod ſanè præſtare nemo poteſt, niſi animum doctrina excolat. Non enim aliter in tanta rerum varietate ſuppetere poteſt, quid dicamus. Oſtendis planè te literarum ſtudio ita deditum, vt ex his in publicum afferre fructum, & admiranda in lucem proferre poſſis. Itaque quia omnia conſequutus es, duce induſtria ac fortuna comite, te tametſi

Prouincialibus publicíſque negotiis occupatiſſimum, pro communi reipubl. vtilitate rogabo, vt reliquos Pandectarum obſcuros locos, pro ſumma tua virtute atque ingenio expoſitos, euulgari ſinas. In hoc erit ſumma & gratia & gloria, & laus apud præſtantiſſimos laudatiſſimóſque viros. Cæterùm in aliis voluminibus, ſi qua deinceps edideris, autorum legúmque quas vocant allegationes, ab orationis tuæ filo ſeparatas ac in margine foliorum reiectas eſſe velim. Id quod te in animo habuiſſe, non me latet, cùm iſta ſcriberes. Sed non fuiſſe tibi ocium exemplar exintegrò deſcribi, curandi, ac repetita lectione, vt decreueras, recognoſcendi, etiam ex teipſo audiui. Enimuerò pro mea in te beneuolentia, vt hoc primum volumen, omnibus ſuis numeris abſolutum in lucem exiret: locos omnes ſingulares ſelectos & ſub indice redactos tibi mitto. Vt ſi abs te approbentur, euulgari ſinas. Nam ocium tibi in eam curam haud futurum ſcio. Interim bene vale, meúmque erga te ſingularem amorem ama. Carpenroracte, decimo Calendas Maias.

1554.

## *Errata animaduertenda.*

Pagina 1 verſu 7. appoſititia. 3 7. anuſ. 4. 35. nepotiſ. 11. 2. Lotharij. ead. 7. Diplomatarius. ead. 19. ſcrutata. 12. 25. Ziphras. 13. 20. teſtam. ead. 32. vis. 17. 39. retrahi. 18. 11. exigit. ead. 34. diſtinguat. 20. 14. brutorum. ea. 21. exactè. 21. 3 indici. 22. 20. intelligitur. ead. 26. ſunt bella. ead. 32. diſtinguuntur. 23. 28. Halicarnaſſenſem. 24. 25. retexens. 26. 7. deſcedunt. ead. 28. ratione 27. 43 Triphoninus. ead. 18. natura. 30. 9. proſequuntur. ead. 41. Triphoninus. 31. 5. faciat. ead. 23. oportuit. 32. 34 indigere. 33. 10. Antiochenſium. ead. 33. quæ. 34. 15. Ethicorum. ead. 24. naturæ. ead. 32 accipimus. 35. 6 petentur. ead. 19. ſingulari. 36. 9. Tullius. ead. 5. libertati. ead. 8. diſſenſione. ead. 8. in licitos. ead. 12. quin. 37. 2. cauit. ead. 10. quid. 38. 24. indicum. ead. 38 in prouinciam. 39. 9. adiectos. ead. 20. Iulias. 40. 3. idcirco. ead. 6. cùm. ead. 9. conglutinata. 42. 22. quà. 44. 40. idem. 45. 30. adſtruxerunt. 46. 5. præmineret. ead. 31. excludere &. ea. 43. Quòd. 47. 3. voluerit. ead 7. intercedat. 48. 36. ſententia. 52. 39. abrogatam. 53. 40. proferre. 54. 34. annona. 55. 43. aliorum. 57. 28. curaſſe. ead. 42 cogeodique. 58. 35. magiſtratu. ead. 39. interiere. ead. 41. defuncti. 59. 6. ſufficere. ead. 7. pringno. ead. 7. Heracleonæ. ead. 16. autoritati. ead. 17. vt. ead. 35. ditionem. ead. 43. plebs. 60. 1. hæc. ead. 9. Egnatius. ead. 13 vicaria. ead. 16. poterit, vt. ead. 19. conuenire ead 35 Rhemiam. ea. 39 41 & 42 Rhemiam 61. 28 optimorum ead 35. aliorum. ea. 40. epiſtolæ 63 13. quæq;. ead. 18 aliquot. ead 37 l. ſeq 64. 32. exiſtimarem. ead. 37. Romanam 65 35. appellationem. 67. 13. quæſitos. ead. 27. maturus. ead. 30. iuſto. 68 1. exiſtimarunt. ead. 14. odium. ead. 27. verius. 69. 6. alioſum. 70. 24 propius. ead. 36. impleri. 71. 12. vſquam. ead. 22. non neceſſe. ea. 14. 5. ſi. ead. 14 præambula. 72. 13. Doctores. 73. 12. poterat. ead 39. conditionis. ead. 44. illius. 74. 25. hominis. 75. 29. vſas. 76. 4. vtrúſque. ead. 13. permiſſu. 77. 35. patresfamilias. ead. 19. paterf. ead. 44 ſententiæ. 78. 12 multas. ead. 19. replere. 79. 2. poterant. ead. 5. interim ead. 33. effectus, 80. 1. in Inſtitutionibus. 82. 5. explicabantur. 83. 20. egenti. ead. 31. nec curatoris. 84 16. eum. 86. 40. Et. 87. 14 poſteriores. ead. 15. detracto. ead. 28. Suzaria. 88. 6. atque in iis. 89. 16. regulæ. 90. 43. pater. 91. 23. Bar. & Cyn. 92. 4. Proculi verba. ead. 7. ſi &. ead. 8. Proculus. ead. 11. deprecationem. ead. 12. acceperim. ead. 43. induci. ead. 44. Lucio. 93. 22. intellecto. ead. 33. Palatinis. ead. 32. Quibuſdam. 94. 8. Iſagogicas. ead. 18. ad actiones. ead. 28. mauult quàm ea. 32. eſt. ea. 33. Anniuer. diſput. ead. 35. ſignificari. ead. 43. Inſtitutionum. 98. 12. appellere. ead. 22. confederit. ead. 25. faciant. ead. 30. Caropi Marij. 99. 2. vtrumcunque. ead. 13. Phanale. ead. 17. reuertantur ead. 29. quin. ead. 32. quidam. 101. 28. Princeps. ead. 43. eſt. 104. 40. Gothis. 113. 13. adſcribebantur. ead. 19. indicum. ead. 23. promeritum. ead. 39. cuſtodiæ. 114. 20. latiniſsimos. ead. 26. iam. 115 28. impetrauerant. ea. 37. à plebe. 116. 11. ſerias. ead. 25. iam. 117. 29. Quinimo. 118. 2. priuat. carcer. 119. 12. vacantibus. ead. 15. propriè. 120. 35. ſed &. ead. 39. ſed huic. 121. 27. deſcenderant. 122. 16. certè. ead. 39. vt deſcenſiuè & incluſiuè. 123. 10. conſueuiſſe. ead. 35. quæque. ead. 36. in ſenatoribus. Idem. 124. 1. et. ead. 30. dominam. ead. 32. tam. 125. 25. examinari. 126. 39. cùmque. 127. 11. quæ ad. 128. 35. hoc. 132. 27. Equitem. 137. 22. Nolanis. ead. 14 arbitrum. ead. 35. eſt 138. 27. differere. ead. 31. explanationem. 139. 28. faſcibus. 140. 42. Hunc. 141. non neceſſe. 144. 19. Nec. ead 40. alarum. 146. 24 inſtigenda. 148. 26. deſeruiſſe. 150. 5. exiſtimarim. ead. 7. amittat. 152. 9. tum. ead. 25. potuerunt. ead. 38. cautum. 152. 7. iubentur. 155. 13. verum. ead. 22. & duodecim. ead. 26. Populus. 156. 40. orationibus hæc. 158. 8. qui. ead. 23. propior. ead. 33. vſui. 159. 15. cauſa. 160. non eſſe accipiendam hoc loco, vt Alciatus exiſtimat, ſuadet primò quòd in criminalibus aſquam indices dari. ead. 7. iura. ead. 41. Proconſulis. 162. 24. Legis Iuliæ de adulteriis. 165. 30. totam. 166. 22. & vindictæ publicæ exequutionem. Idcircóque. 168. 42. Præſtitutam. 113. 17. omiſſa. 172. 2. Ditio. 173. 14. magiſtratus. 174. 4. cùmquam. 175. 14. commodare. ead. 16. opponitur. 176. 30 ſponſionis. ead. 38. Eam. ead. 39. adiunctam. 178. 27. vulgarem. 179. 14. magis quàm. 181. 12. Caſelius. 182. 19. habeant hi. 183. 41 § 3. inſti. 184. 1. iuriſdictionem. 185. 13. vnam. ead. 42. attinebat. 186. 16. nulli. ead. 37. Hoc. 187. 14. Hicque. ead. 16. contingere. 191. 1. relictam. ead. 24. qua. ead. 34. decreuerant. 192. 34. edixit. 194. 2. requiri. 195. 30. Impetrator,

Alia vel interpunctionibus vel aliter errata, ſi qua ſint, orationis filo declarabuntur.

# INDEX RERVM ET VERBORVM SINGVLARIVM, QVÆ IN Antonii Vaccæ locorum obſcuriorum expoſitiones continentur.


ACCVRSII *gloſſæ obiter reprobata. 1.28.& 12.31.& 13.30.& 15.25.& 16.33. & 18.7.29.& 19.40.& 24.2. & 25.40. &.30.23.& 47.23.40.& 53.30. & 65.20. 41.& 69.36.39.& 70.12. & 72.30.& 73. 13.& 76.15.& 78.4.& 83.2.& 84.35. & 85.26.& 89.11.& 91.23.& 92.2. & 94. 30.& 95.6.& 101.11.& 120.16.& 121.6. & 128.40.& 132.53.& 134.38. & 135.36. & 139.8.& 140.21.& 148.27. & 149.4. & 152.36.& 153.17.& 167.20.& 171.19. 34.& 179.28.& 189.19.*

*A*

ACTIO *an iuregen. inſtitu- ta.29.20.130.30.*

*Actione carens experiri nõ poteſt. 154.21.*

*Adoptio dignitatem non minuit.89.39.*

*Adoptio filium & nepotem facit. 91.16.*

*Adoptatus in locum nepotis mortuo auo iura conſanguinitatis finiuntur. 91. 40.*

*Adoptatus libertus, an ingenuus efficiatur. 85.25.*

*Adoptatis, conſanguinitatis vis non tribuitur.92. 12.*

*Adgnati qui dicantur. 92.15.93.12.*

*Adoptatus emancipatus deſinit ciuis eſſe. 84.39.*

*Adoptionum iura moribus introducta.80.3*

*Adoptio fraudulenta nemini proficit. 83.20.*

*Adoptando filiumfa. patris voluntas ſufficit.84. 43.*

*Adoptatus quibus adgnatus fiat. 83.6.*

*Adoptio quare apud magiſtratũ fiat.81.30 & 82.7.*

*Adoptari ingenuus à libertino nõ poteſt. 86. 12.*

*Adoptatus filius emancipatus, in patris poteſtatem non recidit.86.8.*

*Adoptandi modus ex teſtamento.81.18.*

*Adoptio quibus permiſſa. 78.33.*

*Adoptare abſentem non permiſſum. 87.39.*

*Alciatus reprobatus.81.16.& 178.27.& 118. 4.& 119.28. & 124.10.& 158.& 159.28. & 160.3.&.169.18. & 181.17.& 190.40.*

*Alciatus præceptor.2.10. & 60.34.*

*Alea victum, reſtituendum. 53. 2.*

*Alienatio rerum pup. quatenus permiſſa. fol.156.37.*

*Anteceſſores.4.8.*

*Anteceſſores qui dicantur. 4.7.*

*Anteſignani. 4.24.*

*Antiſtites liberalium ſtudiorum.4.14.*

*Antiſtites qui dicantur.4.14.*

*Arbitri & iudices dati, notionem tantum habent.176.39*

*Arbitri qui dicantur.137.2.*

*Arbiter & iudex datus differunt. 139. 21.*

*Arbitrium & iudicium non differunt. 138.29.*

*Arma contra antiquam conſuetudinem, vendi ac teneri cuilibet permiſſum. 52.29.*

*Ariſtot. qualis & quantus fuerit.104.16.*

*Arrogatus utrum minuat dignitatem. 89.44.*

*Arrogatio quare præſidi intimanda. 81.36.*

*Arrogatione liberti finita an ſub ius patronatus redigatur. 86. 4.*

*Arrogatoris bonorum quarta pars, quomodo arrogato debeatur. 86 34.*

*Arrogando impuberem vel adultum, quæ neceſſaria. 85. 10.*

*Arrogare plures non permiſſum.87.18.*

*Arrogatio ab interrogatione dicta. 84. 22.*

Aſſeſſores qui dicantur.168.28.
Aſſeſſores quid à ceteris officialibus diſcrepent.169.10.
Aſſeſſoris imprudentia ſibi,non magiſtratui officit.193.41.
Auguſta quæ dicantur.3.17.
Auguſtus & qui non auxit.3.20.
Auguſtus.3.12.
Auguſtus vnde dictus.3.20.

B

BALDVS reprehenſus.87.5.
Bãniti an vbique nauigare poßint.99.19.
Bartolus reprehenſus.171.31.& 178.27.
Bellum quando licitum.24.1.
Bellum an iuregen. permiſſum.22.31.
Bellum iuſtúmue an iniuſtum.23.9.
Berytienſis vrbs,in phœnice Syria eſt.10.36.
Bolognini Pandectæ.7.5.
Bonorum poß.dare miſti imperij eſt.173.17.

C

CAESAR & Auguſtus perpetua Imperatorum cognomina.3.9.
Cæſar ſucceſſor Imperij.3.10.
Caius noſter.6.28.
Caius qui vir eſſet.6.28.
Caij inſtitutionum libri.6.28.& 38.
Capena quid dicatur.101.35.
Cardinalium & ſenatuum vtrùm eadem poteſtas.60.22.
Caſſiodori epiſtolæ quo tẽpore ſcrip.2.18.7.31
Caſtratus quis dicatur.81.10.
Cauſæ quæ dicantur cognitionis,& quæ ordinarij iuris.
Cauſa in dubio impulſiua,non finalis.11.24
Cenotaphium quid ſit.103.27.
Ciuitas præmio & pœna conſtat.17.29.
Clariſsimi ad quæ ſint incapaces.121.38.
Clariſsimorum & ſpectabilium qui veniant appell.148.16.
Clariſsimi appell.quibus adſcribẽda.113.12.
Codicis Iuſtiniani altera editio poſt proœm. Digeſtorum.5.10.
Coërctio quatenus iudici permiſſa.174.20.
Comites qui dicantur.169.4.
Commercium quid ſit.25.34.
Communia quæ propriè dicantur.101.12.
Cõmunia iuri naturali,in priuatũ vſum aut dominium cuiuſquam redigi vel vſucapi non poſſunt.100.14.
Compaternitas per procuratorem non contrahitur.88.33.
Condemnare ſine certa lege nemini permiſſum.154.24.& 155.4
Cõditionem ſemel impletam ſufficit.70.34.
Confeſſus pro condemnato eſt.34.31.
Conſanguinei, hoc eſt, fratres, quo ordine ſuccedant.92.24.
Conſanguinitatis ius quos includat, & quos non.92.42.
Conſanguinitatis ius inter quos eſſe dicatur.92.14.
Conſanguinitatis effectus.92.28.
Conſilium exercere quid.164.13.29.
Conſilium non ligat.13.40.
Conſtitutiones contrariæ quomodo conciliandæ.63.1.
Conſtituta iudicia,& conſtitutæ quæſtiones quæ dicantur.36.39.
Conſtitutio ſine die non valet.63.26.
Conſuetudo inueterata pro lege ſeruanda.10.40
Conſuetudo legem vincit.34.1.
Conſuetudo quoãdo à lege abrogetur.53.9.
Cõſularis & exconſul.quid differant.7.34.
Conſulum poteſtas.144.22.
Conſulis officium latiſsimum.124.25.
Conſules apud ſe ſeruos ſuos manumittere poſſunt.125.4.
Conſules quot faſcibus vterentur.139.23.
Contumacis pœna.174.24.
Corrector quis dicatur.149.24.
Crimina ſingula certam pœnam habere conuenit.155.4.& 156.16.
Criminis appell.an ludus contineatur.13.20.
Curator reip. quis dicatur.169.18.
Curator vel tutor ſi non conſentierint arrogationi, an valeat quod actũ eſt.83.40.
Curatores qui dicantur.151.44.

Dam-

D

DAMNATI vltimo ſupplicio, & ciuitatem & libertatem amittunt.73.6.
Damnati quid amittant. 77.38.
De plano quid fieri dicatur. 135. 35.
Decreta principum quæ dicantur.62. 2.
Decretum vbi neceſſarium eſt, per libellum quicquam non expeditur.135.25.
Decurionis filius an decurio dicatur.123.21
Definitionem initio tradendam.15. 16.
Delicta quæ culpa carēt,nō puniēda.41.38
Delicta quæ dicantur. 41. 27.
Delicta à iuris naturalis ſint.19 39.
Deportare in inſulā quibus permiſſu.137.31
Dictare. 4.20.
Dictatores quando creari cœperunt, & eorum poteſtas.145.1.
Digeſtis ſeptimo Imp. Iuſtin. anno compoſitis.2.13.
Digeſta ſeu pādectæ cur ita appellatæ.14.1
Digeſtorū generalis diuiſio & rubrica.8.19.
Dignitas cum hominis ſtatu,nihil commune habet.90. 25.
Difertus. 4. 33.
Ditio plus quàm imperium ſignificat.172.2.
Ditio ſimpliciter imperium eſt. 171.27.
Diuerſa non faciunt illationem.90.29.
Diuiſio digeſtorum.8.19.
Docendarum legum mos quatenus à Iuſtin.mutatus.7.18.
Dolus magiſtratus puniendus.194.1.8.
Dominus membrorum ſuorum nemo eſſe poteſt. 65. 7.
Donationes quare actis publicis inſinuentur. 81.39.
Duumuiris an corporalis caſtigatio cōceſſa.189. 20.

E

ECCLESIA propriè Chriſtianorum. 6. 41.
Edictum perpetuum quod & quando compoſitum. 84. 10.
Edictum quid dicatur.62. 5.
Edictales diſcipuli. 8.5.
Edificium in litore maris factum, an dirui poſsit. 100.35.
Emancipatio vel arrogatio quō fiat.50.15.
Emancipare abſentē non permiſſum.87.42.
Emancipationes apud magiſtratum fiunt.81.41.
Eminētiſsimorum appell.qui veniāt.115.12
Epiſtola principum quid. 61.40.
Etymologia nominis neceſſaria.15.14.
Eunuchi qui dicantur.81.13.
Exiberi quod ablatum eſt,dicimus.148.43.
Exquæſtor & exconſul, an exquæſtore & exconſule.7.24.

F

FACTI quæſtio in poteſtate indicantis eſt.142.33.& 166.27
Familiæ appell. qui veniant. 184. 17.
Feræ beſtiæ capientiū fiunt.97.16.& 101.28.
Filius ex damnato liber eſt. 73.19.
Filius adoptiuus, emancipatus, in patris poteſtatem reuertitur.99.43.
Filij eminentiſsimorum & perfectiſsimorum quæſtionibus nō ſubiiciuntur.121.20. & 128.22.
Filiusfa.ſi non conſentiat arrogationi, an nepos agnatus ſit.84.27.
Filiusfa.liber,an inſcio patre ſe in ſeruitutem redigere poſsit. 65. 25.
Filij adoptiui nec expelluntur, nec emancipantur.79.2.
Filijs naturales quando legitimentur & quando ſuccedendi ius habeant.78.20.
Filij naturales qui dicantur.78.3.
Filij obſtante impedimento matrimonij procreati,tametſi poſteà iuſtum efficiatur matrimoniū,non legitimātur.66.37.
Filius monſtroſus præteritus non rumpit teſtamentum.69.7.
Filius dānatus vtrùm ſuccedat,an nepos.77.22.
Filij.in quibus patris ſtatū ſequātur.74.17
Filius ex libero poſteà ſeruo, vtrùm dicatur liber. 73.31.
Filius in ſeruitute quæſitus,in patres pote-

ſtatem redigitur. 93.20.
Filius naturalis vel emācipatus, in patris poteſtatem inuitus non redigitur. 93.13.
Filius quādo patri ius dicere poßit. 186.2.
Florētinorum pandectarum exemplum à Bolognino allatum. 7.7.
Florentinarū pandectarū fides. 7.11.8.35.
Flumina quatenus publica. 102.27.
Fœminæ illuſtriū, an illuſtres dicātur. 121.43
Frater fratrem accuſans, nō auditur. 76.18.
Fructum iure naturali prohibitum. 25.15.
Furta vtrum tot ſint, quot fures. 185.4.

G

GENERALES Rubricæ digeſtorum. 8.21. & 40.
Gottij à nemine ſuperati, vel Italia expulſi. 2.11.
Gottij à Iuſtin. quando pulſi. 2.28.
Gladij poteſtas quibus competat. 146. 19.
Gladij poteſtas quō accipiatur. 146.14.
Gymnaſia legum vbi exercenda. 10.39.

H

HALOANDRI editio. 1.4. & 7.10.
Haloandri error. 5.20. & 35.
Homines maioris dignitatis mitius puniendi. 90.32.
Hypothecariæ formula. 9.1.
Hypothecaria actio. 9.5.

I

IGNORANTIA facti & iuris. 41.28.
Illuſtris verbum quibus competat. 114.15.
Illuſtratus, dignitas ac titulus vnde dicatur. 119.30.
Illuſtres quatenus dicantur. 117.3. & 118.37. & 123.25.
Illuſtres ſunt clarißimi. 116.35.
Imperatores à Pontificibus pendent. 151.12.
Imperator an res ad Ro. imperium pertinentes, alienare poßit. 150.10.
Imperitia, lata culpa eſt. 194.7.
Imperium miſtum quid. 178.24.
Imperium à iuriſdictione quid differat, 128.30.
Imperium merum cum iuriſdictione nihil commune habet. 177. 5.
Imperium pro autoritate. 165.9.
Imperium merum non transfertur. 154.6.
Imperium miſtum in cōtrouerſijs pecuniarijs conſiſtit. 178.37. & 182.3.
Imperium merum non transfertur. 177.39.
Imperij quæ dicantur. 180.15.
Imperium quid. 178.20. & 182.11.
Imperiū à iurisditiōe cur diſtinctū. 180.35.
Imperium merum non transfertur. 157.5.
Imperium iurisdictionem continet. 162.17.
Imperium merum in capitalibus pœnis conſiſtit. 177.10.
Imperium & Iuriſdictio in quo differant. 168.7.
Imperium merū quibus competat. 147.10.
Imperium merum quid ſit. 163.40.
Imperiū aliud merum, aliud miſtū. 177.5.
Imperiū miſtū an mandari poßit. 180.41.
Imperium miſtum & iurisdictio in quo differunt. 178.14.
Imperium & iurisdictio differunt. 171.43.
Imperium merū ad quid competat. 155.11.
Imperium cum iurisdictione nihil commune habet. 176.32.
Imperij vox quid ſignificet. 176.11.
Imperium ab vſu in quo differat. 158.34.
Infamia iuris & facti qui notētur. 120.17.
Infamis à teſtimonio repellitur. 120.14.
Ingenui qui dicantur. 65.37.
Iniurias tot eſſe, quot perſonæ faciētes. 185.1.
Iniuriarum quæſtio an publica. 39.23.
Inſulā aßignare præfectus nō poteſt. 152.37.
Interpretem legum & theoricum, & practicum eſſe oportere. 4.1.26.
Inuocatio diuini nominis. 1.1.
Iudæi vtrùm filios in poteſtate habeāt. 77.2
Iudex quod dubitat, aperire debet. 149.7.
Iudex qua de re pronunciare cogitur. 165.37.
Iudicem dare & iurisdictionem an dare differunt. 136.27.
Iudex ſecundum morem & leges iudicare tenetur. 142. 40

Iudicē

*Iudici extra territoriũ non pareri.129.7.28.*
*Iudex an cognoſcere cogatur.143.1.*
*Iudices ſtudioſorum qui ſint. 13. 30.*
*Iudex datus notionem tantùm habere dicitur.167.33.*
*Iudex quando parti detur.142.41*
*Iudices pedanei & iudices dati, idẽ.159.32.*
*Iudicem in cauſis dare & iuriſdictionem mandare differunt.160.11.& 161.21.*
*Iudices ſecundum mentem legis cõſtituere poſſunt.49.21.*
*Iudex vel teſtis nemo in ſua cauſa idoneus.58.29.*
*Iudex datus & arbiter ĩ quo differãt.137.25*
*Iudex mandatam iurisdictionem gerens, ſententiam ſuam exequi poteſt: iudex vero datus nõ exequitur. 168.1. vbi & eorumdem aliæ differentiæ continentur.*
*Iudex datus an alium dare poßit. 157.13.*
*Iudex delegatus à dato, vel arbitro, in quo differat. 137.32.*
*Iudex datus, an alium dare poßit.138. 17.*
*Iudicẽ dare & iubere iudicare. diff.174. 17.*
*Iudices pedanei quatenus cognoſcant. fol. 187.34. 42.*
*Iudex qui de maiori ſumma cognoſcere poteſt, apud eundem minoris ſummæ petitio deferenda eſt.188.1.*
*Iudices pedanei qui dicantur.136.34.*
*Iudici iuſiurandum deferendum, & pro æquitate ius dicat.142.20.*
*Iudex ad vnam ſpeciem, & iudex datus differunt.190.41.*
*Iudici extra territorium non paretur.191.9.*
*Iudex ius liberis ſuis non dicit.175.26.*
*Iudicem litigantibus dare, miſti imperij eſt. 174.1.*
*Iudices pedanei qui dicantur. 187. 13.*
*Iudex quibus rebus detur.129.24.*
*Iudicare, iubere, quomodo accipiẽdũ.189.34*
*Iudex an in iure & in facto ſupplere poſſit & debeant. 143.30.*
*Iudex fatorum eſt, non futurorum. 172.43.*
*Iudex quando exemplo conſtituat.47. 34.*
*Iudex quando filio ius dicere poßit.186.2*
*Iudices qui dicãtur habere iuriſdictionem intra certam ſummam limitatam.180.30.*
*Iudex datus notionem tantùm habet.174. 37.& 176. 39.*
*Iudicis appell. qui veniant. 176.1.*
*Iudex quaſcunque bo. poß. mandare poteſt.167.15.*
*Iudex ſecũdum legum & morum præſcripta iudicat.192.11.*
*Iudex lata ſententia, illico functus eſt officio ſuo. 168.8.*
*Iudicium & arbitriũ in quo differãt.138.25.*
*Iudicia omnia extraordinaria ſunt.135.1.*
*Iudicare qui cogantur .129.24.*
*Iudicare iubere quis poßit.129.4.*
*Iurans contra conſtitutionem imperatoris, vltimo ſupplicio non afficiuntur.52.37.*
*Iurisdictio cui mandata eſt, an cauſas delegare poßit.153.40.*
*Iuriſdictionis definitio.171.19.& 172.33.*
*Iurisdictionem qui mandauit, an interim ius dicere poßit.165.20.*
*Iuridisctio et ius ad ciuilia pertinet.136.23. & 138.2.*
*Iuriſdictio ad quas res pertineat.128.31*
*Iuriſdictione priuato mandata, etiam imperium quod non eſt merum, videtur mandatum.168.14.*
*Iurisdictio & imperium, in quo differant. 168.7.*
*Iurisdictio & miſtũ ĩperiũ differũt.178.14.*
*Iurisdictioni praeeſſe quis dicatur. 185. 36.*
*Iurisdictione mãdata, quæ veniãt.175.43.*
*Iurisdictio cum imperio nihil commune habet.176.32.*
*Iurisdictionem dare, mandare eſt.174.14.*
*Iurisdictio etiã in inuitũ exercetur.176.17.*
*Iurisdictio mandata quando ſoluatur, & quando non.183.1.*
*Iurisdictionem ſuo iure quis habere dicatur.182.25.*
*Iurisdictione generaliter mãdata, an traſferãtur ea, quæ ſunt miſti imperij.169.12.*

Iuriſdictionis appell.generalis eſt.162.2.
Iuriſdictio & imperium differunt.171.43.
Iuriſdictio ad ciuilia pertinet.182.8.
Iuriſdictio quid.179.39.
Iuriſdictio ab imperio cur diſtincta.180.35.
Iuriſdictionis definitio.179.27.
Iuriſdictionis etymologia doctorum reprobata.171.22.31.
Iurigen. quæ dicantur.26.27.
Iuriſprudentia vtrum inter artes computanda.14.6.
Ius gladij quid dicatur.146.10
Ius mandādæ iuriſdictionis moribus introductum.158.24.
Ius gladij qui dicantur habere. 144.181. & 145.40.
Ius dicētis munus ad quem pertineat.173.2.
Iuris gladij exercitatio non mādatur.135.5.
Iure naturali cōmunia quæ dicantur.95.10.
Ius pub.quibus conſtet.19.3.
Ius & ratio differunt.26.14.
Ius nouum qui ſtatuere poſſint.192.8.
Ius naturale cōmune & propriū quid.20.31. & 25.45.& .26.14.
Ius naturale primarium & ſecundarium quid.20.43.
Ius vnde dictum. 55.31.& 16.5.
Iuris autoritas in poteſtate legis eſt.142.33. &.166.17.
Iure lege agere.92.13.
Ius feciale quale ſit. 23.27.
Iuris definitio.16.28.
Ius mandandæ iuriſdictionis ex non ſcripto conſtat.182.19.
Iuſtinianus Gothicus cur & quando.2.12. Pius cur & vnde.3.5.
Iuſtiniano diu nullum ius in Italia nec in vrbe Roma.2.26.
Iuſticia quid. 34.9.

L

Lapilli & gemmæ fiunt eius qui inuenerit.101.10.
Legatum principi vel Auguſtæ relictum, an ſucceſſori debeatur.49.40.
Legatus an iudicis dādi ius habeat.136.13.
Legatus an mandata iuriſdictione de ſuſpecto tutore cognoſcere poſſit.166.29.
Legatus procōſulis iudicē dare poteſt.167.36
Legatus abdicando ſe, non amittit imperium.149.20.
Legati proconſulis iuriſdictio.138.35.
Legatus mandata iuriſdictione propriam non habet.139.3.
Legato diem functo, an ſalariū debeatur.
Legati procōſulis tutores dare poſſūt.139.41.
Legati poteſtas.181.41.
Legatus procon.an iudicē dare poſſit.138.10.
Lex municipalis quæ dicatur, & quatenus ſeruanda.32.41.
Lex quō per deſuetudinem tollatur.51.20.
Lex Rehemmia & Regia quæ ſit.60.35.
Lex quando à cōſuetudine abrogetur.53.9.
Lex vbi vetat,priuatorū pactionibus nihil mutari poteſt:ſecus vbi promittit.43.20.
Lege cautum,vt qui alteri mebrum abſciderit, eodem membro retalietur,quomodo intelligendum. 69.38.
Legis appell.quid comprehendat.89.19.
Lex pro integro tractatu ſumitur. 51.5.
Leges contrariæ quomodo conciliandæ.63.1.
Legis ſanctio quæ dicatur.4.38.
Legis mens quæ ſit.49.19.
Leges qui conſtituerent.39.15.
Leges in pœnalibus benignius interpretandas.48.40.
Legis definitio. 40.20.
Legis actio apud quem.82.9.
Leges municipales contra naturalem rationem inſtitutas.30.10.
Legis appellatio duplex.39.33.
Legis ſanctio.4.37.
Liber vtrùm ſpōte ſeruus effici poſſit.65.3.
Libera ex ſecto ventre mortua,an dicatur. 71.16.
Liberi qui dicantur.76.35.
Libertas naſcituro relicta ſi ex duobus non appareat, quorum prior fuerit,an neuter libertatem conſequatur. 70.12.

Liber

Libertini qui dicantur. 65.35.
Licentiæ verbum, in malam partem ſumitur. 129.34.
Litus quid. 96.5.
Litora nullius ſunt. 97.10.
Litorum vſus publicus. 97.13.
Lothari opinio reprehenſa. 147.20.
Ludus alibi prohibitus, an Romæ prohibitus cenſeatur. 13.13.

M

MAGISTRATVS quid. 189. 40. & 193.20.28.
Magiſtratum eſſe oportere, qui iudices dat. 189.33.
Magiſtratus municipales quatenus cognoſcere poßint. 189.10.
Magiſtratus tãtùm ius dicere poßit. 177.1.
Magiſtratus qui vicarium habere nõ poſſunt, an legatum habeant. 133.26.
Magiſtratus iure quæ dicantur competere. 158.12.
Magiſtratus vltra ſuum tempus nihil poteſt. 190.4.
Magiſtratus quando cognoſcere impediatur. 188.15.
Magiſtratus iure quæ competant. 160.21.
Magiſtratus quibus legũ exercitatio mandata eſt ſententiam ferre poſſunt. 162.40.
Magiſtratibus in aliquem animaduertentibus, an priuato vindictam ſumere permiſſum ſit. 21.38.
Magiſtratuum creatio ad quos pertineat. 132.1.
Magiſtratibus quando enſis præferatur. 146.6.
Magiſtratibus quibus parendum. 72.13.
Magiſtratibus municipalibus ea quæ magis imperij quàm quæ iuriſdictiõis ſunt, attingere non licet. 180.28.
Maior ſumma minori ineſt. 177. 26. & 188.8.
Mandata principum quæ dicantur. 62.30.
Mandare iuriſdictionẽ qui poßint. 190.19.
Mandato alterius an quis ius dicere poſſit. 164.37.
Mandata nominatim iuriſdictione, alteri non transfertur. 156.21.
Manumißiones apud magiſtratum fiũt. 81.40.
Manumißio vindicta quid. 164.21.
Mare, aër & aqua quatenus cõia. 98. 2.
Maris aliquis ſinus priuati iuris eſſe poſſit. 100.8.
Matrimonium abſentibus partibus nõ cõtrahendum. 88.1.
Medico quando mortalitatis euentus imputetur & quando non. 144.7.
Miles ad libitum teſtari poteſt. 99.44.
Milites ignominiæ cauſa miſsi, infames ſiunt. 121.2.
Militares viri qui dicantur. 144.2.
Miſtum imperium mandatur. 159.18.
Monſtrum occidens, an puniatur. 69.19.
Monſtrum alere, quid. 69.17.
Monſtrum alteri proficit. 69.28.
Mortui contra edictũ Adriani, in ciuitate ſepelliuntur. 12.34.
Mos quare introductus. 158.36.
Mulier quæ mõſtrum enixa eſt, nihil proficit. 68.35.
Mulier ſi ex duorum cõſuetudine filium pepererit, neuter hũc alere cogitur. 91.29.
Mulier ſi ſecundo ſtatim menſe poſt viri mortem alteri nupſerit, exinde ſeptimo mẽſe pepererit, ad quem pertineat. 68.15.
Municipia quæ dicantur. 188.35.
Municipia ſuis legibus vti ſolita. 175.22.
Mutus & ſurdus an adoptare, vel adoptari poßint. 84.10.

N

Nepos ex filio adoptiuo emancipato, in aui poteſtatem reincidit. 91.2.
Nepos ex filio naturali, ducta cõcubina in vxorem, non legitimatur. 49.7.
Nominatim mandatam iuriſdictionem quomodo accipiamus. 156.30.
Notæ quæ dicantur. 12.25.
Notio quid. 176.35.
Notionis verb. quid cõprehẽdatur. 179.30.
Nouellæ conſtitutiones poſt alterã editio-

nem codicis.5.25.
Nuptiæ quando conſiſtant.66.13.

O

OBLIGATIO ciuilis quæ dicatur. 27.20.
Obligatio quando pariat actionem.26.43.
Obligationes quæ naturales & quæ iuriſgen.25.3.&.27.2.
Obligationum naturalium differētiæ.27.2.
Obtinere conſumatam actionem ſignificat. 191.1.
Officium duo ſignificat.173.12.
Officiales præſidis prouinciæ,perpetui ſunt. 134.27.
Opinio communis confutata.9.4.
Orationes ſuas quas vocet Iuſtinianus in proœmio digeſtorum.5.8.&.11.40.

P

PACISCI de crimine prohibitū.49.28.
Pactionibus priuatorum,ius pub.non mutatur.32.29.
Palea ſcriptor.2.24.
Partus quatenus legitimus.67.20.
Pater filium accuſans,an audiatur.76.15.
Patresfa.qui dicantur.77.15.
Patris in filios poteſtas.75.40.
Patricij clarum genus.113.4.
Pecunia publicæ cura ad quos pertineat. 152.17.
Pedagium ad vadum fluminis inſtitui non poteſt.102.22.
Perfectiſſimi qui dicantur.115.13.
Perfectiſſimorum appel.qui comprehēdantur.121.27.
Per ſatyram.7.14.
Perſonarum differentia.63.33.
Pignoratitia & hypothecaria actionis differentia.9.1.
Plebiſcita quæ dicantur.159.3.
Plura facta quando pro vno accipiantur. 184.28.
Pœna arbitrio præſidis quando ſtatuenda. 144.12.&.146.37.
Pœnæ conſtituendæ ius,quid & quibus cōpetat.152.31.
Pœnam lege expreſſam eſſe oportet.156.16.&.155.4.
Pœnarum capitaliū multa genera.177.18.
Pœna ex lege decernenda.144.37.
Politiani digeſta ex florentinis pandectis emendata.7.6.
Populus quatenus ſtatuta facere poſſit. 51.31.
Populus quando poſſit leges ſtatuere.31.23.
Poſſeſſionis miſſio magis imperij quàm iuriſdictionis eſt.173.32.
Poteſtas quid.177.42.189.40.&.193.20.
Poteſtas liberorum quatenus duret.74.43.
Poteſtatis verbo quid comprehendatur. 128.30.
Practici & theorici à Iuſti. aſſumpti.3.25.&.44.4.27.
Præfecti vrbi iuriſdictio quatenus extendatur.128.25.42.
Præfectus vigilum vnus tantum.132.32.
Præfecti prætorij origo.125.35.
Præfecturæ dignitatis ornamenta.116.2.
Præfecti Auguſtalis imperium.118.9.
Præfecti Auguſtalis origo.140.43.
Præfecti aut alij ſupremi magiſtratus quatenus cognoſcant.187.26.
Præfectus vrbi quando creari ſolitus,& de quibus cognoſceret.126.33.
Praire & praire verba.4.18.
Præſes quando in extraneos homines imperium habeat.142.2.
Præſides quomodo ius gladij habere intelligantur.147.8.
Præſes abdicando ſe,non amittit imperiū. 149.20.
Præſes iudicando negotiorum veritatem ſequi debet.142.14.
Præſidis nomen generale.141.38.
Præſides à cauſis fiſcalibus ſe abſtinere debent.152.6.
Præſidum origo & poteſtas.141.23.
Prætoris iuriſdictio.131.30.
Prætoris edictum ad quid.159.2.
Prætores poſt quæſtores capitalia iudicia ſortiti ſunt.

Præ-

Prætores qui dicantur.173.5.
Prætorum poteſtas.192.21.
Prætor proconſul aut præſes iuriſdictionē ſuam mandare poſſunt.190.19.
Prætorum origo.131.23.
Primogenituræ ius quibus competat.70.20.
Princeps ſine ſenatu,nec ſenatus ſine principe quicquam decernere poteſt.44.12.
Principum conſtitutionum origo.54.10.
Pricipi quatenus ſtatuere permiſſum.61.13.
Principum conſtitutionum quatuor genera.61.4.
Princeps nouus,noua lex.57.13.
Princeps ſenatus autoritate legem fert. 57.20.
Princeps vtrum poſſit regna alienare. 60.20.
Principis placita pro lege ſeruanda.55.20.
Princeps quomodo ſolutus legibus.61.30.
Priuilegium ſine die non valet.63.27.
Proceres qui dicantur.116.24.
Proconſulum iuriſdictio quatenus porrigatur.133.36.
Proconſules extra ordinem ius dicebant. 131.19.
Proconſul quādo imperiū deponat.140.13.
Proconſules ex ſenatoribus deligebantur. 141.40.
Proconſules quot faſcibus vterētur.139.23.
Proconſul poſtquàm ei ſucceſſum eſt voluntariam iuriſdictionem non habet.149.2. & 140.20.
Procuratoris vſus quatenus permiſſus. 166.9.
Procurator principis imperium non habet, ſed iuriſdictionem.152.15.
Procuratorum principis poteſtas,à quibus conceſſa.151.32.
Proprium dare perpetuò tradere dicitur. 165.16.
Proprij ſignificatio.138.43.
Publicus locus quando ſacer fiat.103.31.
Publicorum duæ ſpecies.96.30.& 102.13.
Publicorū app.quid veniant.95.& 102.18.
Publica quæ dicantur.101.15.
Pugnandum pro gloria.23.36.
Punitur affectus,& quando non.195.9.

Q

QVAESTORES parricidij primò capitalibus cauſis præerunt.155.27.
Quæſtores parricidij qui dicantur.37.25.
Quæſtorius & exquæſtor quid differant. fol. 7.34.
Quæſtoris officij origo.130.36.

R

RATIONEM omnium non inquirendam. 49.14.
Legis ratio quæ ſit.49.19.
Rector prouinciæ eam exire non poteſt. &c.148.12.
Regentes.4.25.
Religioſus locus pro voluntate conſtituitur. 103. 10.
Reſponſa prudentum ad quid.159.3.
Reſtitutio in integrum imperij eſt.152.13.
Riparum vſus quatenus publicus.102.40.
Roma noua veteri prælata cur.2.44.
Roma quid comprehendat.3.1.
Roma cur vrbs regia appellata.10.15.
Rubrica digeſtorum generales.8.21.&.40.

S

SACRVM quādo poſſit alienari.103.34.
Salaminius diſertiſſimus cur.4.33.
Sanctiones.4.37.5.3.
Saturam legendum an ſatyram.77.4.
Schola.In ſcholis legum quæ tradenda.6.5.
Secta iuris conſultorum.4.21.
Senatores qui dicantur.116.13.
Senatoris clara.113.10.
Senatores corporaliter non puniuntur.128. 22.& 121.20.
Senatores illuſtres dicuntur.123.27.
Senatoris filius an ſenator vel clariſſimus dicatur.122.42.& 133.10.per totum.
Senatorum priuilegia,an ad filios extendantur.123.5.
Senator remotus capite non minuitur. 120.34.

Senatoris filius quis dicatur.121.11.
Senatores qui dicantur.122.7.
Senatus quid & de poteſtate ipſius.44.28.
Senatus quarum rerum cognitionem retineat.138.8.
Sententia ſine accepto iudicio & lite conteſtata, inutilis efficitur.176.28.
Serui an quod acquiſierint, dominorū efficiatur.75.28.
Seruitus an omnino contra ius naturale. 30.30.
Seruitutis definitio.23.3.
Siſti aliquem dicimus, cum iniuriam, vel furtum fecerit.148.43.
Spado quis dicatur.81.12.
Spadonis & caſtrati differentia.81.8.
Species in iure quid dicatur.190.34.
Spectabiles. Ab ſpectabilibus an appellā dum.119.38.
Spectabiles illuſtribus cōmittendi.119.34.
Spectabilis titulus quibus cōpetat.132.29.
Spectabilium & clariſsimorum appel. qui veniant.148.16.
Spectabiles qui dicantur.117. & 119.40.
Spurius an per comitem Palatinum legitimari poſsit.88.12.
Statores qui dicantur.134.12.
Statuta, an leges vel ſenatuſconſulta appellantur.41.8.
Stipulationes iudiciales arbitrio magis quam imperio continentur.180.19.
Succedentium ab inteſtato gradus.92.22.
Supplicium ſumere idem eſt, quod mortem inferre.189.17.
Suſpecti crimen an ciuiliter & criminaliter intendatur.166.1.

T

TERRITORIVM quid.191.14.
Teſtamentum vnde dictum.15.43.
Teſtamentum cuilibet facere permittitur. 43.36.
Teſtamentū eius qui apud hoſtes eſt, quando valere incipiat.71.8.
Teſti dicenti, niſi fallor, creditur.17.44.
Tranſactio alimentorum quando permiſſa. 156.37.
Turpiter motus ab officio infamis eſt.120.2.
Tutor pupillum arrogare non poteſt.89.8.
Tutorē pupillis dare neque imperij, neque iuriſdictionis eſt.173.35.
Tutori priuignum ſuum arrogare permittitur.89.14.
Tutor vti ſuſpectus remotus, infamis efficitur.166.13.
Tutoris vel curatoris autoritas quando in arrogatione neceſſaria.83.33.
Tutores ſuſpecti coram quo conueniantur. 128.2.
Tutoris datio neque iuriſdictionis eſt neque imperij.139.42.
Tutelæ diuiſio cuius iuris.172.25.
Triumuiri qui dicantur.132.15.

V

VENATIO non prohibenda.102.22.
Vendito loco publico, quid accedat.98.32.
Vendens ſeipſum, ſeruus non efficitur.74.30.
Verſus antiqui ac noui menſura.6.9.
Viglius reprehenſus.179.22.
Vniuerſitatis quæ eſſe dicantur.103.10.
Vſucapio quatenus iuris ciuilis.28.41.

Finis.

v.F